

32
4 II
5

IOANNIS DALLÆI
DE
SACRAMENTALI
SIVE
AVRICVLARI
LATINORVM
CONFESSIONE
DISPVTATIO.



GENEVÆ,
Sumpt. Ioannis Antonii & Samuelis De Tournes.
M. DC. LXI.







AMPLISSIMO VIRO,

PIETATE, VIRTVTE, MERITIS VENERANDO,

IACOBO MAGDALENO,

SENATORI IN PARLAMENTO Parisiensi integerrimo, ac sapientissimo,

IOANNES DALLÆVS S. P. D.



SIQVIS eam potestatem, quam hodie Romanus Episcopus in Christianorum hominum genus exercet, paulò diligentius intueatur, excutiatque penitius; ita ni fallor, reperiet (*Amplissime Magdalene*) rarum ac fortasse nullum extitisse unquam in terris imperium, cujus vis, majestas, ac reverentia vel arte callidiori constituta, vel quæsitioribus coloribus fucata apud subditorum mentes fuerit. Religionis enim, qua nihil est in animos nostros potentius, ea est apud Romanam illam Remp. forma, idque ingenium, ut omnes Pontificis (quem rerum in terris divinarum apicem, atque arcem sibi esse persuadent) obsequio atque cultui devinctos à teneris unguiculis, adstrictosq; teneat.

Iam cæteræ & opiniones, & cærimoniæ, quibus ſacra illorum diſciplina conſtat, pæne omnes ita comparatæ ſunt, ut ad fouendum ac retinendum unici illius Epiſcopi ſummum in univerſos imperium non obſcure pertineant. Sed inter omnia Pōtificiæ dominationis inſtrumenta nullum mihi videtur ab iſtis vel excogitatum fuiſſe ſolertius, vel uſurpatum ad rem ſuam utilius, quam Innocentianum Confeſſionis (ut vocant) Sacramentalis inſtitutum. Primo enim ſic effecerunt, ut ſui omnes cives peccatorum (ſine quibus nemo mortalis vivit) veniam à Deo, non aliter, quam Papæ, & miniſtrorum ejus opera atque auctoritate, conſequi ſe poſſe arbitrentur, quæ ſententia quantam vim habeat ad eorum, qui ita ſentiunt, animos iſtis hominibus ſubjiciendos, omnes intelligunt. Quis enim eos non colat, atque ſuſpiciat, & omni non modo officio, ſed etiam ſervitio demereri ſtudeat, quorum in manibus ſuarum apud Deum noxarum expiationem, ac remiſſionem, ſalutem adeo, vitam, atque immortalitatem ſuam ſitam eſſe putat? Tum & hoc ex mirabili iſta diſciplina utilitatis percipiunt, quod civium ſuorum non modo res, domos, inſtituta, amicitias, fœdera, ſed etiam animos, ipſaſque occultiſſimas animorum cogitationes rimantur, cognoſcunt, atque perſpiciunt; & quæ ipſa veſtra, *Magdalene*, tribunalia ſæpe fruſtra tentant,

ac ne-

ac ne adhibitis quidem equuleis, ungulis, facibus, ac cæteris tormentis è reorum pectoribus eruere queunt arcana, ea isti facile ac nullo negotio, admota hac suæ Confessionis (ut sic dicam) machina, eliciunt atq; extundunt omnia; quod quanti sit ad suos in officio continendos momenti, nemo non videt. Quid illud dicam, quod hæc Papæ ministris disciplina præstat, ut ipsis tuto ac secure cum suis in arcano sigillatim colloqui, iisque consilia & dogmata, quæ libuerit, commendare nemine conscio liceat? Cætera tacere præstat; edere, hoc quidem certe loco, nihil necesse est. Ad hæc accedit utilitatis falsa quidem, sed egregiè tamen sic simulata, atque adumbrata species, ut cuivis, etiam cordato, nisi enixe attendat, & caveat, facile imponere possit. Quod enim coguntur homines de suis peccatis cogitare, eaque ipsi non sine rubore apud alium promere, ac confiteri; quis id non credat prudenter esse inventum ad eos metu illius erubescentiæ à flagitiis deterrendos, & in pietatis ac caritatis officiis non modo retinendos, sed etiam exercendos, atque urgendos? Illud vero multis, imo plærisque omnibus hominibus quam placet, quod ex Innocentiana hac lege suæ singuli conscientiæ, molestissimam sane ac difficillimam procurationem à se, velut gravem aliquam sarcinam, rejiciunt, & alienis humeris imponunt, ac in Confessarii diligentia, & fide, ipsi

interim otiosi ac securi, conquiescunt! Ista quidem humano ingenio usque adeo blandiuntur, ut etiam de nostris, & quidem non deterrimis, quosdam esse sciam, qui nollent hoc jugum à suis cervicibus remotum esse. Ego vero, *Præstantissime Magdalene*, lõge aliter sentio; omninoq; majoribus nostris hac in parte gratulandũ judico, quod inter cætera hominũ vitio in Christianismum inducta, hoc quoq; Innocentianæ Confessionis institutum abjecerint, atque amoliti sint; quod scilicet neque à Domino Christo, neque ab ejus Apostolis traditum aut præceptum, neque à sequentium ad ultima pæne tempora sæculorum Ecclesiæ factitatum esse intelligebant. Hujus vero sententiæ veritatem placuit fusius, & accuratius demonstrare, remque jam inde ab ipsa Christianismi origine repetitam ad avorum nostrorum memoriam deducere. Nostram vero illam disputationem cum his quatuor libris essem exsecutus, Reverendi Fratres, qui eos legerunt, publice edendam censuerunt. Quod ergo à nobis ante aliquot annos elucubratum opus nunc ex illorum sententia exire in vulgus sinimus, id (*Amplissime Magdalene*) tibi merito ac libenter dicamus, atque inscribimus; teque vehementer rogamus, ut leve licet munusculum, gratum, acceptumque habere digneris. Officioli quidem hujus adversum te nostri, ratio & nobis, & cæteris,

siqui

qui te norint, optime ac luculentissime constat. a enim tua est rerum humanarum, divinarumue tum jugi studio, tum longo usu comparata cientia, ea morum probitas atque sanctimonia, ea n publicis privatisque judiciis integritas, & fides, a ætas, ii honores, ea dignitas, ea denique in Deum pietas, & in casto puroque numinis cultu constantia, ut unus de hac re tota omnium optime ac certissime cognoscere ac judicare possis. Ac tametsi nos à te diligi pro ea, qua summa es, ingenii lenitate, mansuetudine, ac ut uno verbo dicam, bonitate, & jampridem sentiamus, & sæpe experti simus, non est tamen verendum, ne tuus iste in nos amor animum tuum à vero in alterutram partem impellat, aut inflectat. In hac enim Senatoria purpura, quam annos jam aliquot supra quadraginta maxima cum laude geris, constans illa ac perpetua tuorum judiciorum integritas, incorruptaque & illibata castitas satis superque docuit, quam recta mens tibi sit, quamque adversus humanos omnes affectus fortis, atque invicta. Te vero, *Vir Amplissime*, & omnibus bonis merito *Carissime*, Deus Optim. Max. in hac, quam non nuper ingressus es, præclara ac plane veneranda senectute valentem ac vegetum, & domi forisque florentem diutissime tueatur, ac servet, non modo liberis ac nepoti-

bus

bus tuis (quibus abundas tuo ſanguine ac nomine digniſſimis) ſed etiam Patriæ, auguſtiſſimoque Senatui, cujus inter veteranos fulges, ac Eccleſiæ denique noſtræ, cui tua virtus, ac dignitas magno eſt, & ſingulari ornamento. Vale. Dat. Lutet. Pariſ. d. 24. Maii. A.D. M.DC.LXI.





ELENCHVS OPERIS
& singularum ejus partium
DE CONFESSIONE AVRICVLARI
LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

quibus

LIBER TERTIUS.

loco

LIBER QUARTUS.

¶¶¶ *fidelium*

ne.In-

¶¶¶ 2 XXXII.

ſſſ 3 AVTORES



AVTORES IN HIS LIBRIS DE CONFESSIONE LAVDATI.

A.

Acta:
- Fructuosi, apud August. Baron. & Binium.
- Ignatii apud Vsserium in Ignatio.
- Sebastiani, apud Baronium.

Alardus in Cassianum, una cum Cassiano.

Albaspinei Episcopi Aurelianensis Observationes Ecclesiasticæ editæ cum Optato.

Albertinus de Eucharistia. *Daventriæ*. 1654.

Pseudo-Alcuinus in Biblioth. Patrum.

Alexander de Ales.

Alexandre de Rhodes Iesuïte, Voyages. *Paris*. 1653.

Almaïn in Sententias.

F. Alvarez, viaggi in Ethiopia, nel Ramusio.

Ambrosius. *Paris*. 1549.

Annales Iesuïtarum.
- Æthiopici. ann. 1620. 24. 25 26. 27.
- Brasiliani. 1577. 1621.
- Canadæ. 1635. 37. 42.
- Cocinenses. 1581.
- Goæ. 1599. 1618. 19. 20. 21.
- Iaponici. 1577. 79. 86. 87. 88. 94. 95. 96. 98. 1604. 1605. 1606. 9. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 24. 25. 26. 29. 30.
- Sinici. 1617. 18. 19. 20. 21. 22. 25.

Anselmus in Paulum, Renaudi Iesuitæ, *Lugduni* 1630.

Antonini summa. *Paris, apud Ioan. Parvum.* Chronicon. *apud Iuntas*. 1587.

P. de Aquila in Sententias.

Arcudius de Sacramentis. *Paris* 1626.

F. de

F. de Argentina in Sententias.
Ant. Arnauld de la frequente communion. *Paris.* 1643.
Athanasius. *Paris* 1627.
Augustinus. *Paris.* 1637.
Ant. Augustinus.
P. Aurelius. *Paris.* 1640.
P. Aureolus in sententias. *Romæ.* 1596.
L. Azevedius apud Nic. Godignum.

B.

Balsamo in Canones. *Paris.* 1620.
Baronii Annales. *Coloniæ.* 1609.
Basilius. *Paris.* 1638.
Becani summa. *Paris.* 1645.
Beda. *Coloniæ*, 1612.
Bellarminus.
Bernardus. *Paris.* 1527.
Beza in Novum Testamentum.
Biblia Magna. *Paris.* 1644. 5. voll.
Biel in Sententias.
I. Billius, una cum Irenæo.
Bibliotheca Patrum. *edit.* 4. *Paris.* 1624.
Binius in Concilia, editus una cum Conciliis.
D. Blondelli censura Epistolarum Pontif. *Genevæ*, 1628.
Bonaventura in Sententias.
Breviarium Rom. *Paris.* 1647.
Burcardus. *Coloniæ* 1548.

C.

Cæsarius Arelat. in Biblioth. Pat.
Caietanus in Pentateuchum. *Paris.* 1539. in Evangelia & Epistolas, in summam Thomæ, una cum Thoma.
Calvinus. *Genevæ*, 1617.
Cameronis prælectiones. *Salmurii*, 1626.
Melchior Canus. *Coloniæ*, 1605.
Caprasij vita, apud Surium.
Carranzæ summa Conciliorum. *Antverpiæ*, 1578.

Cardim

Cardim. relation des Indes. *Paris.*
Caroli M. Capitulare. in Conciliis Gall.
Carthuſianus in Paulum.
Caſſander. *Paris.* 1616.
Caſſianus Alardi. *Atrebat.* 1628.
Caſſiodorus. *Genevæ*, 1637.
Alph. à Caſtro. *Paris.* 1564.
Catechiſmus Tridentinus ad Parochos *Venet.* 1567.
Catharinus in Caïetanum. *Paris.* 1535.
Chemnitii examen Concilii Tridentini, *Genevæ*, 1641.
Chiffletius in Ferrandum, una cum Ferrando.
Chryſoſtomus. *Paris.* 1636. Græc. Lat.
Ciaconus, not. ad Caſſianum, in Caſſiano.
Clavaſini ſumma Angelica. *Lugduni*, 1534.
Clemens Alexandrinus. *Paris.* 1629.
Clementis Romani epiſtola ad Corinthios. *Oxonii*, 1633. Epiſtola ad Iacobum ſpuria & Recognitiones. *Paris.* 1544. Conſtitutiones, una cum Zonorâ in Canones, & ſeorſim, *Venetiis*, 1563.
Io. Climacus. *Paris.* 1633.
Cocus, cenſura ſcriptorum Eccleſiaſt. *Londini*, 1623.
Concilia Africana in Conciliis Binii. Arelatenſe, 4. & 6. Cabilonenſe 1. 2. in Conciliis Galliæ Iac. Sirmondi. Carthaginenſe 3. Conſtantienſe. Conſtantinop. in Trullo, in Conciliis Binii. Ingilenheimenſe, in Conciliis Galliæ. Lateranenſe Innocentii tertii, in Conciliis Binii. Matiſconenſe 1581. Meldenſe, 845. Moguntinum. 847. Nannetenſe. Remenſe, 2. in Conciliis Gall. Toletanum. Tridentinum, in Concil. Binii. Turonenſe 3. Vaſenſe. Vernenſe 2. in Conciliis Galliæ.
Concilia omnia, Binii. *Paris.* 1636.
Concilia Eccleſiæ Gallicanæ Iac. Sirmondi. *Paris.* 1629.
Conſtantius de vita Germani Autiſſiod. apud Surium.
Nic. de Cuſa. *Baſileæ*, 1565.
Cuychius. not. ad Caſſianum.
Cyprianus Carth. Rigaltii. *Paris.* 1648.
Cyprianus de vita Cæſarii, apud Surium.
Cyrillus Alexandrinus. *Paris.* 1636.

D.

Io. Damascenus. *Paris.* 1609.
Pet. Damiani. *Paris.* 1642.
Deodati. not. in Bibl. Ital. 1640. *Geneva.*
Dionysius Alexand. apud Eusebium.
Dionysius Areopagita. *Paris.* 1644.
Dorotheus. tom. 1. Bibl. Pat.
Driedo de Dogm. & Script. Ecclesiast. *Lovanij.* 1556.
Fr. Ducæus. not. in homil. Chrysostomi ad Pop. Antioch. una cum Chrysostomo.
Durandus in Sentent. *Lugduni.* 1587.

E.

Eginhartus in script. Franc. Chesnæi.
Eligius Noviom. in Bibl. Pat.
Erasmus in Acta. *Basil.* 1540. & in Hieronymum.
Ermengaudus. Bibl. Pat.
Io. Escobar tractatu de Confessariis sollicitantibus.
Espensæus de Continentia. *Paris.* 1565.
Estius in Sententias. *Paris.* 1638.
—— in Sacram Script. in Bibl. Magn.
Eusebius. Gr. R. Stephani. *Paris.*

F.

Fernandius. apud Godignum.
Fernandus Diac. de vita Fulgentij, *Divione.* 1649.
Io. Ferus in Matthæum. *Paris.* 1560. in Ioannem 1553 *Paris.*
Feuardentius in Irenæum.
Filesacus de Confessione. *Paris.* 1605.
Firmilianus apud Cyprianum.
Francorum scriptores. Chesnæi. *Paris.* 1633. & seqq.

G.

Gagnæus in Paulum. *Paris.* 1534.
Galatinus de Arc. Rel. Christ. 1603. Francofurt.
Gaudentius in Bibliot. PP.



Glossator

Glossator Decreti.
Georgius Alex. de vita Chrysost. in Chrysostom.
Goar in Euchologium Græcorum. *Paris*. 1647.
Ant. Godelli paraphrasis in Epistolas. *Paris*. 1650. in Episcopum Vasat. oratio funebris.
Godignus de rebus Abassinorum. *Lugd*. 1615.
D. à Goes Æthiopica. *Coloniæ*. 1574.
Goffridus Vindoc. Iac. Sirmondi. *Paris*. 1620.
Ant. Gouveanus de bellis Cha-Abba. *Rothomagi*. 1646.
Gratiani Decretum emendationis Gregorianæ. *Paris*. 1612.

Gregorius:
- Thaumaturgus. *Paris*. 1632.
- Nazianzenus. *Paris*. 1630.
- Nyssenus. *Paris*. 1638.
- Magnus. *Paris*. 1533.
- Gregorii XV. P. R. Bullæ.

Gregorius de Valentia. *Lugduni*. 1619.
Gropperus de pœnitentia publica.
Guillaudus in Matthæum. *Paris*. 1562. in Ioannem. *Lugduni*. 1556.

H.

Hadrianus in sententias, *Lugduni*. 1546.
Halitcharius.
Haymo Halberst. in Paulum. *Paris*.
Hegesippus apud Eusebium.
Henriquez summa Moralis.
Hieronymus. *Paris*. 1533.
Hilarius Pictav. *Paris*. 1631.
Hilarius in Paulum, in Ambrosio.
Hilarius de vita Honorati Arelat. apud Surium.
Hincmarus Sirmondi. *Paris*. 1645.
Hofmeisteri homil. in Evang. *Paris*. 1560.
Honoratus Massil. de vita Hilarii Arelat. apud Surium.
Hugo de Sancto Victore. *Rothom*. 1648.
Ioannes Hus.

I.

Iansenius Gand. in Evangelia.
P. Iarricus de rebus Iesuitarum Indicis, Latin. *Coloniæ*. 1615. Gallicè, *a Bordeaux*. 1620.

Iesui-

Iesuitarum epistolæ Iaponicæ. *Dilingæ. ann.* 1571.
Index expurgatorius Quirogæ. *ann.* 1584. Sandoval. 1612. *Madriti* uterque editus.
Innocentii Maron. colloquium. tom. 3. Conciliorum.
Innocentius I. P. R. in Concil. gener.
Innocentius III. P. R. ibidem.
Irenæus, Feuardent. *Paris.* 1639.
Isaac Lingonensis. in Concil. Gall.
Isidorus Hispalensis. *Paris.* 1602.
Iulianus Pomerius, in operibus Prosperi.
Ivo Carnot. *Paris.* 1647.
Iustinus M. Sylburg. *Heidelbergæ.* 1594.

L.

Lactantius. *Lugd.* 1541. & *Antverp.* 1570.
Latinus Latinius.
Laurentius Novar. in Bibliot. PP.
Leo I. P. R. *Paris.* 1623.
Leon di Modena, riti de gl' Ebrei.
Lombardus.
Lorinus in Acta. *Lugduni.*
Lovanienses Theologi in Augustinum, una cum August.
Ludovici Pii vita, Edictum, Capitulare in script. Franc.
Ioan. Lukavits, in Valdensibus Lydii. *Roterod.* 1618.
Lupus Ferrariensis in Bibliot. PP.

M.

Maffeius, de vita Ignatii, & Historia Indica. *Lugduni.* 1637.
Major in quartum sententiarum.
Maldonatus in Evangelia. *Paris.* 1639. de Sacramentis.
Manriquez.
Marcellini & Idatii Chronicon. Sirmondi. *Paris.* 1619.
Marcus Eremita, tom. I. Bibliot. PP.
Marianus Victorinus in Hieronymum.
Maturus in Chronicon Antonini.
Maximus Taurinensis, cum Leone I.
Medina.

Menardi Sacramentarium Gregorianum.
Menochius in Bibl. Magn.
Michaël Bononiensis.
Minutius Fœlix Rigaltij. 1643. *Paris.*
De Mogare relatio Iesuit. 1595.
Ar. Montanus.

N.

Nannius in Athanas.
Navarrus.
Nicephorus Chartophylax in Bibliot. PP.

O.

Oecumenius. *Paris.* 1631.
Ordo Rom. in Bibliot. PP.
Origenes. *Basileæ.* 1571.
Orlandini Histor. Soc. Ies. *Romæ.* 1615.
Paulus Orosius. *Coloniæ.* 1573.
Osorius de rebus Emanuelis. *Coloniæ.* 1581.

P.

Pacianus Barcinonensis, in Bibliot. PP.
Mic. de Palatio.
Palladius de Vita Chrysostomi, in Chrysost.
Paludanus in Sententias.
Pamelius in Tertullianum.
Panormitanus Abbas.
F. Paolo, vita Leyd. 1646. Historia del Concil. Trident. *Londini* 1629.
Paulinus Afer de vita Ambrosij, apud Surium.
Pelagius in Paulum, in Hieronymo.
Perronius Cardinalis Replique. *Paris.* 1633.
Petavius in Epiphanium. *Paris.* 1622.
—— de la penitence. *Paris.* 1644.
Petrus Cluniacensis.
Petrus Oxomensis, apud Carranzam.
Photij Bibliotheca. *Aug. Vind.* 1601.

Pius

Pius IV. P.R.
Platina de Vitis Pontif. *Coloniæ.* 1545.
Pontificale Rom. *Romæ.* 1621.
Pontius de Vita Cypriani, in Cypri.
Possevini Apparatus Sacer. *Venetiis.* 1603.
Possidius Calam. in Augustino.
Primasius in Bibliot. Pat.
Prosper. *Coloniæ.* 1630.

R.

Rabanus Maurus, in Bibliot. Patr.
Radulphus.
B. Rhenanus in Tertullianum. *Basileæ.* 1550.
Ricardus in Sententias.
Richardus de Sancto Victore.
Rigaltius in Cyprianum & Tertullian.
Rituale Rom. *Paris.* 1630.
Rubruquis voyage en Tartarie. *Paris.* 1634.

S.

Em. Sa in Bibl. Magn. Aphorismi Confessariorum.
Salvianus Massil. in Bibl. Pat. & seorsim à Rittershusio editus.
Sanctius in Acta Apost. *Lugduni.* 1616.
Sanchez de matrimonio. *Lugduni.* 1637.
Scotus in Sententias.
Sedulius in Bibliot. Patr.
Semeca, gloss. Decret.
Senedo, voyage de la Chine.
Cl. Seyssellus contra Valdenses. *Paris.* 1520.
Iac. Sirmondus.
Socratis Hist. una cum Eusebio.
Solier de rebus Iesuitarum Iapponicis. *Paris.* 1627. en François.
Soto in Sententias. *Duaci.* 1613.
Sozomenus una cum Eusebio.
Sulpitius Severus, in Bibliot. PP.
L. Surius de vitis Patrum, *Coloniæ.* 1618.
Synesius Petavij. *Paris.* 1631.

Tertullianus Rigaltii. *Paris.* 1641.
Theodoretus. *Paris.*
Theodori capitulare.
Theodorus Studites, apud Surium.
Theodulfi Aurel. capitulare in Concil. Gall.
Theophilus.
Theophylactus. *Paris.* 1635.
Summa Thomæ. *Lugduni apud Iuntas.* 1587.
I. Aug. Thuani Historia. *Paris.* 1606. & *Geneuæ.* 1620.
Tirinus in magn. Bibl.
Toleti instructio Sacerd. 1623. *Rothom.*
Trigautius de martyribus Iappon. 1624. ejusdem expeditio Sinica. *Aug. Vind.* 1615.
Trithemius de Scriptoribus Eccl. *Coloniæ.* 1537.
Turrecremata summa de beneficiis.

V.

Th. Valdensis Doctrinale. *Paris. apud Badium.*
L. Valla.
Vasquez in Thomam. *Lugduni.* 1620.
Vega de Iustificatione.
Vialar Episcopus Catalaun.
Io. Viclef.
Victor Vitensis, in Bibl. Patr.
Vniversitas Paris. contra Iesuïtas.
Vsserius de Confessione, Anglicè.

Z.

Zaga Zabo Æthiops, apud D. à Goës.
Zonaras in Canones. *Paris.* 1618.


DE CONFES-



DE
CONFESSIONE AVRICVLARI, *LIBER PRIMVS.*

CAPVT I.

Confeßio alia apud Deum, alia apud homines, utraque peccatorum vel in genere, vel in ſpecie, quatenus neceſſaria. Sententia de toto hoc argumento noſtra.



PECCATORVM confeſſio bifariam intelligitur; vel de ea, qua quis in genere agnoſcit ſe violatæ divinæ legis multipliciter reum eſſe, eoque condemnatione per ſe dignum, ſi ſevere ſecum, & ex jure agatur; vel de ea qua quis proprie ac ſigillatim profitetur, quid in Dei legem admiſerit, puta adulterium, furtum, homicidium, & ſimilia. Sed & utraque hæc confeſſio, vel apud Deum vel apud homines inſtituitur: Apud Deum quidem, cum in arcano, & ſub unius Dei conſcientia peccator vel in genere delicta ſua omnia, vel hoc aut illud proprie crimen confitetur, ac deflet. Apud homines vero, cum vel coram uno, pluribusve ſe peccatorem eſſe agnoſcit, vel quid in ſpecie in Deum, hominesve admiſerit, ingenue aperit.

Priorem illam, id eſt generalem peccatorum confeſſionem, tum apud Deum, tum apud homines, neceſſariam eſſe ſtatuimus. Si quis enim ſit, qui vel apud homines, vel etiam, quod multo eſt impudentius, apud Deum jactare ſe audeat velut abſoluta ſanctitate præditum, præfracteq; negare ullius ſe peccati reum, eum nos non putamus veniam ac remiſſionem conſequi poſſe; quam ſcilicet Dominus nemini, niſi pœnitenti, peccatoremque adeo ſe agnoſcenti, promiſit. Quoties igitur fideles ſive privatim, ſive publice apud Deum conſiſtunt gratiam aliquam exoraturi, toties eos neceſſe eſt hunc in primis peccati, ac miſeriæ ſuæ ſenſum teſtari. Neque vero aliter apud homines quoties occaſio id aliqua exi-

Ioh. 1.8. git, agendum est. Nam, ut ait Ioannes Apostolus, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est:* Confessionis vero specialis, qua hoc aut illud proprie delictum à nobis admissum fuisse confitemur, alia ratio est. Nam singula peccata, etiam occultissima, quatenus animo & memoria consequi possumus, Deo confitenda haud sane inviti concedimus; modo id sic intelligatur, ut illa crimina, quorum nobis conscii sumus, apud Deum non tam enumeremus aut commemoremus, (quod apud omnia nostra scientem ac pervidentem non est necessarium) quam detestemur, ac exhorrescamus, veroque cordis sensu, quid ea commerita sint, agnoscentes, de iis in posterum abjiciendis ac fugiendis cogitemus. Neque enim David admissum à se adulterium Deo dum confitetur, narrat, aut describit, sed sceleris sui immanitatem, summæque in Dominum ingratitudinis crimen

Psal. Clas. 10. pro merito traducit, atque exaggerat. De hominibus, aliter res habet. Nam apud eos non est simpliciter & absolute necessarium quemque confiteri quid proprie & sigillatim, ac, vt vulgo loquuntur, *in specie* peccaverit. Itaque ut res teneatur, peccata hic in primis distinguenda sunt. Quædam enim sunt, quibus ita lex Dei violatur, ut proximus etiam lædatur, ejusque à nobis amor, atque animus abalienetur; qualia sunt, quæ ejus famam, rem, vel honorem pulsant. Aliis Dei majestas simpliciter offenditur, nullo hominum detrimento. Hæc cum unum Deum spectent, non est necesse apud alium, quam apud eum unũ confiteri. Ea vero quæ prioris sunt generis, hoc est quæ proximi offensam nobis meritò conciliant, apud eum, quem proprie pulsant, si licet, confitenda arbitramur; quo fratri satisfiat, ejusque gratia culpa nostra imminuta vel dirempta, mature sarciatur. De quo genere Christus ita apud Matthæum præcipit. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater*

Matt. 5.23 24. *tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* His verbis clare docet Christus illa fratris recõciliatione nihil nobis antiquius esse debere; quæ, vt liquet, aliter institui non potest, nisi fratri læso congrua in primis peccati adversus eum nostri confessione satisfaciendo. Quod si ea nobis esse debet reconciliandi vel unius fratris cura; quanto quæso studiosius atque diligentius danda erit opera, ut plurium, si in plures impegerimus; quanto etiam sollicitius, vt totius Ecclesiæ, si totam, quod aliquando fit, offenderimus, gratiam resarciamus? Itaque si hujusmodi crimen est nostrum, quo ei, in qua degimus, societati scandalum objectum sit, tum verò officij nostri est, non modo arguentem Ecclesiam admittere, & quid à nobis admissum sit, ingenue atque humiliter confiteri; sed etiam eam per nos adire, deque nostro peccato, ac pœnitentia vel apud unum presbyterium, vel si res id exigat, etiam apud totum cœtum publice testari. Quænam autem illa sint crimina, quæ scandalum Ecclesiæ obiiciunt, non est obscurum. Huc nimirum ea omnia pertinent,

nent, quibus nostra de Evangelica veritate professio convellitur, atque labefactatur; quibus adeo homines ad blasphemandum Dei nomen, abjiciendamque pietatem sollicitantur, atque inducuntur; Vt si quis verbi gratia, spe aut metu compulsus Christi, & Evangelii fidem abneget, sive palam, sive clam; si quis idololatriæ, vel hæreseos communione se polluat. Quo etiam in ordine censendi sunt, qui Dominum vita & factis negant; tametsi lingua nomen inter ejus cultores profiteantur suum; quales ii sunt, quos in priore ad Corinthios epistola fuse commemorat Apostolus, *Si is* (inquit) *qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* 1.Cor.v.11. Quisquis enim in huiusmodi flagitiis volutatur, is clara veluti voce testatur se Evangelicam doctrinam, qua talia scelera severissime damnantur ac prohibentur, pro nihilo habere; eoque fit, vt pii ab eo se subducere, ejusque velut alieni ac desertoris consuetudinem refugere debeant. Igitur si, qui sic peccat, sui sceleris aliquo sensu afficitur, & ad officium redire cupit, eum inprimis Ecclesiæ præsides adire decet, & tum apud eos, tum etiam, si id expedire videtur, apud totam societatem confiteri se graviter peccasse, factaque sua suo ipsius judicio vehementer damnare, ac denique testari se in posterum aliter vitam ex Domini Dei præscripto instituere velle. Quod si legitimum ac necessarium officium negligat, eo, & privatorum admonitionibus, & presbyterii correptionibus, qua licet, compellendus est, ut humili confessione resarciat, quod vel flagitio, vel scelere corruperat. Hæc enim est Ecclesiæ disciplina & à Domino Christo tradita, & Apostolicis exemplis sancita; quam qui præfracte pertinaciterque contemnit, is sacro cœtu ex communi presbyterij judicio ejiciendus est, ac pro publicano atque Ethnico habendus.

Atque in his quidem hactenus necessariam esse putamus confessionem, eo quem explicavimus, sensu. In cæteris peccatis, quæ neque Ecclesiæ scandalum objiciunt, neque plane alienum à Christo, ejusque disciplina animum significant, confessionem apud homines tametsi non necessario, utiliter tamen sæpe adhiberi posse non negamus. Nam cum ad obtinendam à Domino qualiumcumque delictorum remissionem fratrum preces non parum conferant, nemo non videt quemvis fidelem in aliquod peccatum prolapsum pro Christianæ, quæ illi cum cæteris piis intercedit, communionis jure, auxilium fratris ad rem tantam consequendam deposcere, ac flagitare posse, suaque ei vulnera nudare, ad expetendam impetrandamque communi oratione Domini, velut summi Medici, opem. Quo etiam referendam arbitramur illam Iacobi Apostoli cohortationem; *Confitemini alterutrum peccata vestra; & orate pro invicem, ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Iacob.v.16. Iam cum à quovis fratre id auxilii exigere liceat, dubitandum non est quin peccatoribus ii potissimum ex tota societate ut plurimum in hoc articulo

adeundi sint, quos Dominus Christus Evangelii ministros, thesaurique sui dispensatores in cœtibus singulis constituit. Cum enim istorum munus proprie sit jacentes peccatorum conscientias erigere, afflictas ac tabescentes recreare, vulneratas curare, criminibus implicatas exsolvere, quis neget ad eos potissimũ confugere decere, si quando nos delictorũ nostrorum sensus, iræque divinæ metus, acrius exstimulat, ac perfodit, quam ut soli sine aliena ope nos inde explicare queamus? Consultissimum ergo est in ejusmodi æstu, animæ arcana apud fidelem aliquem Christi servum, quatenus res exigit, exponere; & ab eo tum absolutionem à crimine, tum consilium expetere quo in posterum à peccato cavere, pestilentemque vitii habitum paulatim exuere possimus. Id vero ne cui novum, & apud nos insolens esse videatur, en tibi luculentum Calvini testimonium quodq; unum instar omnium erit. Is enim fuse, ac, vt solet facunde rem totam exsequitur, quo loco de confessione disputans, cum satis multa de hoc argumento dixisset, sic concludit: *Ergo* (inquit) *id officii sui unusquisque fidelium esse meminerit, si ita privatim angitur, & afflictatur peccatorum sensu, ut se explicare nisi alieno adjutorio nequeat, non negligere quod illi a Domino offertur remedium; nempe ut ad se sublevandum privata confessione apud suum Pastorem utatur, ac ad solatia sibi adhibenda privatam ejus operam imploret, cujus officium est & publice & privatim populum Dei Euangelica doctrina consolari. Verum ea moderatione semper utendum est, ne ubi Deus nihil certum præscribit, conscientiæ certo jugo alligentur. Hinc sequitur ejusmodi confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur, sed iis tantum commendetur, qui ea se habere opus intelligent. Deinde, ne hi ipsi qui ea utuntur pro sua necessitate ad enumeranda omnia peccata vel præcepto aliquo cogantur vel arte inducantur, sed quoad interesse sua putabunt ut solidum consolationis fructum referant.* Hæc Calvinus; cui succinunt cæteri Ecclesiarum nostrarum Theologi.

Instit. l. III. c. 4. §. 12.

Iam cum quovis tempore hac apud Dei ministrum confessione uti liceat, ejus tamen tum potissimum usum esse concedimus, cum fidelis ad sacræ Cœnæ sumptionem se accingit. Nam cum eo præsertim tempore quisque se ex Apostoli præcepto probet, ad hoc vt pane Domini digne vescatur, solent tum maxime piorum conscientiæ excitari, deque peccatorum suorum fœditate ac gravitate serio cogitare; quo fit ut eorum animi acrius, quam vnquam alias, interdum percellantùr, consolationeque adeo indigeant. Itaque vix alia ulla est isti confessionis, quam nuper descripsimus, auxilio oportunior occasio; tantumque abest, ut si qui tali tempore eò confugiant, damnandos eos, aut reprehendendos putemus, ut plane cóntra, nos eorum pietatem laudandam existimemus; dummodo sua cuique fideli libertas sarta tecta servetur. Nam sunt illa Calvini nostri; *Interim quin sistant se Pastori oves, quoties sacram Cœnam participare volunt, adeo non reclamo, vt maxime velim hoc ubique obseruari. Nam & qui habent impeditam conscientiam, referre inde possunt singularem fructum;*

1 Cor. xi.

Instit. l. III. cap. 4 §. 13.

fructum; & qui admonendi sunt, monitionibus locum ita præbent, modo semper absit tyrannis & superstitio. Quod vero optat Calvinus apud nos *ubique observari*, id sane apud eos Protestantes, qui Lutherum, in Germania sequuntur, in usu est; ut & ex quotidiana eorum praxi constat, & ex his Chemnitii, celeberrimi apud ipsos Theologi, verbis apparet, quæ à Bellarmino * commemorata, hic describere non piguit; *Privata* (inquit) *confessionis usus apud nos servatur, ut generali professione peccati, & significatione pœnitentiæ petatur absolutio. Cumque non sine judicio usurpanda sit clavis vel solvens, vel ligans, in privato illo colloquio pastores explorant auditorum judicia, an recte intelligant doctrinam de peccatis exterioribus, & interioribus, de gradibus peccatorum, de stipendio peccati, de fide in Christum; deducuntur ad considerationem peccatorum; explorantur, an, seriò doleant de peccatis; an iram Dei timeant, & cupiant illam effugere; an habeant propositum emendationis; interrogantur etiam si in certis quibusdam peccatis hærere existimantur; traditur illis doctrina, & exhortatio de emendatione; quæritur vel consilium, vel consolatio in gravaminibus conscientiæ, & tali confessioni impertitur absolutio.* Hæc ille; Quæ, tametsi ea apud nos non ita passim in usu sunt, ut apud illos fratres, probamus tamen & amplectimur; quod vel satis ex Calvini voto apparet, qui talia *ubique observari* vellet.

* c. III. de pœnitent. c. 1. § Martin' Chemnitius. Chemnit. II. parte examin. c. 5. de pœn. p 1021.

Hæc omnino nostra est de *peccatorum confessione* doctrina, ac fides; qua si adversarii contenti esse possent, nulla superesset in hoc quidem argumento, controversiæ aut discordiæ inter nos caussa. Ex his quidem certe constat, quam sit falsa & impudens eorum sycophantia, qui invidiose clamant omnem à nobis peccatorum confessionem ex Ecclesia sublatam atque exterminatam. Cæterum ut in iis, quæ exposuimus, confirmandis, aut demonstrandis immoremur, non videtur necessarium. Nam præterquam quod omnia & Scripturarum divinarum autoritate nituntur, & rectæ rationi, perpetuoque universorum fere Christianonorum sensui ita congruunt, ut de iis nemo sanus dubitare queat; huc insuper accedit, quod hæc, quæ nos posuimus, adversarii non negant. Nam & Deo confitendum in primis docent, atque ita apud se fieri contendunt; neque quos læsimus, adeundos & reconciliandos abnuunt; neq; pastores consulendos negant, neq; peccatores aliquos publice corripiendos inficiantur. Cum ergo hæc, quæ nos docemus ac credimus, nullam habeant controversiam, jam ad ea transeamus, quæ decernunt adversarii, & ex quibus liquet ortam esse omnem hanc de confessione disputationem.

Bellar. l. III. de pœnit. c. 11. §. In hac prima.

Conc. Trid. Sessio XXIV. c. 8.

Caput II.

Proponitur adversariorum dogma de confessione auriculari, sive Sacramentali, ejusque jure ac necessitate. Tum Synodorum, Lateranensis sub Innocentio III. & Tridentina ea de re decreta.

Illi vero in primis statuunt nullum eorum peccatorum, quæ ipsi *mortalia* vocant, cuiquam fidelium post baptismum remitti, nisi quod apud Ecclesiæ præsides confessus fuerit; vel certe cujus confitendi votum ac propositum habuerit, si minus confessarii copia ei fuerit; tantamque hujus confessionis necessitatem esse volunt, ut ea mortalium neminem exsolvi posse putent; vel ab ipso Papa, cujus alioqui summam esse sciscunt etiam in Apostolica instituta potestatem. Itaque Innocencius III. in Lateranensi Concilio ante annos quadringentos, & quod excurrit, jampridem hunc Canonem suis hominibus fixerat; *Omnis utriusque sexus fidelis* (inquit) *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem in anno, proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem caussam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Siquis autem alieno sacerdoti voluerit justa de caussa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter ille ipse non possit solvere, vel ligare.* Tum cætera confessionarii instituti mysteria exsequitur; quę nosse operę pretiū est; *Sacerdos autē* (inquit) *discretus, & cautus, ut more periti medici, superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatorū circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. Caveat autem omnino ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expreßione personæ caute requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Tum nequis tam necessario subsidio fraudetur, deinceps districte præcipit *medicis, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, quod medicos advocent animarum.* Et si quis medicorum illi decreto minus paruerit, *eum tamdiu jubet ab Ecclesia*

Hom. suppl. 111. q. 6. art. 6.

Concil. Lateran. can. 21. T. VII. Concil. part. 2. p. 811.

ibid c. 22.

Ecclesiæ ingressu arceri, donec pro transgreßione huiusmodi satisfecerit competenter. Atque hæc quidem Innocentius; accurate sane, ac enucleate; ut tantum Canonistam decuit. Tridentini Patres auorum nostrorum memoria, eadem etiam fusius, ac callidius confirmarunt. Nam cum Innocentius hanc immanem, & inauditam, ac ne à sævissimis quidem tyrannis unquam tentatam in hominum animos dominationem, non aliter quam solo nutu, soloque mandato suo Christianorum generi commendasset; Tridentini ut tam duro jugo colorem conciliarent, edixerunt id divinitus à Domino Christo institutum fuisse, quod intelligerent scilicet nulli, nisi Deo, id in fidelium mentes esse juris. Itaque principio statim præfantur *universam Ecclesiam semper intellexisse institutam esse à Domino integram peccatorum confeßionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere*: & mox, siquis eam confessionem *negaverit vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino eum anathema esse* jubent. Tum vero nequid supersit ambigui, quam & qualem confessionem peccatorum intelligant, latius sigillatim exsequuntur. Statuunt enim *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discußionem conscientiam habent, in hac confeßione recenseri, etiam si occultißima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa*: hoc est, ut quivis videt, solius concupiscentiæ interius admissa delicta. Et venialia ipsa, tametsi *taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari posse* fateantur, *certè tamen & utiliter*, citraque omnem præsumptionem in confessione dici pronunciant. Neque peccata sola, sed eas etiam *peccatorum circumstantias* necessario in confessione *explicari* volunt, quæ *speciem* (ut loquuntur) *peccati mutant*. Hanc autem confessionem secreto apud unum sacerdotem edendam sollicite docent; *etsi enim Christum* concedant *non vetuisse quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri poßit*; definiunt tamen *non esse hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præcipi posse, ut delicta præsertim secreta, publica sint confeßione aperienda*. Quibus verbis publicam confessionem à sua arcana clarissime distingunt, ac summovent, quod illa scilicet ad *satisfactionem* pertineat, ejusque pars aliqua sit; hæc vero confessio sit, non satisfactoria, sed (ut loquuntur) *sacramentalis*, ac judicialis. Ac ne quis relictus esse videretur ambigendi, vel litigandi locus, his ita definitis, diris more suo deuouent, *anathema*que esse pronunciant, siquis non modo ista universa, sed vel unum ex iis negaverit. Ac ut intelligas, quam accurata sint & minuta istorum anathemata, id, quod nunc in Confessionis suæ adversarios jaculantur, hoc loco exhibere visum est. *Si quis dixerit* (inquiunt) *in sacramento pœnitentiæ ad remißionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt*

Sess. xiv. c. 5.
ibid. can. 5.
ibid. cap. 5.
ibidem.
ibidem.
ibidem 7.

sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eā confessionem tantum esse utilem ad erudiendū & consolandum pœnitentem; & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere, confiteri peccata venialia; anathema sit. Hæc illi; graviter sane, ac Romane. Sed neq; & illud prætereundum est, quod iidem Patres, ne quis confessionis huius suæ laqueos declinare, aut vitare ulla arte posset, alibi statuunt eam sui ipsius probationem, quam a quibusvis ad Domini mensam accessuris exigit Paulus, quamque adeo ipsi *necessariam* vocant, eo

Sess. xiii. c. 7. contineri, ut *nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Ac tametsi ad confessionem ex jure divino eos tantum o-ligari dictitent qui post baptismum peccatum mortale incurrunt, *tamen*

Tom. supplem in. q. 6 art. 3. *ex præcepto juris positivi omnes qui annos discretionis attigerunt, ad eam, simpliciter teneri* definiunt ex illo Innocentii III. decreto, quod nos nuper repræsentavimus. Itaque qui mortalibus peccatis caret, quibus proprie paratam volunt hanc confessionis medicinam, eum jubent venialia confiteri, vel certe se sacerdoti sistere, & profiteri se absque conscientia peccati mortalis esse. Atque ex his patet primo quæ sit famosa illa confessio, pro qua tam acriter pugnant adversarii, quæque vulgo apud eos dicitur confessio *vocalis*, vel *auricularis*, quod in arcano, & velut in aurem unius sacerdotis fiat, vel etiam *sacramentalis*, quod scilicet ad illud, quod in scholis suis fabricarunt, *pœnitentiæ* (vt vocant) sacramentum pertineat, sitque aliqua ejus materiæ pars, in qua id situm esse putant. Est nimirum huiusmodi confessio, qua fidelis peccata omnia mortalia, in quæ post baptismum labitur, eorumque præcipuas, & quæ speciem peccati mutant, circumstantias sigillatim, clare atque aperte sacerdoti revelat, atque enumerat, & commemorat, quatenus quidem reminisci, & serio instituto sui ipsius examine assequi animo potest. Secundo, hinc etiam videre est quam hujus confessionis necessitatem esse putent; eam nimirum, qua nemo, qui ad ætatem discretionis venerit, solvi debet, aut potest: sic vt omnes omnino Christiani, qui quidem adulti sunt, necessario ad id officii Romanis presbyteris præstandum, nemine excepto obligentur; ex jure quidem divino, quotquot peccati mortalis sibi conscii sunt; ex juris vero positivi, sive Ecclesiastici præcepto, etiam qui mortalis peccati conscientia carent. Iam quoties fieri debeat hæc confessio non definiunt quidem illi usque adeo accurate: Sed hoc tamen certo, ut audiuimus, docent, neque quemquam ad Eucharistiam accedere, vel admitti debere absque præmissa confessione, & singulos minimum semel quotannis confiteri. Denique fidelibus hanc suam confessionem non minus necessariam putant, quam baptismum catechumenis; neque enim illorum peccata mortalia sine cōfessionis vel re, vel voto magis remitti,

quam

quam horum sine baptismo. Nos vero totam hanc confessionis & definitionem, & necessitatem aversamur; velut humanum commentum, nulla Domini Christi, vel Apostolorum auctoritate, sed sola hominum libidine in Ecclesiam ad subjugandas honestis nominibus Christianorum omnium animas mala mente, malo animo invectum. Ac cæteras quidem pestilentis inventi labes nunc prætermittimus, alio loco, ac titulo explorandas, atque detegendas; quale illud est, quod isti ponunt pœnitentiam esse sacramentum; quod negant omnia admissa in Deum peccata esse mortalia; & alia quidem generis non pauca. Id tantum præsenti opere quærere instituimus, num hæc istorum auricularis confessio divini juris, ejusque adeo, quam ei vulgo tribuunt, necessitatis censeri debeat.

Caput III.

Status controversiæ. Operis argumentum, & partes. Quæstio I. An confessio sit divino jure instituta, ac præcepta? Probatur non esse, ex eo quod nusquam in Nov. Testam. diserte expressa sit. Prima adversariorum, qui ajunt, probationem ex Ioannis XX. sumptam, non esse evidentem? adeoque nihil valere, probatur ex plurimorum ex ipsis testimonio, qui cum confessionem admittant, negant tamen eam partim divini juris esse, partim Iohannis vicesimo capite præcipi.

De proposita quæstione duo sunt à Tridentina Synodo definita, quorum prius est confessionem illam suam auricularem *institutam fuisse jure diuino, eodemque illo jure omnibus post baptismum lapsis ad salutem necessariam esse.* Alterum est hoc ipsum, quod isti definiunt, *uniuersam Ecclesiam semper intellexisse; modumque adeo secrete confitendi soli sacerdoti,* quem ipsi nunc observant *ab initio semper observavisse.* Nos utrumque caput excutiemus; ac prius quidem priore loco, *an ista confessio sit juris divini:* secundum posteriori; quis fuerit Apostolicæ primum, tum antiquæ, & ejus quæ ei sequutis ad Innocentium usque III. temporibus successit, Ecclesiæ de hac *sacramentali*, sive *auriculari confessione* usus ac sensus. Sess. xiv. can. 6. & cap. 5. Ibidem.

Cum jus omne diuinum iis contineatur, quæ vel ipso innatæ rationis lumine recta, justaque, ac necessaria esse deprehenduntur, vel à Deo Optimo Maximo hominibus peculiari revelatione aut patefacta, aut instituta ac præcepta sunt; fatentur adversarii confessionem suam ad prius illud jus, quod *naturale* vulgo dicitur, minime pertinere, idque ita do-

cent omnes eorum Theologi, Thomas, Aureolus, Major, Petrus de Aquila, Denise, & alii innumerabiles in distinctionem decimam septimam libri quarti sententiarum. Confessionem quidem, quæ *fit Deo per recognitionem* peccati, Thomas concedit esse *de jure naturali*; hanc, *quæ fit homini*, negat. Vtrumque probat Aureolus, & alii; indeque esse aiunt, quod sub veteri lege populus & sacerdos peccata Deo confiterentur, non autem & homini. Excluso ergo naturæ jure, superest ut confessionem illam suam, quam juris divini esse volunt, jure aliquo à Deo posito, ac revelato niti defendant. Iam cum hujus juris nullum aliud sit certum, ac indubitatum documentum præter sacras literas, quæ Propheticis & Apostolicis scriptis continentur; eo denique omnis hæc prior potiorque disputationis nostræ pars redit ut expendamus num ex diuinis illis libris constare, certoque ac liquido demonstrari possit, Deum auricularem illam confessionem in Ecclesia Noui Testamenti instituisse, omnibusque sacro baptismo initiatis præcepisse.

Supplem. III. q.6.art.1.

in IV. d.17. art. 1.

Quid ergo illi in hac caussa ex Scripturis afferant videamus. Ac Tridentini quidem Patres nullum alium ad hanc suam confessionem constituendam locum adhibent, præter eum qui apud Iohannem capite vicesimo legitur. *Hæc cum dixisset Iesus, insufflavit, & dixit Apostolis: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* His enim verbis ajunt *Christum sacerdotes sui ipsius vicarios reliquisse, tamquam præsides ac judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient, constat enim* (inquiunt) *sacerdotes judicium hoc incognita caussa exercere non potuisse; neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua iis peccata declarassent.* Hæc illi. Ego vero respondeo in primis nihil neque hoc loco, ut apparet, neque usquam alibi in Novi Testamenti libris de arcana illa confessione diserte, clareque, & *expressis* (ut loquuntur) verbis præcipi; quod sane vel unum magno argumento est Dominum nunquam in animo habuisse aliquid hujusmodi in Ecclesia instituere, vel suis, quotquot sunt, fidelibus imponere. Nam baptismum quidem, quo suos initiari, & Eucharistiam, qua eosdem mortis suæ memoriam celebrare voluit, disertissimis utrumque verbis descripsit, & mandavit. De baptismo enim sic Apostolis præcipit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* De Eucharistia itidem tradunt Evangelistæ, & Paulus, Christum cum discipulis panem, & poculum gratiis actis vescendum, ac bibendum singulis porrexisset, sic præcepisse; *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Quibus verbis nihil clarius, aut disertius dici potest. Ergo ex iis exemplis

Ioh. xx. 22. 23.

Concil. Trid. Sess. XIII. c. 5.

Matth. XXVIII. 19.
Marc. XVI. 16.
1. Cor. XI. 24. 25 26.
Matt. XXVI. 26.
Marc. XIV. 22.

Luc. XXII. 17.

exemplis colligendum est, Dominum, si quidem is hoc pœnitentiæ, sive confessionis, ut volunt, sacramentum non minus necessario quam baptismum, aut Eucharistiam, suis m-ndare, atque injungere voluisset, similiter quoque mentem de hoc instituto suam claris, ac disertis verbis expressurum fuisse: tanto magis, quod cum baptismi ritus apud Iudæos esset cognitissimus, nempe apud eosdem penitus ignota esset illa sacri panis, sacrique calicis cærimonia, confessionis autem istius arcanum plane nouum, ac singulare, & apud omnes omnino mortales Hebræos, Ethnicosque inusitatum, ac inauditum esset, adhæc cum illa quidem facilia essent, & levia; hoc verò durum, & molestum; eo consultum videbatur, ut hoc multo, quam illa clarius, atque disertius præciperetur; nequis ignorationem suam, institutionisque Dominicæ obscuritatem prætexens, ignotum ac insuetum, & per se inhumanum ac dirum jugum detrectaret. Atqui Christus non modo nihil hujusmodi, sed plane contra, fecisse ac præcepisse in sacris litteris traditur. Nam duo quidem illa, baptismum scilicet, ac Eucharistiam, tametsi neque omnino ignota, neque ulla ex parte dura aut gravia, sed grata potius ac jucunda perspicuis, ac disertis verbis commendavit, ac præcepit, hoc vero confessionis auricularis mysterium, & penitus ignotum, &, ut ipsi adversarij ajunt, *in lege gratiæ longe difficillimum*, ac gravissimum, adeo tamen non explicavit, aut clare quid & quale, & quatenus necessarium esset, significavit, ut ne unum quidem de eo disertum verbum ex toto divinarum literarum instrumento proferre queant. Tantum loca recitant, in quibus quidem nihil de confessione auditur: ex iis vero, quæ in illis plane alia leguntur, isti Dialecticarum argutiarum vi, per multas longissime petitas, ut vocant, *consequentias* suam illam confessionem, ut ex pumice aquam Chymici, multo suo labore, nulla aut perquam tenui audientis assensione, ac persuasione extundunt verius, quam colligunt. Atque hæc quidem illorum ratiocinatio, qua suam confessionē ex Christi verbis apud Iohannem nuper descriptis, conficere se posse putant, quam non modo non clara & evidens, sed etiam dubia, atque incerta, & invalida denique sit, vel ipsorum de ea variæ, discrepantesque sententiæ satis fatentur. Nunc quidem, postquam Tridentinæ Synodi autoritate omnis in eam inquirendi libertas adempta est, catenisque, ut sic dicam, arctissimis constricta tenetur istorum ratiocinatio, nemo in eorum Scholis contra mutire audet; cunctique quantumvis repugnante proprio sensu, coguntur consequentiam illam, quam inde nectunt, admittere. Sed antequam tyrannico decreto in eam partem coacti essent, singulique non ex alieno arbitrio, sed ex suo judicio, quid sentirent, pronuntiarent, constat magnum ac multiplex fuisse inter eos de tota hac demonstratione dissidium. Primo enim fuerunt, qui confessionem à Christo his verbis institutam adeo non putarunt, ut quicquid est hujus instituti jure humano, non divino, in Ecclesiam introductum fuisse clare ac libere scripserint;

Major in iv. d. 17. q. 1. ex Scoto.

rint, qua in sententia fuerunt juris Pontificii glossator, *a* & Panormitanus *b*. nobilissimi, ac excellentissimi Canonum Latinorum interpretes. Glossatoris quidem hæc sunt disertissima verba: *Melius dicitur eam (confessionem) institutam fuisse à quadam universalis Ecclesiæ traditione; potius quam ex Novi & Veteris Testamenti auctoritate.* Panormitanus vero de hac ipsa Glossatoris sententia. *Multum* (inquit) *mihi placet illa opinio, quia non est aliqua auctoritas aperta, quæ innuat Deum seu Christum aperte instituisse confessionem fiendam sacerdoti.* Quin & Maldonatus cæterorum omnium Canonistarum hanc quoque sententiam esse ait: quod an vere dicat, necne, ego quidem liquido affirmare non possum, qui in isto litterarum genere non sum versatus; certe id ille ait, & quidem diserte. *Iuris* (inquit *c*) *Pontificii periti, secuti suum primum interpretem omnes dicunt confessionem tantum esse introductam jure Ecclesiastico.* Sed & Erasmi *d*. ac Beati Rhenani *e* idem quoque fuisse liquet de confessionis istius jure judicium; quos nemo nescit recentiori memoria in Romana utrumque communione vixisse, eruditissimosque absque controversia fuisse. Eorum testimonia alio oportuniori loco postea sum recitaturus. Sed inter eos ipsos, qui confessionem juris divini esse concedunt, quanta est de hac ex Christi verbis ducta ratione dissensio? Scotus *f*. Gabriel *g*, celeberrimi, ac pœne principes scholæ Romanæ viri, confessionis præceptum, quod divinum esse fatentur, ex Evangelio deduci posse negant; ex sola Ecclesiæ traditione haberi sentiunt. Neque dubitandum est, quin Clavasinus, summæ, ut vocant, *Angelicæ* auctor idem quoque senserit, qui postquam Aureoli, & aliorum quorumdam ex Iohannis loco argumentationes retulit; *Sed melior* (inquit *h*) *ratio, qua probatur quod sit de jure divino, est quod non credendum, quod Ecclesia & Apostoli istud jugum imposuissent hominibus tam periculosum, nisi Christus verbaliter Apostolis istud præceptum dedisset; sicut & de aliis Sacramentis (excepto baptismate) de quibus non patet, quando & quomodo à Christo expresse fuerint instituta.* Hæc vero ipsissima est Scoti *i* ratio, quam iste non diceret ea, quæ ex Iohannis XX. ducitur, meliorem, si quid hanc valere putavisset. Quæ autem Scoticæ illius rationis vis sit, & an vere aliis *meliorem* eam esse Clavasinus dixerit, nos postea loco suo expendemus. Nunc ad rem quam agimus, satis est, quod hi evidenter existimant ductas ex Evangelio ad confessionem constituendam rationes infirmas esse, & invalidas. Refert Becanus *k* Medinam Scoti hac in re sententiam sequi codice *de confessione*, quæstione secunda. Ego vero & ipsum Thomam idem sensisse ex eo suspicor; quod dum disputat, *an cum aliquo dispensari possit, ut non confiteatur*, dumque solvit objectum parti neganti, quam ipse tuetur, argumentum inde ductum, quod *confessio non legatur à Deo, sed ab homine instituta*, dum hoc, inquam argumentum solvit, *l* minime respondet institutam fuisse à Deo confessionem Ioannis capite vicesimo; quod omnino, ut quivis videt, respondere debuerat, si confessionem eo loco revera à

Christo

a Gloss. de pœnit. d. v. c. in pœnit.
b Abb. Panor. de pœnit. & rem. can. 12. omnis utriusq; sexus. In V Decretal.
c Disp. de Sacram. Tom. II. de confess. orig. c. 2. p. 45.
d Schol. in Epist. Fab. Hier. ad Oc. ep.
e Præf. ad Tertull. de pœn.
f Scot. in IV. d. 17. q. unica.
g Gabr. ibid. a. 1.
h Summ. Angel. part. 1. ver. bo. Cófess. 11.
i Vbi sup. si tertiu n membrum.
k in summ. de Sacr. c. 35. q. 2. art. 1.
l Supplem. ad III. q. 6. art. 6. resp. ad 1.

Christo institutam esse censuisset; sed hæc longe diversa habet; *Ad secundum* (inquit) *dicendum, quod præceptum de confessione non est ab homine primo institutum, quamvis sit à Iacobo promulgatum; sed à Deo institutionem habuit, quamvis expressa ipsius institutio non legatur; tamen quadam præfiguratio ipsius invenitur, & in hoc, quod Ioanni confitebantur peccata, qui baptismo ipsius ad gratiam Christi præparabantur: & in hoc quod Dominus sacerdotibus leprosos transmisit; qui quamvis non essent Novi Testamenti sacerdotes, tamen in eis Novi Testamenti sacerdotium signatur.* Hæc Thomas. Vides ut Ioannis locum in tam oportuno tamque necessario disputationis articulo omittat? Vides vt alia ad idem probandum adducat, plane infirma, & quod postea demonstrabitur, inutilia ac ficulnea? Quis crediderit virum doctum, & in paucis acutum, ad hæc venturum fuisse, si Ioannis locum, ex quo Tridentini demonstrationes suas exculpunt, idoneum putasset? Sed & qui existimant illum locum ad confessionem pertinere non tamen eodem omnes modo verba Christi eo trahunt. Sunt enim qui confessionem quidem à Christo *institutam* concedunt, *præceptam* vero ab eodem negant, qua in sententia, sive, vt ipse loquitur quo in errore Becanus *m* fuisse memorat, Bonaventuram in quartum, distinctione decima septima, dubitatione prima, circa textum Magistri; & Hugonem de Sancto Victore, libro secundo de Sacramentis, parte 14. capite 1. clarissimos, ut notum est, Theologos. Quibus nos Caietanum, nobilissimum item adversarum partium scriptorem, adjungimus, eadem commentariis in Ioannem clarissime secutum; quod & à Catharino *n* in suis contra Caietanum annotationibus reprehensum est, & à Vasque *o* observatum. *Si demum objicis* (inquit *p*) *Dominũ non præcipere hic, ut quæramus remissionem peccatorum à ministris, sed dare ministris suis facultatem remittendi, vel retinendi peccata confitentibus illa*; *fateor institutionem sacramenti pœnitentiæ hic haberi, non præceptum,* Hanc eamdem sententiam secutum esse Alexandrum quarta parte, quæst. 17. membro 3. articul. 2. & tradit Vasques *q* & ex Alexandri dictis patet. Neque ab ea alienum videri ait Iansenium, recentiorem Theologum. *Hunc enim cum Cyrillo in Ioannem cap. 56. existimare hanc potestatem collatam illo loco remittendi peccata non tantum esse in sacramento pœnitentiæ, sed etiam in baptismo. Iam cum in baptismo non requiratur specialis confessio*; merito concludit Vasques ex Iansenio non colligi pæcise ex istis verbis necessitatem confessionis sacramentalis, quæ fit in specie, magis quam in baptismo. Sed putasse Iansenium *eam inde colligi, quia* (inquit) *ita acceperunt Apostoli à Christo, & ita loco illo intellexerunt tradi potestatem sibi.* Id vero (ut recte obseruat Vasques) nihil aliud est, quam confiteri *sacramentalis confessionis* institutionem ex illis verbis minime deduci, sed vim tantum habere ex traditione Apostolica. Sed idem quoque de Ioannis Feri sententia existimandum est, qui hunc Ioannis locum, ut postea demonstrabimus, generaliter accipit de omni ea potestate peccata tum verbo, tũ sacramentis,

m in summ. de sacr. cap. 36. art. 1.

n de sacr. pœnit p. 187.

o T. iv in 3. Thom dub. 1. q. 90.

p in Ioh. c. xx. 22.

q Tom. iv in 3 Thom q. 90. dub. 1.

adeoque nominatim baptismo, remittendi, quam Apostoli à Christo acceptam habuerunt. Denique ipse etiam Thomas Valdensis, ut recte ab eodem Vasque *r* est observatum, in eorum quoque numero est, qui *confessionem arcanam* in illo Ioannis loco à Christo præceptam fuisse nō putarunt. Is enim *f* docet (ut Vasquis verbis utar) *confessionem non fuisse à Christo in præcepto positam, nec enim oportuisse, ut quod ipse in usu positum invenit præciperet. Christus ergo* (inquit Valdensis) *non instituit confessionem, sed quædam supplevit, quæ deerant.* Postremo denique etiam qui confessionem hoc loco præceptam esse consentiunt, eam tamen hinc aliter, atque aliter, non vero una, eademque ratione colligunt; ut videre est apud Scotum *t*. Aureolum *t*. Ioannem Maiorem *t*. Petrum de Aquila *t*. & alios de hoc argumento disputantes; quorum rixas, & diversas vias, quas ad hanc demonstrationem conficiendam, singuli sequuntur, non est operæ pretium referre. Neque vero, ut hoc intelligas, singulos, quod longum est, adire necesse est. Vnus Vasques satis erit, qui quæstione nonagesima *u* in tertiam Thomæ plerorumque probationes recenset, Thomæ de Argentina, Ricardi, Durandi, Almain, Dominici Soti, Alphonsi à Castro & Adriani quas omnes rationibus, partim iis, quibus illi ipsi inter se de more pugnant, aliique aliorum placita evertunt, partim aliis à se inventis atque excogitatis, valide confutat, ac refellit, & hanc disputationem aggrediens ingenue fatetur neminem pœne esse apud suos, qui istius confessionis necessitatem atque institutionem apte & feliciter ex illo Ioannis loco demonstret. *Inter eos* (inquit) *qui plane fatentur ex illis verbis Ioannis XX. necessitatem confessionis,* * *vix invenias qui efficaciter deducat.* Imo plane neminem eum scivisse, qui ipsi recte & efficaciter eam conclusionem deducere videretur, vel inde satis patet, quod ille neminem memorat, in cujus sententia conquiescat, & quascumque refert aliorum probationes, eas ipse, ut diximus, explodit, ac refutat. Vnde liquet postremo illam Tridentinorum ex hoc Ioannis loco pro sua confessione argumentationem frustra, ac inverecunde pro idonea demonstratione venditari, quam scilicet neq; certā, neq; evidentem esse clarissime inde cōstat, quod eam tam multi, acutissimi & exercitatissimi ingenij homines, tāto cum labore ac honore in hęc disputatiōnū palæstra versati, nondum videre ac percipere potuerunt; quam multi valere nō putarunt, ut Glossator, Panormitanus, Erasmus, Rhenanus, Scotus, Gabriel, Thomas, Clavasinus, Medina, Bonaventura, Hugo de Sancto Victore, Alexander Ales, Caietanus, Iansenius, Ferus, Thomas Valdensis, qui quantumvis in cæteris discrepent, in eo tamen omnes consentiunt, quod ex solis Christi verbis præcise haberi nequeat confessionis necessitas; quam denique efficaciter vix illorum ipsorum quisquam, Vasque judice, probarit, qui eam alioqui valere, & adhibendam esse putarunt.

r Vbi supra.

f Tom. II. cap. 40.

t in iv. sent. dist. 17.

u dubio. 4.

* deesse videtur scilicet aut concludi.

CAPVT

Caput IV.

Refellitur Bellarminiana confessionis ex Ioannis XX. probatio, eversis duobus ex ejus fundamentis.

SED omissis præiudiciis, rem ipsam nunc spectemus, quique sint illius ratiocinationis nexus, quæ vis, quod pondus per se expendamus. Eam quidem breviter, & quatenus Synodalium decretorum ingenium ferebat, exposuerunt Tridentini. Sed cum Bellarminus magna animi contentione in ea constituenda atque explicanda laboraverit, eaque omnia, quæ sunt à Tridentinis allata, & multa insuper alia corraserit, quibus hoc, quod Roma cupit, effectum daret; satius est cum eo congredi, quam in evertenda breviori aliorum disputatione tempus terere.

Bellarminus igitur in primis probationi suæ præstruit Apostolos, & qui iis successerunt sacerdotes, judices esse à Domino in Ecclesia constitutos in caussis pœnitentium, idque operosa argumentatione ex tribus Scripturæ locis firmare nititur, quibus multa Patrum Græcorum, Latinorumque testimonia & aliquot insuper rationes adjicit. Tum hoc jacto fundamento, illud secundò velut evidens, ac per se notum assumit, judicium sine cognitione caussæ ne cogitatione quidem fingi ullum posse. Vnde tertio colligit, non posse Apostolorum successores sacerdotes suo illo à Christo scilicet tradito in caussis pœnitentium judicandi munere fungi, nisi eorum peccata clare, distincteque cognita habeant omnia: neque vero ea clare distincteque cognoscere posse, nisi, qui admiserunt, ea ipsis aperte & sigillatim confiteantur. Ex quibus postremo conficit omnes, & singulos baptizatos, qui in mortale aliquod peccatum inciderunt, jure divino obligatos teneri ad id sacerdoti confitendum. Neq; enim dubitandum esse, quin jure divino pœnitentiam agere, & reconciliationem cum Deo quærere teneantur, quicumque se mortali peccato obstrinxerunt. Ergo cum, ut ex superioribus constare putat, confessio peccatorum omnium sacerdoti facta necessarium sit post baptismũ ad reconciliationem cum Deo medium, inde quoque evidenter sequi contendit, ad confessionem illam omnes peccatores jure divino teneri. Sed in hac sinuosa, & laciniosa Bellarmini argumentatione multa sunt partim falsa, & incerta, partim male cohærentia. Falsum est quod ille in primis ponit sacerdotes pœnitentium esse *proprie* dictos, & *pretoria auctoritate instructos judices*. Falsum est, quod tertio ponit, non posse Christi ministros suo illo sive judiciali, sive alio, pœnitentes reconciliandi munere fungi, nisi eorum peccata sigillatim cum peccatorum circumstantiis habeant cognita. Falsum est denique, quod quinto ex his concludit confessionem peccatorum omnium sacerdoti factam necessariam esse

L. III. de pœnit c. 2. toto.

esse ad consequendam eorum remissionem medium. Præterea vafrum est, ac subdolū, quod iste in hac caussa peccata mortalia à venialibus dividit, ac separat, quasi illorum duntaxat, non autem & horum, remissionem vel quærere debeat peccator, vel dare valeat minister. Sed & illud ejusdem est astutiæ, ac vafriciei, quod adversarius peccata ante baptismum commissa ab iis, in quæ post baptismum incidunt fideles, in hac caussa dividit; quasi hæc *tantum*, non etiam & illa & peccator curare, & minister remittere debeat. Ex quibus facile est argumenta Bellarmini dissolvere. Primo sic argumentatur: *Qui mortali peccato se obstrinxerunt, tenentur jure divino pœnitentiam agere & reconciliationem cum Deo quærere. Sed medium necessarium ad reconciliationem post baptismum est confessio peccatorum omnium sacerdoti facta. Ergo tenentur jure divino; qui post baptismum mortali peccato se obstrinxerunt, sacerdoti peccata omnia confiteri.* Respondeo involutum esse argumentum, ac primo concludere qui peccato mortali post baptismum se obstrinxerunt, eos jure divino teneri ad pœnitentiam agendam, & remissionem à Deo quærendam; quod verum esse concedimus. Fatemur enim cum ea sit Dei clementia, quæ homini omni peccanti sinum misericordiæ aperit, remissionem delicti promittit, cujusvis hominis peccato obstricti, officium esse, & quidem ex divino jure necessarium, ad Deum confugere, & ab eo peccati remissionem animo vere pœnitenti expetere; idque locum habere in omni omnino peccato; etiam *in veniali*, ut vocant; si quod sit tamen admissum in Deum peccatum, quod natura sua veniale censendum sit, quod nos quidem non admittimus, sed hic tamen indiscussum relinquimus. Neque enim si veniale aliquod peccatum fuerit, ex eo consequens erit, ut qui eo se obstrinxit, Deum adire, & admissi in eum delicti pœnitentia duci non debeat. Vnde liquet fallacem & dolosam esse illam adversarii propositionem primam, *Qui mortali peccato se obstrinxerunt, tenentur jure divino pœnitentiam agere*; Sic enim instituta est, quasi eos solos peccati pœnitere debeat, qui *letaliter* peccarunt, ac non etiam eos, qui (ut loquuntur) *venialiter* deliquerunt. Itaque ut legitimum sit argumentum, ita totum refingi debet, *Quicumque peccato se obstrinxerunt, ii jure divino pœnitentiam agere, delictique veniam à Deo quærere tenentur. At multi fideles, etiam post baptismum susceptum, peccatis se obstringunt: Ergo multi fideles etiam post baptismum, pœnitentiam agere, delictiq; veniam à Deo expetere, jure divino tenentur.* Concedimus omnia; imo etiam aliquid amplius, quam quod est conclusum. Cum enim tanta sit nostra, quamdiu hic vivimus, infirmitas, ut etiam ex sanctissimis nemo sit, qui non impingat, fatemur neminem esse ex baptizatis, qui non divino jure tenetur, veniam delictorum cum vera pœnitentia à Deo exposcere; juxta præceptam nobis à Domino Christo orationem, *Dimitte nobis debita nostra.* Alter syllogismus, Bellarminiana ratiocinatione involutus, & implicitus, ita explicandus est, ut sit legitimus. *Nulli qui post*

baptismum

baptismum peccarunt, veniam peccati consequi, & cum Deo reconciliari possunt, nisi peccata sua omnia sacerdoti sigillatim confessi fuerint; At multi fideles etiam post baptismum, peccati veniam & reconciliationem cum Deo, quærere jure divino tenentur: Ergo eodem quoque jure tenentur peccata sua omnia sacerdoti sigillatim confiteri. Respondeo majorem, si de quovis peccato, etiam veniali intelligatur, apud ipsos adversarios falsam esse: sin de iis solis qui mortale aliquid admiserunt, accipiatur, nugatoriam esse, & *principium* (ut scholæ loquuntur) *petere*. Hoc enim ipsum est, de quo quæritur, num scilicet quisquis in mortale peccatum post baptismum incidit, id sacerdoti confiteri necessario debeat, ut remisionem consequatur: quod nos, cum (ut notum est) negemus, adversarius probare, non sumere debuit. Præterea, qui ex adversariis tuentur confessionem illam iuris esse Ecclesiastici, non divini, ut glossator, & Panormitanus, negabunt argumentum valere, nisi major ex divino jure intelligatur, & probetur: sic nimirum, ut ex divino, non autem ex humano aliquo jure iis remissio peccati negetur, qui id sacerdoti confessi non fuerint. Itaque majorem illam ex jure Ecclesiastico veram esse fatebuntur: ex divino negabunt, unde porro fiet, ut quod concluditur, *qui peccato post baptismum se obstrinxerunt eos teneri peccata sua sacerdoti confiteri*, id *ex humano quidem jure* valeat, non autem, quod vult Bellarminus, *ex divino*. Sed ecce ille ex *divino* etiam *jure* propositionem majorem sic probat. *Christus* (inquit) *instituit sacerdotes judices super terram cum ea potestate, ut sine eorum sententia nemo post baptismum lapsus reconciliari possit. Sed nequeunt sacerdotes recte judicare, nisi peccata cognoscant. Ergo jure divino tenentur, qui post baptismum lapsi sunt, peccata sua sacerdotibus aperire: ac per hoc est confessio peccatorum medium necessarium ad reconciliationem iis, qui post baptismum lapsi sunt.* Hæc ita argumentatus, *hujus* (inquit) *argumenti sola propositio confirmanda est. Nam assumptio ita per se est evidens, ut nullo modo negari possit. Iudicium enim sine cognitione caussæ, ne cogitatione quidem fingi potest. Quocirca adversarii communiter ad nostrum argumentum respondere solent ministrum in hac re, non judicem, sed præconem esse Dei, neque pro potestate absoluere, sed tantum annuntiare pœnitentibus indulgentiam.* Sed Bellarminum victoriæ studium agit præcipitem. Neque enim si negemus ministris in hoc negotio prætoriam potestatem convenire, ex eo fit, ut nullo alio vitio laboret ejus argumentum, quam hoc uno, quod id ipsum ponit, quod nos negamus. Sane omnes scholastici sacerdotibus in pœnitentiæ (ut loquuntur) foro judicialem, ac prætoriam potestatem tribuerunt; Non ideo tamen iidem quoque confessi sunt omnes & singulos peccatores ad confessionem sacerdotibus edendam jure divino obstrictos esse. Prius illud fatentur Glossator, Panormitanus, Scotus & alij plures quam duodecim supra memorati, qui hoc tamen posterius vel omnino negant, vel certe ex Evangelio, in quo prius haberi admittunt, confici posse non putant. Neque vero ii soli negant.

Vasques, qui æque ac Bellarminus, Iesuita fuit, non semel id negat, imo & refellit, ac confutat, ut primò, cum Ricardi probationem, eodem hoc fundamento subnixam rejicit, quærens *unde constet cogi posse pœnitentes ab ipsis judicibus comparere in ipsorum tribunali; ob mortalia, sicut neque ob sola venialia cogi possunt?* tum mox Sotum reprehendit, qui Scoto eam opinionem affingebat, quasi is putasset sacerdotes judices esse tantum arbitrarios: *Quis hoc* (inquit) *Catholicus diceret, cum & ipse Scotus, & omnes Scholastici fateantur esse collatam potestatem absoluendi à Christo in illis verbis, sed tantum ex illis verbis, deduci potestatem absolvendi, non vero coactionem & obligationem in pœnitentes, ut compareant, nisi hoc aliunde constaret.* Et ipse multis docet id *ex hac potestate* non colligi; concluditque *cum potestate ordinaria Iudicis stare posse judicium illius subire esse liberum*, statimque diserte negat *ex illis Christi verbis*, quibus datam ministris potestatem judicialem concedit, *colligi confessionis præceptum, nisi aliunde suppleatur.* Vel unum hujus Iesuitæ judicium (neque enim is iners est, vel imbellis) ad evertendam omnem hanc Bellarmini disputationem satis est. Itaque si iste suam sententiam vere, ac solide probare, si probationem, qua eam fulcit, sartam tectamque, & undequaque clausam ac munitam præstare voluit, hæc ordine clare ac perspicue demonstrare debuit. Primò quidem ita fuisse sacerdotes peccatorũ post baptismum delinquentium judices à Christo constitutos, ut nemini post baptismum lapso venia peccati indulgeatur, nisi qui sacerdotis sententia proprie ac sigillatim absolutus fuerit. Non enim ex eo quod quis judex à Rege in republica constitutus est, sequitur nemini peccantium delictum remitti, nisi qui ab ipso illo judice fuerit absolutus. Quid enim? Siquis reus recta ad Regis ipsius clementiam confugiat, an nefas erit vel Regem reo ignoscere, vel reum de Regis venia confidere, nisi judicis sententia intercesserit? Atqui Deus, qui unus est Ecclesiæ rex, ita ministris suis hoc de peccatoribus judicium commisit, ut ipse etiam & delicta peccatoribus condonet, & gratiæ suæ vim in eorum pectoribus per Spiritum obsignet. Certe ipsi adversarii *venialia* (ut vocant) delicta, quorum alioqui *recte & utiliter* remissionem à sacerdotibus expeti, statuunt, docent tamen à Deo ipso sine sacerdotum ministerio, pœnitentibus remitti; neque adeo sacerdotibus necessario confitenda esse urgent. Ergo ut quod etiam de *ipsis venialibus* judicandi jus sacerdotibus à Deo commissum esse volunt, ex ipsorum sententia non eam vim habet, ut peccantes eorum, quæ in hoc genere admiserunt, veniam à sacerdote necessario expetere debeant, cum eam etiam aliter ab ipso Domino humili oratione impetrare possint; sed eo tantum valet, ut siqui sacerdotis sententiam in hoc genere expetant, ipsi facultas sit ex munere cælitus dato, eos absolvendi; ita in mortalibus quoque delictis rem se habere responderem, si sacerdotibus commissum fuisse de his judicium concederem. Nimirum, qualecumque sit *hoc munus*, eo quidem valere

In iii. Tom. iv. q. 90. dub. 1. §. 3.

ibid. §. 6.

ibid. §. 7.

ibid. §. 8.

ibid. § 10.

Concil. Trid. Sess. 1. v. c. 5.

valere ut sacerdoti fas sit peccatorem se conuenientem, ac suam sententiam expetentem, absolvere; hocque ejus judicium ratum sit; non tamen; ut quemquam se adire, suamque auctoritatem adhibere cogat, quasi aliter, nisi de eo ipse pronuntiaverit, salvus esse non queat; quasique Deus non, ut venialia, sic quoque mortalia pœnitenti, ac precanti, per se condonare possit. Quod argumentum & vidit, ut erat acutus, & diserte expressit Vasques in sua contra Sotum pro Scoto disputatione. *Etiam* (inquit) *in peccatis venialibus absolvendis sacerdos est judex ordinarius, & ita potestate ordinaria, non arbitraria absolvit, Tamen comparere in judicio ad obtinendam absolutionem venialium non est necessarium, sed liberum pœnitenti. Vnde jam cum potestate ordinaria stare potest judicium illius subire esse liberum & arbitrarium in eo sensu, quem intendit Scotus.* Ex quibus paulò post ita colligit; *Non sequitur, judex potest mihi beneficium absolutionis (quod revera beneficium est cum sit sententia absolutionis) impendere potestate ordinaria: Ergo teneor in suo judicio comparere. Ego enim possum libenter hoc beneficio carere. Et quamvis tenear justificari, & ad Deum converti, ut supra diximus quæst. 86. art. 2. hoc præstare possum contritione & confessione coram Deo.* Hæc ille, quæ sola, si vel maxime nihil aliud esset, ad evertendam omnem Bellarmini ratiocinationem satis sunt. Sed & secundò aliud ipsi non minus necessario probandum fuit, de quo vel parum, vel nihil sollicitus fuisse videtur, nimirum hanc, quam sacerdotibus commissam fuisse vult à Christo, judicandi potestatem, hujusmodi esse, quam illi sine accurata singulorum peccatorum cognitione exercere nequeant. Atqui eam illi, quoties baptismum sacrum hominibus adultis conferunt, liquido exercent, & quidem validissime: (neque enim unquam alias peccata plenius, ac, ut sic dicam, absolutius remittunt, quam dum baptizant) neque tamen ullam singulorum, quæ dimittunt, peccatorum confessionem, aut enumerationem à baptizando exigunt. Quid ergo prohibet, qoo minus de baptizatis quoque eodem modo judicent? Fateor *judicium nullum sine cognitione caussæ*, quod objicit Bellarminus, *recte ac legitime institui posse.* Sed neque qui adultum catechumenum baptizat, sine caussæ cognitione judicium de eo suum peragit; neque tamen enumerationem singulorum criminum ab eo exigit. Non ergo hujus cognitio caussæ in singulorum peccatorum auditione, ac consideratione sita est. Fateor si sacerdoti id à Christo datum esset muneris, ac negotii, ut singulorum peccata pro merito quodque suo puniret, ac vindicaret, tum necessariam ei futuram singulorum cognitionem, ad hoc ut imposito munere recte fungi posset. Nunc plane aliter est. Christus enim peccata non puniendi, sed remittendi, & quidem non pro ipsorum delictorum ratione, sed pro peccantium ingenio, atque statu, ministerium servis suis dedit; ut si quem scelerum in Deum, vel in proximum admissorum ex animo pœniteat, ei crimina omnia, qualiacumque, & quantacumque sunt, condonent, sin duro & obstinato

corde pœnitentiam respuat, isti nulla delicta, quantumvis alioqui levia, remittant. Quis non videt ad hoc exercendum ministerium, non peccati, sed peccantis explorandum esse ingenium? caussamque hanc totam in eo sitam esse, ut teneat sacerdos, non quæ, qualiaque sint peccatoris ad eum accedentis delicta, sed quis, qualisque sit ipse peccator? an eum scilicet delictorum pœniteat, necne? an is vere resipiscat, an secus? Itaque cum judicem caussam ipsam pernoscere, ac intueri deceat, quæ extra caussam sunt, curiosius scrutari non modo non necesse, sed etiam turpe ac indecorum sit; nemo non intelligit istos nobis secure illudere, qui ut datum à Christo peccati cujusvis pœnitenti condonandi jus rite exercere valeant, caussantur sibi necessario discendum, accurateque tenendum esse, non quæ sit ad eos accedentium pœnitentia, ex qua una totum hoc judiciũ pendet, sed quæ fuerint illorum delicta, quæq; singulorum delictorũ singulares circumstantiæ; à quibus tamẽ usque adeo non pendet id judiciũ, ut crimen neque si levissimũ, condonari, neq; si gravissimũ fuerit, retineri debeat, si modo peccatorẽ vel hujus pœniteat, vel illius nõ pœniteat? Atque hinc patet, quam nihil ad confessionis necessitatẽ faciat prætoria illa, quã adversarii sacerdotibus suis vindicant auctoritas. Esto sane eorum dignitas prætoria; esto etiam, si lubet, regia, vel, despotica, vel monarchica. Nihil id quidem ad præsentem caussam interest. Qualecumque enim eorum munus finxeris, *ministeriale* certe esse non negabis, ad Dei potestatem comparatum, & quidem à Deo illis impositum, ut qui ad ipsos accedunt peccatores eos pro ipsorum vel pœnitentia, vel impœnitentia, vel absolvant, vel ligent; quæ tota (ut liquet) caussa, eorum non peccata singula, quod tu vis, sed fidem ac pœnitentiam explorari, ac pernosci à sacerdotibus, quod ego contendo, postulat. Frustra ergo gloriatur Bellarminus se, *si ex Evangelio probaverit Apostolos, & eorum successores judices esse à Domino in Ecclesia constitutos in caussis pœnitentium*, simul etiam eademque opera confecturum, *jure divino confessionem peccatorum in specie coram sacerdote esse faciendam.* Nam neque si sacerdotes judices fuerint, eo fiet, vel ut nemo cujusquam peccati remissionem nisi ex peculiari eorum sententia consequatur, vel ut qui remissionem per eorum ministerium obtinent, ii peccata ipsis sua sigilatim omnia una cum circumstantiis confiteri, ac enumerare necessario debeant, neque ex altera parte, si non judices, sed præcones modo fuerint, eo efficietur, ut fideles ad obtinendam peccatorum veniam vel eos adire, vel iis peccata confiteri minime debeant. Neutrum ius illis hac judicum dignitate vel data quæritur, vel negata eripitur. Quo factum est, ut etiam qui sacerdotibus à Christo attributum munus, magnificentissime extulerunt, neque prætoriæ tantum, sed & regiæ dignitati æquipararunt, eo tamen minime putarint id juris ipsis divinitus collatum esse, ut omnes omnino Christiani peccata sua apud eos sigillatim in aurem confiteri debeant, quod ex iis constat, quæ supra de Panormitano, & Scoto

l. III. de pœn. c. 2. § Quare si

& Scoto observavimus. Itaque Bellarminus extra oleas (quod vulgo dicitur) de more hic evagatur, cum tam fuse, tamque multis rationibus illam sacerdotum judicialem auctoritatem confirmat, rem, ut liquet, ab hoc argumento alienam, & alibi, scilicet in quæstione de ministrorum Ecclesiasticorum munere atque dignitate, pertractandam. Nos tamen hominem sequemur, etiam exerrantem, ac de prætorio quidem illo iure, quod sacerdotibus tribuit, parce & breviter, de iis vero, quæ propius ad confessionis jus pertinent, fusius ac diligentius differemus.

Capvt V.

Refutatur tertium Bellarminianæ ex Ioannis XX. probationis fundamentum; nimirum quod auctoritas sacerdotum in remittendis, retinendisve peccatis, judicialis ac prætoria sit. Solvuntur quæ ad id probandum affert adversarius. Primum, ex Matthæi XVI. 19. *Secundum, ex Matth.* XVI. 19. *&* XVIII. 18. *ubi refellitur quod ille astruere cupit; nulla mortalia fidelibus dimitti, nisi quæ à sacerdotibus proprie, ac sigillatim dimissa fuerint.*

Affert ergo primo loco Bellarminus verba Christi ad Petrum, *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Matth. xvi. 19. Quæso te, nonne plane heroïca est istius Dialectica, qui hinc conficit *omnem utriusque sexus fidelem postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata proprio sacerdoti necessario confiteri debere?* O admirabile enthymema; *Christus Petro claves regni cœlorum promisit; Ergo sacrificulis Romanis omnes Christiani quicquid, etiam in Deum peccaverint, etiam arcana animi concupiscentia, revelare ac confiteri sigillatim jure divino debent.* Profecto his artibus etiam Alcoranum Mahumedis ex Christi Evangelio facile fuerit demonstrare. Sed Bellarminus, ut novam & hactenus orbi Christiano inauditam demonstrationem exstruat, primo observat etiamsi *locus contineat promissionem soli Petro factam, tamen neque Catholicos, neque hæreticos dubitare, quin Petrus acceperit claves, non tantum ut ipse eis uteretur, sed etiam ut eas cum cæteris sacerdotibus communicaret.* Has quidem claves, quas hoc loco Christus Petro promittit, cum aliis sacerdotibus communicatas non omnes tibi assentiuntur, Bellarmine, quos tu Catholicos vocas. Ioannes Maldonatus, Iesuita, tibi credo Catholicus est. Audi quid ille in hæc ipsa Domini verba scripserit. *Nego*

(inquit) *has de quibus hic agitur, claves habuisse* cæteros præter Petrū Apostolos; *& nego eas, quas habuerunt. quasque omnes semper Catholici vere quidem, sed alio tamen sensu claves appellarunt, in literis claves appellari.* Potuitne iste fortius ac disertius Bellarminianæ molis primum fundamentum subvertere? Ergo illa, si vel Maldonatum audimus, tota penitus corruit. Nam si claves istæ ne aliorum quidem Apostolorum fuerunt, multo minus sunt quorumvis Romæ sacrificulorum; quibus adeo nullum jus inde quæritur, quod claves istæ Petro promissæ sint. Quicquid enim istarum clavium nomine significetur, id ex Maldonato constat non ad alium, quam ad Petrum ex hoc quidem loco pertinere. Ergo Maldonato judice, frustra, ac inscite datas Petro claves in hanc non de Petro, sed de omnibus, etiā minutissimis sacerdotibus quæstionē, induxit Bellarminus. Nos vero, quos iste convitiator solenni maledicentia *hæreticos* vocat, *claves* istas cęterorum Apostolorum communes quidem fuisse cum Petro confitemur; cum iis à Petro, quod iste significat, *communicatas*, absit ut fateamur, qui à Christo omnibus Apostolis immediate, & ex æquo datas scimus. Iam quæ iste de *harum clavium* interpretatione à nostris, ut ipse quidem ait, allata hic disputat, nihil nunc quidem necesse est vel refellere, vel excutere. Ad hanc caussam satis est, quod *claves* quomodocumque sumantur, non conficiunt prætoriam esse eorum, qui eas habent, in pœnitentes potestatem. *Claves*, inquit, *dantur non ad significandum ostium esse clausum, vel apertum; sed ad aperiendum, & claudendum re ipsa.* Ergo his *clavibus* significata à Christo potestas jus est, non significandi clausum aut apertum esse regnum cœlorum, sed re ipsa aperiendi, claudendique regni cœlestis. Esto inquam. Quid tum postea? Ergo, inquit, cum claves istas Christus Apostolis, eorumque successoribus, dedit, prætoriam potestatem, auctoritatemque judiciariam iis donavit. Quasi vero ostiarii dignitatem prætoriam esse necesse sit. Quibus claues regni cœlestis creditæ, eos ego fateor illius regni esse ostiarios. Ostiarii potestatem aliquam esse, munus aliquod esse lubens concedo, prætoriam esse auctoritatem, & nego, & hactenus est inauditum. Nimirum hoc suis ministris jus Christus concedit, ut *in regnum Dei dignos*, id est credentes & pœnitentes recipiant; *indignos*, id est incredulos & impœnitentes *excludant*. Sic ipsi adversarij claves istas definiunt. Id vero jus Evangelij ministris datum fuisse fateor probari ex adducto loco, si is non ad solum Petrum, sed ad cæteros etiam pastores pertinere existimetur; Id jus *judicialem* esse, & *prætoriam* proprie auctoritatem ex hoc, vel alio Evangelii loco haberi, pernego. Neque valet, quod affert adversarius, *quod de Christo in Apocalypsi scriptum est*, Qui habet clavem David, *omnes intelligere de vera, & proprie dicta potestate, qua possit Christus ex auctoritate judiciaria absolvere & ligare.* Illa enim quæ Christo tribuitur, *Davidis clavis* summam, monarchicam, ac plane divinam Domini Christi in omnes creaturas potestatem significat; quam neque Petro, neque Apostolis,

Bell. in 17. d. 18. q. 1.

Apocal. III.

Apostolis, nedum cunctis sacerdotibus, concessam unquam fuisse, uniusque Christi propriam esse, omnes Christiani fatentur.

Sed cum videret Bellarminus objici posse jus cœlestis regni aperiendi, quod *clavium* nomine significatur, sine ulla judiciaria potestate apud suos exerceri, qui etiam laïcis, quos omni judicandi munere carere in confesso est, jus baptismi conferendi concedunt, id est, ut liquet regni aperiendi; ad hanc ille objectionem sic respondet, ut plane fit ridiculus. Ait enim *potestatem clavium esse potestatem judiciariam, & ideo proprie tantum erga eos exerceri qui sunt in Ecclesia*; Quid enim ad me de iis qui foris sunt judicare? *inquit Apostolus* 1. *Corint.* VI. *Itaque*, inquit, *per baptismum admittuntur homines ad Ecclesiam, ac sacerdotum judicio, ac potestati subiiciuntur; sed si deinde peccaverint, sine clavium beneficio nullo modo reconciliari queunt.* Quid audio? *Potestas clavium* (inquit) *erga eos tantum exercetur, qui sunt in Ecclesia.* Atqui nemo non videt clavium potestatem jus esse aperiendæ domus, vel civitatis. Neque est obscurius iis etiam, imo vel maxime in hoc quidem negotio, aperiri, qui sunt foris. Ergo constat clavium potestatem erga eos etiam, imo vel maxime, qui foris sunt, exerceri. Itaque qui baptismo in Ecclesiam, sive in cœli regnum admissi sunt, omnino necesse est iis apertas fuisse regni illius portas; quæ cum non aliter, quam clavibus aperiantur, necesse est fateri claves & habuisse & exercuisse, qui eos in regnum introduxit. Qui vero introduxit, eum nullam vel habuisse, vel certe exercuisse potestatem prætoriam, in confesso est. Nullam ergo claves illæ prætoriam potestatem continent. Neque contra quicquam valet allatus ex Apostolo locus, qui nullas istic *claves* nominat, sed de eorum ejectione, atque excommunicatione loquitur, qui turpi & infami vita Christi & Ecclesiæ nomen dehonestant. Neque si clave opus est ad eum ejiciendum, qui in domo male & inhoneste se gerit; sequitur clavem minime esse adhibendam ad eum, qui foris est, recipiendum & admittendum. Miræ vero sunt istæ, & plane inauditæ Bellarmini claves, quarum nullus est ad urbem iis, qui foris sunt, aperiendam usus. Quod autem Apostolus videtur concedere eos, qui in Ecclesia sunt, *judicari ab Ecclesia*; id ad jus excommunicandi pertinet (quod nos absit, ut Ecclesiæ præpositis negemus, quoties peccantis crimen grave est, & cum scandalo conjunctum) Ad jus peccati pœnitentibus in foro, ut vocant, *conscientiæ*, quod secretissimum est, *remittendi* non pertinet; quod nos ministrorum quidem esse concedimus, cum auctoritate prætoria conjunctum esse negamus. Sed & hic præterea observandum est Apostolum isto loco de iis loqui qui simpliciter & absolute *foris sunt*, id est, qui non modo Christianismum non profitentur, sed neque se ullam ejus profitendi voluntatem habere testantur, quales erant Ethnici idololatriæ sine ullo veritatis Evangelicæ sensu addicti, inter quos Corinthii fideles tum vivebant. De istis sane nihil est quod judicent ministri, quorum nulla est cum

est cum Ecclesia vel communicatio, vel communicationis voluntas. De iis, qui Ecclesiam nondum quidem reipsa ingressi sunt, ingredi tamen cupiunt, quales sunt catechumeni *competentes*, quique foris ita sunt, ut intus esse velint, res aliter habet. Fateor istos communione ejici non posse, in quam scilicet nondum sunt admissi; adeoque neque illi Ecclesiæ *judicio* subiici, quo excommunicatio vel in aliquem decernitur, vel antea decreta solvitur. Simpliciter tamen, & absolute, nullo de iis modo, aut sensu *judicare* posse ministros evidentissime falsum est. Quis enim ministros id juris in istos habere neget, ut *baptismum* iis vel conferendum, vel negandum *judicent?* Hujusmodi de istis *judicium* Ecclesiæ præpositis convenire res ipsa clamat, à veteribus ita administratum, atque exercitum fuisse vel ex uno Augustini *de fide & operibus* libro satis patet. Neque quod supponit Bellarminus *neminem nisi jam baptizatum ministris subjici* verum est. Thomas contra diserte scribit *quisquis baptismum petit, hoc ipso se ministro Ecclesiæ subjicere*; perinde ut qui absolutionem *petit*, se eidem *subjicit*. Ergo hactenus ministro de utroque statuendi jus est; de illo, an baptizari; de hoc an absolvi debeat. Itaque, ut hunc locum concludamus, *clavium* nomen, non modo non probat, sacerdotum munus judicialem aut prætoriam in fideles potestatem continere; sed plane contra demonstrat hujusmodi potestatem ab hoc munere abesse, cũ & ostiarii munus, quod *clavium* nomen significat, longissime ab ea dignitate absit, & vero id quicquid est juris, in aperiendo per baptismum regno, sine ulla hujusmodi potestate exerceatur.

suppl ad III. q 6. art. 1. resp.

vers. 19. Secundo; Vrget adversarius illa Christi verba, tum ad Petrum Matthæi decimo sexto capite, *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*;

vers. 18. tum ad omnes Apostolos capite decimo octavo, *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Ligare (inquit) & solvere *non significant denuntiare vel declarare, sed reipsa vincula injicere, aut demere.* Esto inquam: (neque enim est hic locus ea de re disputandi) Ergo, inquis, quibus id à Christo muneris committitur, ii prætoriam habent in eos, qui ligant, vel solvunt, potestatem. Faterer, si nulli solverent, aut ligarent, nisi qui judices, aut prætores sunt. Nunc, quis non videt rem longe aliter habere? Nunc & judicum ministros & sententiarum à prætore latatum executores, id est accensos & apparitores, & principum legatos ac nuncios, hoc sensu *& ligare, & solvere*, notum est; quos tamen hactenus *judices* aut *prætores* esse nemo dixerit. Cæterum in his *& clavium, & ligandi, solvendique* expositionem apud adversarios usitatam admisi, non quod eam optimam, & Christi Domini verbis ac menti maxime consentaneam putem; sed quod cum illa disputatio ab ea quam tractandam suscepi, controuersia aliena sit, piguit pluribus in ea immorari. Nam ego quidem, ut obiter aperiam, quid de his locis sentiam, paulò

paulo aliter illa Domini verba accipienda esse existimo; ut per *claves* quidem *regni cœlorum*, quas Petro promittit, totius Ecclesiæ Christianæ magisterium intelligatur; metaphora ab usu Iudæorum sumpta, apud quos *clavis* Magistrorum, sive Doctorum insigne fuisse videtur; eoque alibi Dominus haud obscure allusit, quo loco *legis peritos* ait *clavem scientiæ tulisse*. *Ligare* vero, & *solvere* nihil aliud est quam quid fas sit, vel nefas, quid liceat, quid non liceat, definire ac constituere; quæ horum verborum significatio apud Iudæos, quorum vulgari sermone utebatur Christus, familiaris & erat olim & etiam nunc est, quod ex Rabbinorum libris satis apparet, in quibus אסר *ligare*, & התיר *solvere* nihil aliud est quam *prohibere*, & *permittere*; ut cum vulgo aiunt *nihil ligasse Ezechielem & Davidem, quod non esset ligatum in lege*. Hinc אסור *ligatum* illis dicitur quicquid prohibitum est, quicquid vel Moyses, vel majorum traditio profanum, & illicitum esse pronunciavit; מותר contra *solutum* quicquid est legitimum; quicquid per Dei legem, & veterum διδασκάλων facere licet. Ergo Dominus Petro hujusmodi in Ecclesia sua, quæ cœlorum regnum est, magisterium, sive doctoris munus tribuit, quo de religione, & omnibus ad eam pertinentibus judicare, ac definire; ac quid in ea sequendum, quid fugiendum, quid fas, nefasve existimandum sit, statuere possit, ratum apud Deum fore promittens quicquid ille docuerit, ac definiverit. Idemque est eorum, quæ omnibus postea Apostolis promisit, sensus, fore scilicet, ut quæcumque caussa cognita pronunciabunt vel *justa*, vel injusta esse, ea Deus eodem quoque loco habiturus sit. Sed hæc obiter. Siquis plura desiderat, adeat viri eruditissimi Ioannis Cameronis, præceptoris olim mei, numquam mihi sine prolixa honoris atque observantiæ præfatione appellandi, commentarios. Ex his satis liquet, quam longe à Bellarmini caussa distet uterque Matthæi locus.

Luc. xi. 52.

Matt. xviii. 19.

Lection. in Matth. xvi. 19. & xviii. 18.

Sed hic operæpretium est considerare, quomodo adversarius soluat, quod hic sibi objici posse videbat. *Dices*, inquit, *Esto. Possint sacerdotes solvere, & ligare, non tamen idcirco necesse est ad eorum tribunal accedere. Non enim Dominus ait*; Et quæcumque non solveritis, non erunt soluta. *Itaque poterunt quidem illi solvere, siquis eorum ministerio uti voluerit; sed poterit etiam peccator alia ratione sine ipsorum ministerio reconciliari. Quemadmodum cum regum auctoritate judices publici constituuntur; possunt illi quidem judicare omnes, qui ipsorum opera uti volunt; non tamen coguntur, qui lites habent, ad publicos illos judices accedere, sed possunt arbitros eligere, aut etiam ipsi per se caussam suam componere.* Hactenus objectio, quam & nos supra attulimus. Nunc eam ita solvere aggreditur; *Etiamsi*, inquit, *possint privati homines lites, quas inter se habent: sine publicorum judicum sententia componere, non possunt tamen eas lites componere, quas cum Rege ipso habent, nisi illum adeant, quem Rex suo loco esse voluit. Porro peccata omnia caussæ sunt, quas cum Deo ipso habemus; & ideo cum Deus judicium de*

peccatis sacerdotibus permiserit in Ecclesia sua, non possunt qui in Ecclesia sunt, si ejusmodi caussas habeant, sine sacerdotum judicio cum Deo reconciliari. Quare illa negatio, Quæcumque non solveritis, non erunt soluta, *quamvis expressa non fuerit in eo loco Evangelii, tamen aperte colligitur, tum ex illa affirmatione.* Quæcumque solveritis, erunt soluta; *qua sacerdotes judices futuri dicuntur in caussis contra Deum; tum etiam ex illa*, Quæcumque ligaveritis, erunt ligata; Ligare *enim est non solum novum vinculum addere, ut excommunicationis; sed etiam vinculum peccati confirmare, ac retinere, ut in alio Evangelista explicatur, & denique nolle solvere. Quod si possent rei sine sacerdotum sententia à peccatis absolvi, non esset vera Christi promissio*, Quæcumque ligaveritis, erunt ligata. Hactenus Bellarminus. Ego vero fateor quodam sensu vere dici potuisse Apostolis, *Quæcumque non solveritis non erunt soluta*; similiterque de Christi ministris, qui in Ecclesiæ gubernatione Apostolis successerunt; dici posse, *Quæcumque illi in terris minime solvunt, ea neque in cœlis solvuntur*; ita nimirum ut utrumque dictum intelligatur de generali tum Apostolorum, tum aliorum Ecclesiæ ministrorum, doctrina, ac sententia. Ea enim est Evangelii illis à Christo traditi veritas, ut ex eo Deus singulos homines & nunc privatim judicet, & publice olim sit judicaturus, neque alia peccata solvat, quam quæ illi ex Evangelio solvunt, hoc est, quæ remissum iri docent ac definiunt. Iam cum illi hoc modo (in genere scilicet) & oris prædicatione, & animi etiam voto ea omnia solvant, quorum peccantem vere apud Dominum pœnitet; apparet nulla superesse, quæ non ipsi quatenus licet, *solverint*, præter ea quæ cum incredulitate, ac impœnitentia ad vitæ finem coniuncta fuerunt. Sed hic sensus, qui nihil ad rem adversarii facit, ab ejus quoque animo procul abfuit; intelligit enim, ut tota clamat ejus disputatio, *solutionem* hujusmodi, qua non in genere hæc, aut illa peccata à Deo dimitti affirmantur, votoque ac sententia nostra, quantum in nobis situm est, dimittuntur: sed qua, vel unum, vel plura singularis cujuspiam personæ, puta *Petri* aut *Ioannis* peccata, ex rei confessione clare, ac sigillatim cognita propria sacerdotis sententia, ex vulgari Ecclesiæ Romanæ forma remittuntur his verbis, *Absolvo te à peccatis tuis:* Ergo intelligit adversarius quæcumque peccata ea ratione ab Apostolis, vel à sacerdotibus, quos in eorum quoque vocabulo complectitur, proprie ac privatim soluta non fuerint, ea vere apud ipsum quoque Deum, insoluta esse; qualiscumque de cætero ejus, qui ea commisit; fides ac pœnitentia sit. Atque ita adversarios statuere necesse est, si quod contendunt, tenere velint; scilicet posita sacerdotum judiciali in absolvendo auctoritate, omnibus post baptismum lapsis ad eorum tribunal necessario accedendum esse, quod omnes vident minime ex eo confectum iri, si peccator, etiamsi própria & peculiari eorum sententia non solutus, alia ratione delictorum à Deo veniam consequi potest. Sed hoc tamen, quod tanti est momenti, ut nisi id evicerint, caussa eos

si eos cadere necesse sit, tam molliter, tamque ignave defendit Bellarminus, ut ludere potius, quam serio disputare videatur. Non excutio quam ab adversariis suis objici posse ait similitudinem. Certe ipse eam non solvit. Illud enim discrimen, quod inter lites statuit, eas quæ nobis sunt cum privatis, & eas quæ sunt cum ipso Rege, plane ineptum est, atque ridiculum, Nam si privato homini, quicum mihi res est, licet de lite, vel offensa, mecum sine publicorum tribunalium sententia transigere; cur non idem quoque licebit Regi? An is, quam privatus, aut minus in sua juris habet, aut publicis tribunalibus plus obsequii debet? Atqui plane contra est. Nemo enim est in tota Republica, qui vel de suis liberius statuere queat, vel à judicibus, quorum summus rector est, minus pendeat, quam Princeps. Ejus ergo hac in parte si non potior, ac superior: certe par eademque est, quæ privati alicujus ratio. A privato autem homine & offensæ ultionem, & litis molestiam deprecari, ejusque veniam ac pacem sine publicorum judicum opera, privatis officiis promereri licere, & communis rerum humanarum experientia testatur, & ipse adversarius confitetur. Ergo quin idem à Rege eadem quoque ratione impetrare possimus, dubitare nefas est; eo minus, quo major esse & debet, & sane solet principum virorum, quam privatorum homuncionum liberalitas, atque clementia. Ex quibus patet, etiam ubi judicum tribunalia ad cōponendas lites constituta sunt, non tamen ita esse eorum auctoritatem omnibus adhibendam, quin & aliter sine ipsorum sententia, & interventu, lites, qui volunt, componere non possint. Itaque si sacerdotibus in fidelium remittendis peccatis attributam fuisse à Christo prætoriam potestatem daremus (quod non est concedendum) non ideo tamen sequeretur nullius peccati sine eorum sententia dimissionem posse obtineri; cum singulis, qui peccarunt, Deum ipsum cujus res agitur, adire, & ab eo veniam delictorum impetrare per pœnitentiam & deprecationem liceat. Is enim passim in utriusque fœderis libris omnibus peccantibus, qui ad se cum vera pœnitentia confugerint, veniam admissorum bona fide pollicetur; & Christus suos jubet æternum illum Patrem quotidie precari, ut peccata ipsis dimittat, certamque spem facit eos & id & alia quæcumque in nomine suo petiverint, à clementissimo Domino impetraturos; neque usquam eam vere pœnitentibus legem fert, ut quorum peccatorum veniam flagitant, ea sacerdotis sententia solui curent, non aliter ipsis à Deo dimittenda. Frustra ergo contendit adversarius nulla fidelium peccata à Deo solvi, nisi quæ à sacerdotibus ea ratione soluta fuerint. Quod ipse liquido falsum esse, negare non potest. Nam & venialia, etiam à nullo sacerdote soluta, solvi tamen à Deo fatetur, si peccantem eorum pœniteat. Et ipsa mortalia itidem à Domino iis dimitti concedit, quibus sacerdotis copia non fuit, quique necessitate circumventi sine ejus sententia discesserunt. Nam qualecumque talium peccatorum de adeundo, ubi primum liceret, sacerdote propositum

fuerit, clarum tamen est non fuisse eorum peccata per sacerdotis sententiam soluta. Neque quicquam valent, quæ contra affert Bellarminus. Ait *hanc negationem*, Quæcumque non solveritis, non erunt soluta, *aperte colligi ex illa affirmatione*. Quæcumque solveritis, erunt soluta, *qua* (inquit) *sacerdotes judices futuri dicuntur in caussa contra Deum*. Respondeo primò, neque istic dici, neque inde colligi sacerdotes esse judices; neque si id diceretur, sequi vel ut alias caussas sacerdotes judicare debeāt, quam quæ fuerint ad eos delatæ; vel ut nullas à Deo ipso sine eorum sententia per se immediate judicari sit nefas; vel denique ut omnes omnino hujusmodi caussæ ad ipsos deferri debeant. Respondeo secundò inauditum esse, ut ex hujusmodi affirmatione, *Quæcumque solveritis, erunt soluta*; conficiatur illa negatio, *Quicumque non solveritis, non erunt soluta*, neque simile ullum exemplum afferri posse, in quo de *vi terminorum* (vt loquuntur scholæ) hujusmodi consecutio valeat. Contra vero hanc ipsam, quam adversarius simpliciter, & sine ulla ratione ponit, consecutionem falsam & cassam esse evidentissima ratione probatur. Nam illa affirmatio, *Quæcumque solveritis, erunt soluta*, universaliter vera est de omni peccatorum genere, etiam de venialibus, quæ si legitime à ministris soluta fuerint, vere quoque apud Deum solvi & quivis videt, neque negant adversarii. Ergo si valet illa Bellarminiana negationis ex affirmatione consecutio; verum quoque erit, venialia quæ à ministris non fuerint soluta, ea neque apud Deum solvi. Atqui id omnes falsum esse fatentur. Necessario igitur fatendum est vanam esse illam ex qua id concluditur, ex hac affirmativa, *Quæcumque solveritis, soluta erunt*, illius negativæ, *Quæcumque non solveritis, non erunt soluta*, consecutionem. Neque firmius est, quod secundo loco affert Bellarminus; ex illo, *Quæcumque ligaveritis, erunt ligata*, sequi quæcumque iidem non solverint, non esse soluta. *Ligare enim* (inquit) *est non solum novum vinculum addere, ut excommunicationis; sed etiam vinculum peccati confirmare, ac retinere, ut in alio Evangelista explicatur, & denique nolle solvere*. Iam supra dixi, quid hic Christo sit *ligare*; idem nempe quod Rabbinicum אסר: rem *aliquam profanam* & illegitimam esse pronunciare; in quo sensu, qui verus est, nullum habet tota hæc adversarii ratiocinatio locum. Sed esto. Christi dictum cum ipso de iis fidelium delictis intelligatur, de quibus judex (ut loquuntur) *Ecclesiasticus* in foro pœnitentiæ fert sententiam. Certe in hoc sensu *ligare* idem esse liquet, quod *retinere*; quo vocabulo usus est alter Evangelista Ioannes, ut observat adversarius, Ac ut τὸ κρατεῖν quod est *retinere* apud Ioannem τῷ ἀφιέναι, quod est *dimittere*, opponitur, ita apud Matthæum τὸ δεῖν quod est *ligare*, opponitur τῷ λύειν, quod est *solvere*. Alterum alteri manifeste respondet. Itaque ut *solvere* adversario est sententiam ferre, qua peccator caussa cognita absolvitur; ita eidem, si sibi constare velit *ligare* erit sententiam pariter ferre, qua peccator caussa similiter cognita non absolvitur, sed peccato, ut an-

ut antea, obstrictus teneri pronuntiatur. Vterque actus est ex adversarii hypothesi, *judicialis*; ejusdem in foro conscientiæ generis, cujus est in foro civili prætoris sententia, qua nocens caussa cognita vel absolvitur, vel damnatur. Iam ex his patet adversarii sophisma; qui ex iis quæ sacerdos caussa cognita pronunciat ad ea argumentatur, de quibus minime cognoscit, vel pronuntiat. Christus, fateor, quæ Apostoli *ligaverint*, hoc est, quæ cognita caussa absolutione indigna esse pronunciaverint, ea & apud Deum *ligata fore* affirmat, hoc est nullam apud Deum veniam habitura; quod nemo negat. Ea vero quæ Apostoli non cognoverint, de quibus adeo neutram in partem quicquam statuerint, ea inquam, apud Deum non solvi, neque hic, neque alibi usquam Christus docet. Itaque apertissime ludit adversarius in ambiguo vocis *non solvere*, quod vel est simpliciter *non solvere*, vel est ea de quibus cognoveris, *non solvere*. Priori modo *peccata non solvisse* dici possunt & judices ea de quibus nunquam cognoverunt, & privati, quibus nullum est de iis judicandi jus. Posteriori modo ea *non soluisse* & soli judices dicuntur, & quidem ea tantum de quibus cognoverunt. Illud *non solvere* mera est actus *solvendi* negatio; hoc vero actus est certus actui solvendi oppositus. *Ligantur* autem, quæ non primo, sed secundo hoc sensu *non solvuntur*. Itaque adversarius, vi veritatis coactus, ita interpretatur, cum ait *ligare* esse *vinculum peccati confirmare, ac retinere, ac nolle solvere*; quibus verbis judicis sententiam expressit, qua peccatorem indignum esse pronuntiat, qui solvatur. Non ergo si Deus non solvit, quæ ministri *ligant*, ex eo sequitur neque eum solvere quæ iidem simpliciter non solvunt; hoc est, de quibus neque cognoverunt, neque sententiam ullam in alterutram partem tulerunt. Vt in republica, non si Princeps rata habet quæcumque judices à se constituti legitime judicant, adeoque minime absolvit, quos illi sua sententia (ut sic dicam) *ligarunt*, id est damnarunt, ideo consequens est, ut neminem ipse eorum, de quibus judices neque cognoverunt, neque quicquam adeo statuerunt, judicet. Quod si *ligare* (ut in hac sua ratiocinatione necessario ponit adversarius) est *simpliciter non solvere*; profecto (cum eadem sit utriusque partis ratio) & *solvere*; itidem erit *simpliciter non ligare*. Ac ut iste ex eo quod Christus dicit, *quæcumque ligaveritis, erunt ligata*, concludendũ putat, *nisi quæ ministri sententia soluta fuerint, nulla dimissum iri peccata*; pari jure ex eo, quod ibidem ait Christus, *Quæcumque solveritis, erunt soluta*, concludere quoque licebit, *nisi quæ ministri sententia ligata fuerint, nulla ligatum iri peccata*; quod quam absurdum sit, & prodigiosum, vel cæci vident. Id enim si statuitur, fatendum erit nulla Deum damnaturum peccata; de nullis pœnas sumpturum, nisi quæ à ministris cognita caussa hic in foro conscientiæ ligata fuerint; adeoque neque Turcas, neque infideles, neque hæreticos, neque latentes in Ecclesia hypocritas ullas in altero sæculo peccatorum suorum pœnas daturos; quæ scilicet à sacerdotibus, quibuscum nihil

istis omnibus negotij est, nunquam cognita caussa ligata fuerint. Vnde postremo liquet, quam vana & falsa sint illa, quæ temere tandem effutit Bellarminus, *veram non fore Christi promissionem, si possint rei sine sacerdotum sententia à peccatu absolvi.* Promisit enim Christus, non quod iste nobis persuadere frustra cupit, nihil omnino solutum iri, quod non à ministris suis cognita caussa solutum fuerit, sed quæcumque à ministris ligata fuerint, id est quæ caussa cognita indigna judicata fuerint, quæ solvantur, ea ligatum iri. Sed de his quidem jam fortasse plus satis.

CAPVT VI.

Solvitur tertius locus ex Ioannis XX. à Bellarmino allatus ad constituendam sacerdotum prætoriam potestatem. Solvuntur item 4. rationes eodem ab isto adducta.

SVperest tertius locus, ex Ioanne, non ab uno Bellarmino, ut duo præcedentes, sed à Tridentinis etiam, & cæteris fore omnibus adversariis in hac de confessionis necessitate caussa allatus; quem adeo diligenter expendere decet. Christus eo loco Apostolos post resurrectionem alloquens, *insufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vt hinc confessionis auricularis necessitatem conficiant, primo sumunt Apostolos judices fidelium pœnitentium constitui, secundo inde concludunt eos debere, quo sententiam ferant, de pœnitentis peccatis accurate cognoscere; eoque ab ipso singula cum circumstantiis audire; unde porro evidenter id, quod defendunt, sequitur, necessario debere singulos fideles omnia à se admissa Apostolis, confiteri, id est, ut interpretantur, vel ipsis, vel certe sacerdotibus, qui eorum locum jam in Ecclesia legitimè occupant. Ego vero, ut mittam hoc, quod postremum, assumunt Christum non Apostolis solis, sed etiam legitimis eorum successoribus, hoc quicquid est, quod hic significatur, juris concedere, ut mittam inquam, hoc non usque adeo evidens esse, aut extra controversiam positum; ut item illud, quod ponunt prætereaın, quosvis sacerdotes, sive presbyteros Apostolorum esse successores, quod parum constanter ab iis dicitur, qui alibi solos episcopos Apostolorum in Ecclesia successores esse profitentur, ut hæc & similia prætermittam, alia quæ ad hanc caussam propius spectantia ponunt, nego omnia. Nego primò sacerdotes, sive ministros his verbis à Christo judices proprie dictos, id est, prætoria auctoritate fungentes, constitui: Nego secundò omnibus fideli-

Iohan. XX. 22. 23.

fidelibus in peccatum lapsis necessitatem imponi sacerdotes,ut veniam delictorum impetrent, adeundi: Nego tertiò sacerdotibus ad hoc, ut pœnitentes se adeuntes absolvere queant necessarium esse singula eorum peccata una cum circumstantiis pernoscere; ex quibus contra quam isti volunt, clarissime consequitur nullam pœnitentibus incumbere necessitatem peccata sua sigillatim, & enucleate (ut loquuntur) in specie, ne ei quidem sacerdoti, à quo absolutionem expetunt, confitendi. Quæ tametsi, jam ex iis,quæ supra disputavimus, satis manifesta sint, ea tamen sigillatim, & eo, quo posuimus, ordine, ad hoc Christi dictum expendemus. Primo colligunt ex his Domini verbis, sacerdotes esse ab eo judices constitutos, prætoriaque auctoritate in hoc, quod eis mandat, remittendorum, ac retinendorum peccatorum negotio instructos. Quo argumento? Concederem equidem, si nulli alii, quam judices, peccata remitterent, aut retinerent. Nunc cum & præcones, & accensi, & legati, ac nuncii Principum in hoc etiam ministerio adhiberi, & Principum gratiam his aut illis pro eorum voluntate non tantum annunciare, (ne quis cavilletur) sed etiam vel dare, vel negare soleant, nihil necesse est prætoriam Christi ministris auctoritatem ideo attributam censere, quod iis jus sit peccata vel remittere, vel retinere. Nimirum illi, cum Christi nuncii, ac legati sint, Domini sui beneficium iis quidem impertiuntur, quibus id ex lata ipsius sententia constitutum, ac decretum est; iis verò negant, quibus ex Domini sui judicio negandum est; utrumque, fateor, ex officio, & munere, adeoque suo quodam jure, ac potestate; non tamen cum judiciaria, aut prætoria auctoritate. Neque enim statim munere, aut iure, atque potestate caret, qui Prætor, aut iudex non est. Adeo frivola, & futilia sunt, quæ contra Bellarminus obiicit, ut vix referri mereantur. Ait primo *dari hic expresse potestatem* sacerdotibus, *non solùm remittendi peccata, sed etiam retinendi; proindeque cum retinere nihil aliud sit, quam nolle remittere, negari remissionem illis, quibus sacerdotes noluerint remittere.* Sed hoc nihil ad rem. Non enim probat sacerdotum potestatem esse iudiciariam. Tantum concludit ita late extendi ius illis à Christo datum, ut nullum peccatum, nisi quod ipsi remiserint, remittatur. Atqui ius iis datum, eo usque extendi nihil vetat, etiamsi non iudicis, sed legati, aut nuncii ius esse supponatur. Cæterum id jus non eo usque extendi, nuper probavimus & hanc ipsam adversarii rationem refutavimus, ostendimusque eam prava & falsa *retinendi peccati* interpretatione niti. Non enim *peccatum retinere* est *id simpliciter non solvere* (quod perperam fingit adversarius) sed est id cognita peccantis impœnitentia, indignum pronunciare quod solvatur. Secundò obiicit *Dominũ nõ dicere*, Quorũ remiseritis peccata, remissa erunt, *sed*, remittuntur eis, *quia ratam habet Christus sententiam à sacerdote nomine suo latam.* Id quorsum spectet, non video. Nam & Princeps legati, & nuncii, & præconis vocem, sive sententiam nomine suo pronunciatam, ratam habet,

remis-

remittitque quibus illi auctoritate sua remiserint, tametsi nec legatus, nec nuncius, nec præco proprie judices sint. Tertiò cavillatur de voce *Quorum*; ex qua colligit *Dominum velle, non omnibus indefinite peccata remitti, sed certis hominibus, iis videlicet, quos sacerdotes absolvendos judicaverint.* Quasi vero legati, & nuncii omnibus indefinite, non autem certis quibusdam hominibus Principis beneficium conferre debeant. Itaque sacerdotes nihil vetat legatos & nuncios esse, non autem judices, vel prætores, etiamsi remissionem certis tantum hominibus, non sane ex suo, sed ex Christi judicio, atque sententia conferant; scilicet *pœnitentibus*, quos solos sui beneficii participes facere decrevit. Denique quod hariolatur Bellarminus ideo Christum *insufflasse in Apostolos*, ut significaret *peccata remitti exstinguendo & dissolvendo*, quod ut *flatus exstinguit ignem, & dissipat nebulas: sic etiam absolutio sacerdotis peccata dispergit, & evanescere facit*; id, inquam, & vanum est, & absurdum: & si concedatur, nihil concludit. Vanum est, quia nulla ratione nititur, sed sola dicentis imaginatione. Propius vero videtur Christum, quod & Caietanus Cardinalis, & Menochius Iesuita docent; *hoc externo symbolo significare voluisse, se re ipsa facere quod diceret*, id est Spiritum, quem promittebat, conferre; Spiritus enim flatum symbolum esse nemo nescit. *Insufflatio*, inquit Caietanus, *datio quædam corporei spiritus est. Et propterea aptissime congruit ad significandum donationem incorporei spiritus, ut etiam per sensibilia facta, instruamur de iis, quæ fiunt in anima.* Sed hoc Bellarmini commentum non solùm vanum, sed etiam stultum & absurdum est. Flatus enim ignem, non quod iste inscite & somnians ait, exstinguit, sed excitat & accendit; ut *ea absolutio* (quæ peccata exstinguere dicitur, non excitare) significari nonnisi absurde queat. Denique tota hæc adversarii hariolatio nihil concludit. Absolutio (inquit) ministri peccata dissipat, & evanescere facit, hoc est uno verbo, *remittit*. Quis negat? Ergo (inquit) sacerdos *judex est*. Ego vero nego id sequi. Neque enim sacerdotis absolutio eo minus erit ad peccata remittenda efficax, si is non judex, sed Dei tantum nuncius, ac præco esse statuatur.

I. Sed & rationibus pugnat Bellarminus. Primò; *Si non essent* (inquit) *sacerdotes judices, nec vere peccata remitterent; nemo periret ex eo solum, quod sacerdotem reconciliantem habere non posset.* Ego vero ministros nego peccata non vere remittere: Tantum judices esse nego; Dei nuncios, ac legatos esse concedo, qui, etiamsi prætoria potestate careant, vere tamen remittunt peccata, si legitime munere suo funguntur. Quod vero inde colligit adversarius, *nisi ij judices sint, futurum, ut nemo pereat ex eo solum, quod sacerdotem reconciliantem habere non possit*; respondeo, id si absurdum est, non magis ex eo sequi, quod sacerdotes legati, vel nuncii constituantur, quam quod judices. Certe non putant adversarii necesse esse, vt judices sint, qui baptismum conferunt; & iidem tamen affirmant *fieri ut aliqui pereant, quod ministrum baptismi habere*

non

non possunt. Tota hujus consecutionis vis est ab ea quæ statuitur, actus circa eum, qui salvandus est, exercendi necessitate. Atqui, ut ex baptismi exemplo patet, tam ejus, qui judex non est, quam qui est, ministeriū necessarium ad salutem esse statui potest. Tum quod iste velut absurdū obiicit, id absurdū esse nego, affirmare scilicet neminem ex eo solū perire, quod ei sacerdos desit; dummodo is, vera fide ac pœnitentia nō careat, quam nos in iis omnibus exigimus, quos etsi nullius ministri sententia solutos, à Deo tamen solvi defendimus. Vix crediderim ipsos adversarios aliter docere; qui contritionem cum confessionis proposito, etiam sine sacerdote, ad salutem in extrema necessitate sufficere putant.

II. Sed & generosius in nos insurgit Bellarminus, nosque iis telis petit, quæ ipsius sententiam, non minus, quam nostram jugulant. Nimirum novus Gobryas, vel suo periculo, suaque morte mavult exitium nostrum redimi, quam nos incolumes evadere. Sic ergo agit; *Si sacerdos peccata remitteret ut nuncius, certe nonnisi frustra, ac ridicule absolverentur surdi, & ii, qui ob vim morbi sensibus sunt destituti. At in Ecclesia veteri, non solum surdi, sed etiam ii, qui ob vim morbi extra se positi erant aliquando reconciliabantur.* Quid si sacerdotes absolvunt, vt judices, eone Bellarmine fiet, ut commodius absolvantur, qui surdi, & furiosi, & sensibus capti sunt? Certe judex reum necessario interrogare debet, & reus in hoc judicio crimina confiteri non minus necessario ex vestra hypothesi tenetur. Surdus autem & sensibus captus, interrogari nonnisi ridicule potest; Mutus vero ne confiteri quidem potest, qui voce caret. Viderunt hanc difficultatem Scholastici, & tractarunt plærique. Ad eam autem solvendam nihil afferre possunt, quo non & solvatur argumentum, quod nobis nunc obiicitur. Quod ergo ad eam respondet Major, nos id nunc Bellarmino reponimus, scilicet *præceptum Christi esse rationabile, neque quempiam ad impossibile obligare*. Quod si vel ex nutibus muti, vel ex aliis argumentis probabiliter colligi potest hominem in Christum credere, & peccati pœnitere, nihil vetat, quin ei minister, si qua convenienti ratione id fieri potest, gratiam Domini impertiatur; eoque referenda sunt quæ in veteri Ecclesia facta fuisse narrat adversarius. Quod vero plane penitusque homini est ἄδυνατον, id Deo commendandum est: cujus *Spiritus ubi vult, spirat*, neque mediis ullis alligatus tenetur.

In iv. d. 17 q. 1. resp. ad 3.

Ioan III 8.

III. Ejusdem ingenii est sequens Bellarmini ratio; *Si sacerdos agit ut nuncius, tum ejus absolutio vel est temeraria, vel superflua. Temeraria, si absolute remittit, cum ignoret, an qui reconciliationem petit, vere sit pœnitens: superflua, si conditionaliter remittat, quod ipse pœnitens melius, quam minister, novit, an conditionem illam habeat, proindeque nec eget annuntiatione illa Ministri, quæ nihil ei addere potest certitudinis. Adhæc cum hæc absolutio ex incerta conditione dependeat, non potest certum ac securum efficere pœnitentem.* Sed etsi sacerdos judex esse statuatur, iisdem absurdis non

minus obnoxia videbitur ejus absolutio. Erit enim & ejus sententia temeraria quidem, si absolute remittit pœnitenti, de cujus fide ac pœnitentia certus non magis esse potest, quam quivis alius; superflua vero, si conditionaliter remittat, neque item certum ac securum pœnitentem efficere potest, certe ex adversariorum doctrina multo minus, quam ex nostra; cum nos quidem existimemus quemque de sua fide, Deique gratia certum esse posse, illi vero negent. Hunc illi nodum solvant, difficultatem, quam nobis objiciunt, eadem opera solverint. Ego vero respondeo, hanc Christi summi judicis esse sententiam, peccatorum remissionem, adeoque & salutem consecuturum quisquis crediderit,& pœnitentiam egerit. Hanc Domini sui sententiam ministri nunciant, ac (ut sic dicam) applicant iis, quos fidem pœnitentiamque profiteri vident. Itaque minime temeraria est eorum absolutio, etiamsi absolute enuncietur; cum de ejus quem absolvunt, fide ac pœnitentia eam omnem certitudinem habeant, quæ de istis ab homine haberi potest; neque vero superflua est, quod cum ex munere ipsis à Christo imposito, adeoque ejus nomine atque auctoritate fiat, pœnitenti non parum addat certitudinis, etsi is alioqui multo magis, quam minister, sibi suæ fidei, ac pœnitentiæ conscius sit; nisi forte quis legati, aut præconis regii supervacaneam annuntiationem ideo esse putet, quod apud quos illa fit, ii multo certius quam ipsi nuncij, norint, an conditiones à rege latas impleverint. Neque postremo illa ministrorum absolutio incerta est; cum eam, ex qua pendet, conditionem non incertam, quod ait adversarius, sed certam esse constet. Pendet enim à fide & pœnitentia, cujus sibi quisque conscius est. Quod vero ea absolutio *conditionalis* à quibusdam dicitur, non ideo sic ab iis dicitur, quod eam hypothetice pronuntiari velint, sed quod ex certa quadam conditione, nempe à fide & pœnitentia pendet, quam cum minister ex caritatis judicio in reconciliando vere inesse sibi persuadeat, non dubitat absolute peccata ei remittere. Quæ enim hypothetica erant, impleta conditione, *pura*, *categorica*, ac *absoluta* fiunt, ut in scholis loquuntur.

IV. Vltima Bellarmini ratio ita habet; *Si absolutio non est actus judicialis, non minus absolvere poterit laïcus, imo etiam fœmina, aut puer, aut infidelis quispiam, aut diabolus, vel etiam psitacus, si doceantur ea verba*, quibus annunciatur absolutio, *quam sacerdos,& quamquam adversarii id concedant*, inquit, *quia sequitur evidenter ex eorum principiis, tamen est contra omnium veterum consensionem, & contra consuetudinem omnium Ecclesiarum, & omnium sæculorum.* Hoc vero Bellarmine, quod pace tua dictum sit, neque nos, quod tu ais, concedimus, neque sane ex nostris principiis id sequitur. Ministrorum enim, etsi prætoriam potestatem esse negamus, munus tamen esse, adeoque ἐξουσίαν & potestatem aliquam esse & fatemur & defendimus. Sunt enim ii Domini Christi præcones, nuntii, ac legati, ex quo munere cum peccatores absolvant, liquet eam,

quæ

quæ ab iis administratur, absolutionem neque laïcis, neque mulieribus, multo vero minus infidelibus, vel quod tu partim impie, partim scurriliter dicere ausus es, diabolo, aut psitaco convenire; nisi tu forte contendas etiam laïcis, & mulieribus, & infidelibus, & diabolis, & psitacis id muneris fuisse divinitus attributum, ut Christi nuntii, ac legati sint. Quod vero significas posse etiam istos verba ministris absolventibus solennia profari, si ex eo concludi potest esse istos Christi nuntios, & præcones; pariter quoque sequetur eos esse judices; quippe qui sententiam, quam vos à judicibus vestris in illo foro ferri vultis, non minus quam nostram absolvendi formulam, pronuntiare possint. Diabolos autem & psitacos, si judices in Ecclesia esse tibi absurdum & impium videtur; eosdem Christi nuntios statui, non minus nos indignamur. Sed est videlicet, quod tu ignorare non potes, magnum inter potentiam, & potestatem discrimen. Illa omnium eorum est, quibus vires ea à natura datæ sunt, quibus aliquid peragitur. Hæc eorum tantum est, quibus munus, & jus agendi concessum est. Mulierculæ cuivis latera sunt, & lingua, & pulmo, & cætera organa, quibus ad concionandum in Ecclesia opus est. Ergo & hæc concionari potest in Ecclesia aliquo sensu. Nemo tamen sanus inde concluserit mulieri licere concionari; quod est à Paulo diserte vetitum. Ergo neque hæc in Ecclesia concionari potest. Potest quidem *Physice*, ut sic dicam; Sin *Ethice*, sive moraliter loquamur, non potest. Eadem est *absolvendi*, eadem aliorum actuum Ecclesiasticorum ratio. Quibuscumque est loquendi facultas à natura concessa, eos ego, si de Physica potentia loquamur, *absolvere* posse non nego, id est verba quibus in Ecclesia absoluuntur pœnitentes, pronuntiare. Sin de *potestate & jure* intelligas, nemo absolvere potest, nisi cui id juris & muneris à Deo impositum est; nullius ergo alterius legitima est *absolutio*, adeoque *neque absolutio*, cum quæ legitima non est, ea nulla censeri debeat.

CAPVT VII.

Explicatur quæ, qualisque sit in hoc pœnitentiæ negotio ministrorum potestas; nimirum non judicis, sed nuncii, vel legati, ex Paulo; 2. Corinth. v. 20. & 1. Corinth. IV. 1. & id ex ipso Ioannis XX. probatur.

ATQVE ita liquet Bellarminum neque Christi apud Ioannem verbis, neque suis ratiunculis effecisse ut sacerdotes in pœnitentiæ negotio judices proprie dicti esse existimandi sint, vel pœnitentes potestate prætoria absolvere. Paulus certe quale sit eorum in hoc negotio ministerium luculente docet, dum ita munus suum in altera ad Corinthios describit;

2. Cor. v. 20. 21. *Pro Christo ergo* (inquit) *legatione fungimur* πρεσβεύομεν, *tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo; eum enim, qui noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Vides, quis sit finis muneris istis à Christo impositi; *reconciliatio hominum cum Deo*; quæ fungendi muneris ratio, *hortari*, & *obsecrare*, *Christumque* ipsum pro *nobis justificandis traditum* peccatoribus offerre, atque applicare; quod ipsum denique munus, πρεσβεία, id est *legatio*. At πρεσβεὺς, sive ὁ πρεσβεύων, *legatus* & legatione fungens prætor non est, vel judex: neque prætoria auctoritate ac potestate præditus est. Tantum id juris habet (quod sane magnificum, ac præcellens esse fateor) ut heri sive Domini mandata exponat, eaque ipsius nomine, atque auctoritate gerat, quæ ei gerenda commissa sunt. Neque idem obscurius alibi significat Paulus, dum ita docet, quid sit nobis de munere tum ipsi, tum cæteris Apostolis credito existimandum;

1. Cor. iv. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi. & dispensatores,* οἰκονόμους *mysteriorum Dei.* Iam *œconomi*, sive *dispensatoris* jus, ac munus quam procul à judicum & prætorum potestate atque auctoritate absit, omnes sciunt. Non ergo Christi ministri *judicialem* habent aut *pretoriam* in Dei Ec-

2. Cor. iv. 5. clesia dignitatem. Et si ita esset, nunquam profecto Paulus se fidelium, quibus præerat, servum esse professus esset. *Non enim*, inquit, *nosmet ipsos prædicamus. sed Iesum Christum Dominum nostrum; nos autem servos vestros* δούλους ὑμῶν *propter Iesum.* Fuitne unquam fando auditum prætorem reorum, de quibus judicat, & in quos prætoriã illam suam potestatem exercet, *servum* dici? Sed ipse ille Ioannis in quo versamur, locus refellendo adversariorum errori satis est. Christus Apostolis suis donat *remittendorum, ac retinendorum peccatorum potestatem.* Si inde, quod volunt adversarii, sequitur, sacerdotes scilicet esse proprie dictos *judices*, profecto necesse est, ut hoc primum constituatur, hominibus peccata, nisi judiciali, & prætoria auctoritate à Christi ministris remitti non posse.

At ipsi-

At ipsi concedunt, plene, perfecteque peccata baptizato sine ulla hujusmodi potestate remitti. Ergo necesse est hoc, quod inde conficitur, fateri, nulla hujusmodi potestate constare remittendorum peccatorum munus; nullam adeo hujus generis auctoritatem ministris inde quæri, quod iis Dominus peccatorum remittendorum jus, atque officium dederit. Sed & hoc in primis in isto Ioannis loco observandum est, quod istic non de damnandis, absolvendisque peccatoribus agitur; sed peccatis vel *remittendis* vel *retinendis*. Iam confessa peccata *remittere*, vel *retinere*, (quod est gratia, & remissione indigna pronuntiare) non est judicis proprie dicti, vel prætoris, sed Principis. Iudex, quod lex præscribit, id simpliciter sequitur, & quod peccatum esse constat, in id necessario constitutas à lege pœnas decernit; neque reum, hujusmodi crimen confessum, indemnatum dimittit. Crimen vero confessum sonti remittere, omnino majoris est, quam quæ judicis, aut prætoris est, potestatis, neque alterius proprie est, quam ejus qui supra leges ipsas constitutus est; qualis est summus reipublicæ rector ac Princeps. Itaque apud nos ne amplissimus quidem ille Senatus, quem *Parlamentum* vocamus; *gratiam* (ut loquimur) ullius criminis dare potest, licet alioqui longe maxima sit augustissimi illius consessus in judiciis tum civilibus, tum capitalibus auctoritas, ac tanta quidem, quanta fortasse in hoc rerum genere nulla unquam ullorum judicum in alia Republica fuit. Potestas gratiæ dandæ, id est criminis remittendi penes unum Regem est. Ergo cum Christus Apostolis suis jus apud Ioannem dederit, non damnandi nocentes, & insontes absolvendi, sed peccata ac crimina confessa vel *remittendi*, vel *retinendi*, sole meridiano clarius est & plane aliam esse, quam *judicialem*, aut *pratoriam* potestatem istic à Domino ipsis attributam; & omnino cæcutire adversarios, qui talem eam esse sacrificulorum suorum auctoritatem ex eo loco tam pertinaciter contendunt. Quæ ergo, inquies, qualisque est illa potestas istic Apostolis, & eorum successoribus concessa? Aliquam enim concessam esse negari non potest. Ego vero non nego: Sed hoc aio, si proprie, ut sonant, illa Christi verba sumantur, ac de ea *peccatorum remissione ac retentione* intelligantur, quæ sit vera, propria, ac legitima *remittentis*, ac *retinentis* auctoritate, ut ex ejus sententia ac decreto (quod volunt adversarij) nulla vi, nulla arte vetari posse, quin ea regia sit, ac monarchica. Neque enim alia est, quam regis, sive Principis summi potestas, qua convicta, ac confessa crimina vel *remitti*, vel *retineri* queant. Itaque si suam interpretationem mordicus retinendam putant adversarii, illud quoque necessario defendere debent, sacerdotes omnes suos veros, ac genuinos esse (non quod vulgo disputant) *judices*, aut *pretores*, sed Reges, ac Monarchas: neminem esse ex tanta sacrificulorum fæce, qui non sit summus Christianorum quorum confessiones audit, princeps. Quod si longe absurdissimum, ac stultissimum esse (ut est sane) judicant, ergo vel inviti [illegible]

E 3 illa

illa falsa & inepta interpretatione discedere debent, & nobiscum fateri jus illud *remittendi, retinendi*que peccata ministris suis à Domino concessum, nihil aliud esse, quam nudum *legatorum, nunciorum, praeconum*, ac denique *caduceatorum* jus atque officium; quo illi peccatorum, Domini sui sententia decretam, pœnitentibus quidem veniam, ac remissionem, incredulis vero, & impœnitentibus condemnationem, ac pœnam promulgant, & hanc, vel illam diversis hominibus, prout est eorum status, atque dispositio, sive publice & in genere pluribus una congregatis, sive seorsim singulis impertiuntur, atque ut sic dicam, applicant, quod ab illis fit dum & dignis Christi sacramenta, baptismum, ac Eucharistiam administrant, indignis negant; (utroque enim sacramento peccatorum remissionem communicari digne ea sumentibus constat) & voce ipsa pro muneris sui ratione aliis pacem, ac gratiam & annuntiant, & conferunt, alios vero contra à fidelium societate, atque communione arcent, & repellunt. Christus hos omnes sacri illius & Ecclesiastici muneris actus, quod illis apud homines suo nomine gerendum tradidit, seque & Patrem ratos habiturum pollicetur, non aliter, quam si cuncta sacro Dei omnipotentis ore & nutu, vel pronunciata, vel facta & administrata essent. Hac enim sanctissima, suavissimaque promissione erigendi erant Apostolorum animi, tam arduam, tamque difficilem provinciam ingredientium, ne eos infirmitatis suæ conscientia à suscipiendo opere deterreret; simul fidelium mentes confirmari hac ratione decuit, ne oblatam sibi à Christi servis & peccatorum veniam, & exinde gloriosam immortalitatem, homuncionum figmentum, ac non Dei ipsius donum esse existimarent. Neque vero mirandum est, quod tam magnificis verbis hoc servulorum suorum in reconciliandis Deo hominibus ministerium cohonestarit, ut eos hominum peccata vel dimissuros, vel retenturos dixerit, quæ tamen unum Deum, si proprie loquendum est, remittere, ac retinere scimus. Notum enim est ab optimo Domino servulis suis fere in Scripturis tribui ea omnia, in quibus eorum opera, ac ministerio utitur; Ita Hieremiam à se constitutum *super gentes, & super regna* profitetur, *ut evellat, & destruat, & dissipet, & ædificet, & plantet*; non quod ipse Propheta vi & autoritate regia in his regum & regnorum mutationibus efficiendis versaturus esset, (à quo multum abhorret omnis vitæ ab eo actæ ratio) sed quod Dominus ad illa suæ potentiæ atque providentiæ propria opera prædicenda, & promulganda, veraque & effectum suum certo consequutura voce hominibus denuncianda, ejus ministerio usurus esset. Sic enim accipiendum hunc locum, ut res ipsa ad Deum, ad Prophetam nudum duntaxat rei denunciandæ ministerium proprie pertineat, luculente apud eumdem alibi docet ipse Dominus; quo loco, quod hic Prophetæ, id sibi ipsi diserte tribuit, solo penes Prophetam relicto rei denunciandæ ministerio; *Repente*, inquit, *loquar adversum gentem, & adversus regnum, ut era-*

Hierem. I. 10.

Hier. xviii. 7, 9.

ut eradicem, & destruam, & disperdam illud; & paucis interjectis, *Subito loquar de gente, & de regno, ut ædificem & plantem illud.* Sed ut cætera mittam, quid est Dei magis proprium, minusque (ut sic dicam) *communicabile*, quam homines servare, & salute eos donare? Atqui & hoc ipsum tantum, ac tam magnificum vocabulum de Dei ministris passim dicitur. Ita Paulus cum Timotheum jussisset muneri suo diligenter, summaque cura incumbere, *Hoc enim faciens*(inquit) *καὶ σεαυτὸν σώσεις, & te ipsum salvabis, & eos qui te audiunt.* Et in epistola ad Romanos sui ministerii fructum, opus, atque effectum hac ipsa voce expressit: *Ministerium*(inquit) *honorificabo, si quomodo ad æmulandũ provocem carnem meam; & salvos faciam σώσω aliquos ex illis.* Sic etiam Iacobus, *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte.* Cætera parco describere, quæ sunt ejusdem generis. Ergo cum & *servare homines*, quod unius Dei proprium esse nemo negat, dicantur ministri Christi, quatenus scilicet eorum voce, atque opera ad tantam rem præstandam Deo uti libet, mirandum non est, quod & simili ratione hominum peccata *remittere*, (quod & sibi soli alio loco vindicat, dum per Prophetam clamat, *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*, quodque ad eum unum proprie pertinere vel ipsi Iudæorum Scribæ agnoscunt, *Quis potest*, inquiunt, *dimittere peccata, nisi solus Deus?*) mirandum, inquam, non est, si hoc tamen ipsum & Apostolis, & cæteris servis suis Christus tribuit, quorum scilicet voce & ministerio, tanquam instrumentorum suorum, hanc peccatoribus remissionem confert. Sane in vulgari hominum sermone familiare est, etiam ipsis Principis caduceatoribus, & ministris, quorum ille operam in concedenda sontibus venia, ac, ut loquimur, *gratia* adhibet, *gratiam illam* ita tribuere, ut dicamus eos *gratiam huic aut illi dedisse, vel* contulisse; cum eorum tamen in toto hoc opere nulla judicialis auctoritas fuerit, sed nudum ac simplex ministerium. Itaque ex his liquet adversarios non modo frustra & imperite, sed etiam falso ex his Christi verbis colligere *judicialem, ac prætoriam* esse ministrorum Evangelij *in remittendis ac retinendis hominum peccatis* potestatem; quod cum primum ponant suæ pro confessione demonstrationis fundamentum eo subverso, una quoque corruere necesse est quicquid hinc de istius confessionis jure, ac necessitate colligunt.

1. Timot. IV. 16.

Rom. XI. 14.

Iacob. V. 20.

Iud. XXIII. 1. Cor. VII. 16. & IX. 22.

Esa. XLIII. 25.

Marc II. 7.

CAPUT

CAPUT VIII.

Demonstratur neque fidelibus sacerdotes necessario esse adeundos, ut peccatorum remissionem impetrent, neque sacerdotibus peccata sigillatim, & in specie una cum circumstantiis cognoscenda esse, ad hoc ut ea dimittant. Fuse refutantur tres Estii ad id probandum allatæ rationes.

SED neque illud concedo, quod isti secundo loco assumebant, hanc singulis qui post baptismum peccant, impositam esse à Christo necessitatem, ut ministros adeant, ut non aliter, quam proprie & sigillatim ad hoc adhibito eorum ministerio, admissorum remissionem consequi queant. Fateor nullum à Deo crimen remitti, quod non fuerit ab his in genere remissum, quatenus docent quæ, qualiaque peccata à Domino secundum Evangelium in Christo remittantur, omnesque promiscue ut reconcilientur Deo, sedulo cohortantur, paratamque iis, qui crediderint, & pœnitentiam egerint, apud Dominum veniam promulgant, & quantum quidem in se situm est, voto ac voce sua conferunt. Fateor eorum ministerium non modo publice, sed & privatim utile esse, siquis fidelis eorum operam ad suam proprie consolationem, atque ædificationem expetat, iisque id juris esse, ut hujusmodi hominum, si veram pœnitentiam testentur, *peccata dimittant*; istamque eorum absolutionem eamdem vim habere, quam habent cæteræ ministerii Ecclesiastici partes, atque functiones, ex hac scilicet Christi promissione, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur; quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc enim verba pæne totum eorum ministerium, si bene repetes, complectuntur. Inde vero fieri nego, ut nullius peccati remissionem à Deo ipso quisquam fidelis impetrare possit, nisi illos adierit, proprieque, ac sigillatim de his, illisve delictis suis pronuntiantes audiverit. Neminem vero pastorem suum, quoties usus fuerit, privatim consulere: neque inanem esse, quam talibus ministri impertiuntur, Christi gratiam pugno. Non aliter peccata fidelium remitti, nego. Qua de re quia jam supra satis multa diximus, neque quicquam novi affert adversarius, non est quod diutius in istis immoremur. Itaque cum Christus ita suorum servorum erga fideles ministerium commendarit, ut minime prohibeat quominus hi Deum ipsum recta adeant, & ab eo, quod alibi præcipit, peccatorum remissionem & poscant, & impetrent, quantumvis magnifice extollatur hic à Christo data sacerdotibus potestas, apparet tamen fidelibus nullam eo impositam esse simpliciter necessitatem eos privatim adeundi, nedum ut ad peccata sua sigillatim apud eos confitenda cum circumstan-

cumſtantiis ſinguli neceſſario obſtringantur. Denique & illud quod adverſarii tertio, ac ultimo loco aſſumunt, ac unde præſertim pendet hęc eorum probatio, nego; ſcilicet Chriſti miniſtrum non aliter eos, qui ſe adeunt, fideles à peccatis abſolvere poſſe, niſi ea peccata quæ, qualiaque ſint, & eorum circumſtantias, in ſpecie ac ſigillatim pernoſcat. Ac id quidem ex hoc loco minime haberi, vel inde patet, quod miniſtri remiſſionem peccatorum iis, quos baptizant, valide conferant, etiamſi quæ in ſpecie fuerint eorum, quos baptizant, peccata, neſciant. Iam vero Chriſtum hoc loco eam remiſſionem etiam complecti, quæ per baptiſmum datur, & res ipſa per ſe clamat, cum Dominus in genere, ac vniuerſaliter de omni peccatorum remiſſione per Apoſtolos conferenda loquatur. *Quorum*(inquit)*remiſeritis peccata, remittuntur*; & aperte ſtatuit nobilis inter adverſarios Theologus Ianſenius, Gandavenſis epiſcopus, quod jam ſupra ex Vaſque notavimus, & Gregorius de Valentia, nobilis Ieſuita; & Ioannes Ferus idem diſerte docet, qui in hoc ipſum Chriſti dictum ita ſcribit, *Hoc verbo*(inquit) *indicat quomodo & in quem uſum eis dederit Spiritum ſanctum hac vice, nempe in remiſſionem peccatorum, nec pro ipſis Apoſtolis tantum, ſed ut eundem Spiritum, eandemque remiſſionem peccatorum verbo prædicationis, & Sacramentis verbo annexis diſtribuerent.* Tum, *Vos itaque eligo, & corda veſtra in verbum Evangelij Spiritu ſancto obſigno, & confirmo, ut euntes in mundum annuntietis Evangelium omni creaturæ; imo eam ipſam remiſſionem diſtribuatis per verbum Evangelij, & per Sacramenta.* Denique paulò poſt; *Hæc autem* (inquit) *media*, (per quæ Deus ſcilicet remittit peccata) *ſunt verbum Dei, & Sacramenta, de quibus mediis in Matthæo dicitur*, Euntes docete, *&c.* baptizantes eos, *&c.* Hæc ille. Cum ergo baptiſmus primum ſit Sacramentorum, remiſſionem peccatorum, quæ eo datur, Chriſtus haud dubie primo, ac præcipue, tametſi non ſolam, intellexit, ſignificans, quoſcumque Apoſtoli in remiſſionem peccatorum ſacra illa ſua unda abluerint, iis vere à Deo peccata remitti. Neque eſt quod obiicias, eam hic peccatorum *remiſſionem* intelligi, cui oppoſita eſt eorumdem *retentio*, quod non videtur in ea, quæ per baptiſmũ confertur, habere locum, à qua nemo, ut videtur, repellitur, aut arcetur: ſed in ea tantum quæ fidelibus lapſis & pœnitentibus datur. Huic enim notum eſt oppoſitam reſpondere peccatorum retentionem, qua lapſi impœnitentes à venia excluduntur. Sed futilis eſt hæc objectio. Non enim ad baptiſmalem magis, quam ad aliam remiſſionem quivis promiſcue & ſine ullo diſcrimine ab Apoſtolis admittebantur. Ac ut ex fidelibus lapſis ii tantum abſolutione donabantur, qui pœnitentiam profitebantur, qui ſe peccaſſe, aut peccati ſe pœnitere, aut ei nuncium ſe remiſſuros negabant, eorum peccata retinebantur; ita etiam baptiſmo non alij initiabantur, quam qui de fide in Chriſtum ſua, deque reſipiſcentia teſtabantur. Si quis ita ſe Chriſtum amplecti velle diceret, ut in idololatria, aliiſque ſimilibus vel ſceleribus, vel flagitiis nihilo ſecius

Ferus in Ioan cap. xx.

F perſe-

perseveraret, is, inquam, à baptismo arcebatur; atque ita ejus peccata retinebantur. Neque si in infantibus aliter fiebat, in quibus propter ætatis infirmitatem nihil hujus discriminis apparebat; sequitur ei, quæ per baptismum datur, peccatorum remissioni nullam esse oppositam eorundem retentionem. Ergo cum hic quæ à baptizantibus confertur peccatorum remissio, nullam exigat singulorum, quæ à baptizando admissa sunt, peccatorum propriam, ac distinctam in specie cognitionem; nemo non videt, quam imperite agant adversarii, qui ex his Christi verbis hujusmodi peccatorum cognitionem ad ea remittenda esse necessariam argumentantur. Sed Gregorius de Valentia pertendit, quamvis hic locus ad ministerium remittendi peccata tum in baptismo, tum in pœnitentia fidelium pertineat, tamen recte ex eo colligi, debere ministrum in pœnitentiæ tribunali cognoscere in specie conscientiam peccatoris, & delictorum ab eo admissorum numerum, circumstantias, &c. in ministerio autem baptismi non item; quia *Scriptura ubique juxta conditionem subjectæ materiæ, de qua sermo est, intelligi debet; est autem utriusque ministerii in proposito varia ex capitibus diversa ratio, atque conditio; quod in baptismo per modum cujusdam regenerationis detur remissio peccatorum, in pœnitentia per modum reconciliationis: secundò, quod illa sit facilior, hæc difficilior; tertiò quod illa detur ei, qui ministru non est subditus, hæc ei, qui subditus est*; quibus rationibus fieri vult ut in pœnitentia exactius, quam in baptismo, peccatoris conscientiam cognoscere debeat minister. Hæc ille. Vasques multo sapientius, ac candidius, qui (ut supra diximus) fatetur si ea Christi verba etiam ad potestatem remittendi peccata in baptismo extendantur, *ex illis minime deductum iri necessariam esse confessionem, sicut* (inquit) *non colligitur necessariam esse in baptismo, cum revera non sit.* Et res sane tota sic aperta est, ut Gregorij vel stuporem, vel malitiam immanem fuisse oporteat, qui eam capere vel non potuit, vel noluit. Nam si illa Christi verba, *peccata remiseritis*, etiam ad baptismum extenduntur, clarum est *peccata* hic intelligi etiam particulatim non confessa, qualia in baptismo remittuntur. Si vero *peccata etiam non confessa* remittere hoc loco jubentur Apostoli, hinc profecto Gregorius, ne si rumpatur quidem, efficere valebit necesse esse peccata aliqua confiteri Apostolis, ad hoc ut ea illi remittere queant. Rationes vero ab eo adductæ si valent, probabunt quidem ipsæ peccata sacerdoti in pœnitentiæ tribunali à fidelibus esse confitenda; non vero efficient, ut id ille Ioannis locus probet. Quod vero ait *Scripturam ubique secundum conditionem subjecta materia intelligi debere*: verum quidem est, sed stulte & præter rem hic affertur. Non enim inter nos constat, quæ sit hic *materiæ subjectæ conditio*; nimirum an peccatis illis de quorum remissione Christus loquitur, hæc insit conditio, ut confessa sint ei à quo remittenda sunt. Et hoc ipsum est, quod adversarij ex hoc loco demonstrare volunt. Ergo non debet id, ut loquuntur, *præsupponi* (alioqui stulta & vitiosa

[Margin: i. n. Thom. Tom. iv. disp. 7. p. 9. punc. 2. §. Hoc ita]

[Margin: Vasq in 3. Thom Tom. iv q. 9. art. 2. dub 2. num. 2.]

vitiosa esset demonstratio) sed ex eo loco concludi. Concludi autem non posse manifeste fatetur Gregorius dum postulat, ut id præsupponatur. Neque vero dicendum est ipsum id non *postulare*, sed *probare*. Illa enim ejus probatio, non ex hoc ipso loco ducitur, (ut duci debuit, si locus ad id demonstrandum sufficit) sed aliunde; scilicet ex tribus illis nuper cõmemoratis ratiunculis, quarum neque vola, neque vestigium ullum in illis Christi verbis apparet, vel ex iis colligi potest. Quod denique postremo subiicit sibi *opus non esse, ut sua approbemus, modo neque ea convincere possimus; quod tamen nobis tamquam accusatoribus Eccl. siæ sua facere incumbit*; id, inquam, ineptissimum est, & Gregorii desperationem arguit. Plane enim nescit quid velit. Nam nos quidem hoc loco nihil aliud adversus istos contendimus, nisi hoc unum, non posse ex illis Christi verbis confessionis auricularis necessitatem (quod ipsi aiunt) demonstrari. Hoc autem quam uere contendamus eo ipso satis docemus, quod argumenta quæ hinc ducunt, ita clare solvimus, ut ex ipsi aliter tueri nequeant, quam id ipsum quod in quæstione versatur, vel assumendo & postulando, vel certe aliunde probando; atque ita locum, ex quo se rem demonstraturos gloriabantur, deserendo. Sed & omnes istæ Gregorii ratiunculæ ineptissimæ sunt, quæ scilicet & falsa sumunt, & male colligunt. Falsum enim est & quod primo loco sumit Gregorius, peccata in baptismo per modum reconciliationis non remitti, & quod secundo ait remissionem esse difficiliorem in pœnitentia, quam in baptismo; ac denique quod tertiò dicit baptismum dari non subdito. Contra & ex Scriptura, & ex ipsa rationis luce patet, & Deo reconciliari qui baptizantur, & difficilius resuscitari hominem mortuum (quod fit in baptismo) quam curari & sanari ægrotum (quod fit in pœnitentia) ac denique etiam eum, qui baptismum à ministro suscipit, hactenus ei sese ipsum subiicere. Sed & illa tria, quæ falso ponit Gregorius, etiamsi vera essent, non ideo tamen efficerent peccata omnia sigillatim ministro esse confitenda; à quo immane quantum tria ista absunt. Sed tametsi hæc satis sint ad solvendam omnem hanc istorum argumentationem, videamus tamen quibus illi rationum machinis conficere ex his Christi verbis conentur, peccata sacerdoti necessario confitenda esse. Tridentini duas adducunt; unam à ferendo de peccatore judicio; alteram à satisfactionibus eidem imponendis sumptam; quod minister in neutro horum æquitatem servare possit, si in genere duntaxat, non autem in specie ac sigillatim pœnitentis peccata cognouerit. Estius vero utramque rationem paulò uberius exsequitur; ac priorem quidem his verbis explicat, *Sacerdos* (inquit) *in foro pænitentiæ constitutus est à Domino judex ad solvendum, & ligandum, ad remittendum & retinendum; cui proinde incumbit, vt non præcipiti judicio, neque pro libito, sed justo ac prudenti arbitrio juxta caussarum exigentiam utatur potestate sibi tradita; non enim aliter ratum habebitur à Domino, quod fecerit. Atqui præstare illud non poterit,* nisi

[Margin: vbi sup §. Hæc ita.]
[Margin: Sessio. xiv. 5. & 8.]
[Margin: in iv. dist. 17. § 1.]

nisi peccata, & peccantis caussam. de qua judicandum est, habeat bene cognitam & perspectam. Alteram rationem ita edisserit; *Satisfactionis injunctio ad potestatem ligandi pertinet. Nam, ut cap. 8. Sessionis XIV. Concil. Trident. dicitur, debent sacerdotes, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si peccatis conniveant, & indulgentius agant, alienis peccatis communicent. Quare consequens est ipsa peccata particulatim ab iis debere cognosci, quod fieri nequit, nisi per spontaneam pœnitentium confessionem.* Hæc ille; quæ quanquam ex iis quæ contra Bellarminum supra sunt à nobis disputata, nullo negotio solvi possint, tamen hic etiam sigillatim ea refellemus, nequid intactum omittamus. Primo, utraque hæc ratio aberrat à quæstione. Probant enim sacerdotibus in foro conscientiæ ad hoc ut recte, ac legitime judicare queant, debere eos, qui ad ipsos judicandi accedunt, peccata mortalia confiteri. Omnes autem fideles in peccatum lapsos teneri sub mortis æternæ pœna istud sacerdotum judicium adire, adeoque confiteri non probant, quod tamen quæritur. Neque enim si Estio donatum fuerit hanc potestatem Apostolis, & cæteris ministris à Christo fuisse attributam, ideo sequetur omnes & singulos necessario debere ad eorum tribunal accedere; ut nos supra & contra Bellarminum demonstravimus, & ab ipso Vasque, quantumvis Iesuita agnitum & probatum fuisse diximus. Præterea nihil valere duas istas rationes, ex eo insuper est perspicuum, quod si quam vim haberent, conficerent nulla, nisi in specie & particulatim cognita peccata à Christi ministris solvi, vel retineri posse: quod & liquido falsum, & vehementer absurdum est. Nam si satisfactio, ut inde ordiar, ejus ligationis, sive retentionis pars est, de qua Christus loquitur, neminem ligabit sacerdos nisi cui satisfactionem imposuerit, cujusque adeo peccata sigillatim cognoverit. Atqui ministri etiam eum ligant, ejusque peccata retinent, cujus alioqui crimina ignorant, si modo eum impœnitentem esse sciverint; neque ei satisfactionem ullam imponunt, quæ scilicet non aliis, quam pœnitentibus injungitur. Ergo satisfactio hujus, de qua Christus loquitur, *ligationis*, sive *retentionis* pars nulla est; unde clarum est accuratam illam, minutamque peccatorum cognitionem ad eorum retentionem nō ideo pertinere, quod ea ad satisfactionem imponendam necessaria esse dicitur. Neque de peccatorum solutione res obscurior est. Nam si ad hoc, ut Apostoli accedentium ad se hominum peccata solverent, necesse erat, ut ea in specie cognoscerent, ergo quos baptizabant, eorum etiam sigillatim peccata noscere debebant; quod quàm falsum sit, & non à Christi modo, sed ab ipsius etiam Romæ disciplina alienum, omnes vident. Quod si dicat Estius Christum eo loco non de omni peccatorum solutione in genere, sed in specie tantum de ea loqui, qua fideles id est homines jam baptizati solvuntur, primo siquid efficere velit, hoc probare debebit, non gratis sumere, adversus eos,

ſcilicet diſputans, qui id minime admittunt. Et cum Chriſti verba univerſalia ſint, neque ad hanc magis, quam ad illam ſpeciem pertineant, ego quidem non puto hunc ei laborem umquam ſucceſſurum. Tum hæc ejus reſponſio, non modo Ioannem Ferum,& Ianſenium, & Gregorium Valentianum, ſed & multos,ex Patribus pulſabit qui (quod infra ſuo loco demonſtrabimus, hoc Chriſti dictum etiam ad eam remiſſionem nobiſcum referunt, quæ datur baptiſmum legitime ſuſcipientibus. Sed jam utramque ſigillatim rationem conſideremus. Quod pertinet ad priorem, tametſi jam ſupra quod ea aſſumit, confutaverim, eſſe ſcilicet ſacerdotes in foro pœnitentiæ judices proprie dictos, prætoria auctoritate ac poteſtate præditos, haud gravate tamen admitto, quod mox adiicit Chriſti miniſtro *incumbere, ut non pro libito, ſed juſto ac prudenti arbitrio juxta cauſſarum exigentiam utatur poteſtate ſibi credita.* Etſi enim miniſter *judex* proprie dictus non ſit, *œconomus* tamen eſt,ſive *diſpenſator*; adeoque Domini ſui bona, non temere quibuſvis profundere,ſed iis, quatenus quidem fieri poterit, ſolis prudenter diſpenſare debet, ad quos ea ex heri voluntate, ac ſententia pertinent. Ergo hic diligenter ſpectandum quæ quantaque cognitio ei ad hoc neceſſaria ſit, ut id recte præſtare poſſit. Caietanus, quo loco indagat, *quatenus confiteri oporteat ſingulas ſpecies, & numerum certum peccatorum*; judicium duplex eſſe ſtatuit; unum *cujus actus* (inquit) *eſt propter ſe ipſum intentus, alterum, cujus actus eſt propter aliud.* Ac illud quidem,*quia ſpectat*, inquit, *juſtum facere abſolute*,ſingulorum peccatorum cognitionem exigere veriſſime definit, *ut ſingula* (inquit) *poſſit adæquare puniendo.* Ad *alterum vero judicium*, inquit, *quia non tendit ad punitionem ſecundum ſe,ſed in ordine ad alium finem, puta bonum commune, ſicut ſufficit punire, ſicut expedit illi fini, ita ſufficit cognoſcere, quantum opus eſt ad illum finem.* Tum hoc (quod vocant) pœnitentiæ judicium non primi, ſed ſecundi generis eſſe contendit; *non judicium* (inquit) *abſolute, ſed ſalutare, ſeu medicinale, ad punitionem tendens, non ſecundum ſe, ſed in ordine ad ſalutem ipſius rei ſolius.* Ex quibus concludit in pœnitentię miniſtro requiri non exactam omnium,& ſingularum culparum cognitionem; ſed eam omnium & ſingularum culparum mortalium cognitionem, quæ ad hoc ſufficiat, ut ſciat confeſſor, *quæ, qualis, & quanta pœna commenſurari debeat huic pœnitenti recte diſpoſito, & illius ſaluti.* Hæc ille; qui recte quidem & ſapienter inprimis ponit ex ipſa operis, quo miniſter fungi debet, natura,ac fine indagandam eſſe, ac metiendam omnem illam, quæ ei ad hoc neceſſaria eſt cognitionem. Sed & illud recte ſtatuit non eſſe hoc negotium judicium hujuſmodi, quod ad puniendum per ſe ac ſimpliciter ſpectet; meritoque inde concludit minime in eo requiri *exactam omnium & ſingularum culparum cognitionem.* Sed quod altera ex parte ſumit hoc, ut loquitur, miniſtrorum judicium *tendere ad punitionem in ordine ad ſalutem rei, licet non ſecundum ſe*; id, inquam, ille non modo temere & falſo, ſed etiam abſur-

Tom. Primo. tract. 5. q. 3.

de, ac pœne ridicule statuit. Quis enim ei concesserit ejus actionis, in qua *remittitur peccatum* finem esse *punire?* Itaque missa hac Caietani deliratione, quæ Romanæ, non autem Evangelicæ doctrinæ congruit, hujus, quam Christus suis Apostolis dedit, potestatis ingenium ac finem ex ipsius Domini verbis spectemus. Illa vero Sole ipso meridiano clariora sunt. *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vides hujus juris finem, & actum, quo ejus functio continetur, esse peccatorum vel *remissionem*, vel ei oppositam *retentionem*; ac illam quidem proprie ac per se; hanc vero per accidens, ob peccatoris impœnitentiam; vt mox patebit. Ergo si *peccata remittere* idem est quod *punire*, concedam equidem Caietano potestatem Apostolis hic datam, esse jus puniendi peccata, eoque spectare totam hujus iuris functionem. Sin plane aliter est, *remittere*que ut omnes norunt, tantum à puniendo distat, quantum à tenebris lux, à supplicio gratia, à pœna impunitas; fatendum est plane diversum esse à *judicio* (ut loquuntur) *punitivo*, hoc quicquid est negotii. Cum itaque ex Christi Domini verbis ministrorum hac in parte verum ac legitimum opus sit, non punire peccatores, quod perperam & ridicule statuit Caietanus, sed *remittere peccata*, vel eadem *retinere*; ut sciamus quæ, qualisque in ministris requiratur cognitio, considerandum est, quænam ad hoc tibi necessaria sit, non ut, quod isti aiunt, *peccatores recte, ac legitime punias*, sed ut *peccata hominũ recte ac legitime vel remittas vel retineas.* Fateor in Principum sæcularium consilio ad hujusmodi judicium requiri accuratam delictorum, quibus Principis venia & indulgentia deposcitur, cognitionem; quod is scilicet non quibusvis criminibus impunitatem largiatur, sed certo tantum generi; Itaque Princeps, qui clementia sua cum hoc judicio utitur, inprimis spectat an propositum crimen ex eorum sit genere, quibus honestè, ac citra reipublicæ perniciem, & cum suæ majestatis decoro, gratia concedi queat; adeoque omnino debet explorare, quid, qualeque id fuerit. Neque ego sane abnuo, si hæc diuinæ in peccatores indulgentiæ Apostolis commissa dispensatio eadem ratione instituenda sit, quin ad hoc fungendum munus ministris quoque necessaria futura sit singulorum à peccatoribus admissorum accurata in specie cognitio. Sed rem secus habere, vel pueri sciunt. Non enim ab ipsius peccati specie, qualitate, vel circumstantiis, sed à peccatoris statu, atque (ut vulgo loquimur) *dispositione* totum hoc negotium pendet. Nam, quod me supra jam dixisse memini, nullum omnino, qualecumque vel quantumcunq; scelus est, quod ex Christi sententia nõ *remitti* debeat, si peccatorẽ vere ejus pœniteat. Nullũ contra adeo leve delictum est, quod nõ sit *retinendum*, si modo reus nulla ejus pœnitentia ducatur; idq; cum non modo ex divinis literis, sed ipsa etiam adversariorum confessione notum sit, pluribus demonstrare nihil necesse est. Cum igitur ministri in hoc se negotio ad Domini sui normam atq; sententiã gerere debeãt, is

vero

vero peccata qualiacumque sint, pœnitentis quidem remitti, impœnitentis vero retineri velit, ac decernat; apparet iis ad hanc dispensationem rite ac legitime administrandam, non singulorum delictorum naturam, sed ipsius peccatoris dispositionem esse pernoscendam, à qua scilicet una pendet tota eorum functio. Nam si peccatorem esse norint pœnitentem, de ejus delictis, qualia illa fuerint, nihil est laborandum: satis est quod eum ipsorum pœniteat: cum qui hujusmodi sunt, iis paratam omnium apud Deum criminum veniam Christus esse voluerit. Sin aliter est, ne unius quidem, tametsi levissimi, delicti remissionem vel à Deo, vel ab ejus ministro, consequi eos decet. Quod & ipsum Dominũ non obscure suis illis apud Ioannem verbis significasse, acute sane ac scite observavit præclarus ille scriptor, qui Concilii Tridentini historiam Italico idiomate nostra memoria edidit, *Dominus Christus* (inquit) *suis illis verbis non duo criminum genera, quorum altera remittenda sint, altera retinenda distinxit, ut ideo necesse sit tenere utrius generis reus sit peccator; sed unum solum genus memoravit, quo omnia omnino peccata continentur,* peccata, *inquit in genere: Duo vero peccantium, sive reorum genera non minus clare distinxit, dicendo*; Quorum, *&* Quorum: *alterum pœnitentium, quibus scilicet remissio concedenda, alterum impœnitentium, quibus neganda. Itaque a ministris peccantis potius statum, quam peccatorum naturam, ac numerum pernosci decet.* Atque ex his liquet, quam futile sit istorum propositum ab Estio prius argumentum; quo confessionem suam ex eo necessariam & à Domino institutam concludebant, quod singulorum peccatorum accurata cognitio, quæ nisi ex reorum confessione haberi nequit, ministro ad hoc necessaria sit, ut imposito *remittendi* ac *retinendi* munere legitime fungi possit. Nam ex hujus muneris ratione ac fine clarissime ostendimus, non aliud ad id recte & ex Domini voluntate obeundum requiri, quam ut minister norit *pœnitens*-ne, an *impœnitens* sit peccator; non autem quæ, quanta, qualiave fuerint ejus delicta: Vnde porro clarissime consequitur arcanam omnem istorum confessionem, quæ non alia de caussa, quam ad hanc singulorum peccatorum comparandam cognitionem urgetur, non esse ministro necessariam, multo uero etiam minus à Domino hoc loco institutam. Lib. v. pag.

Altera etiam longe infirmior, ac ineptior ratio à *satisfactionibus* sumpta erat, quas cum ad ligandi, sive retinendi potestatem pertineat criminum qualitati, pœnitentiumque facultati accommodatas, atque attemperatas imponere, concludunt à ministris omnia peccantium delicta particulatim, ac minutatim debere cognosci. Sed nihil est in tota hac ratiocinatione sani. Nam & falsa sunt, quæ illa ponit, omnia; & si vera essent, ne sic quidem id concluderet, de quo quæritur. Nam, ut ab hoc posteriori ordiar; non hic quæritur an utilis sit illa pro qua pugnant,

gnant, confessio, sed an jure divino ita necessaria, ut eos qui post baptismum peccant, salute excidere necesse sit, nisi illa confessio locum habeat, & ab iis vsurpata fuerit. Iam vero liquet illa Estii ratione nequaquam hoc probari, etiamsi ei, omnia quæ sumit, vel concessa, vel donata fuerint. Nam cum isti doceant contrito, & confesso, tum ipsam peccatorum culpam, tum pœnæ æternitatem remitti; satisfactiones ad redimendam sive expiandam solam temporalem pœnam (alioqui vel hic vel in purgatorio luendam) imponi, apparet *satisfactionem* etiam sine ullo salutis æternæ periculo omitti posse. Non enim qui non *satisfecit*, cœlo perpetuum excluditur, aut vita ac gloria æterna multatur; sed ad tempus duntaxat purgatoriis pœnis afficitur. Itaque ex eo quod accurata singulorum peccatorum confessio requiritur ad hoc, ut satisfactio digna imponatur, efficitur quidem confessionem ad purgatorium si forte declinandū esse necessariam; ad gehennam vitandam, & salutem æternam consequendam esse necessariam non conficitur; quod tamen probandum fuit, cum id illud ipsum sit quod docent adversarii, ut ex disertis Tridentinorum verbis constat, qui eum anathemate feriunt, qui *negaverit confessionem* (vt vocant) *sacramentalem ad salutem necessariam esse jure divino*. Sed nego secundò quicquam eorum, quæ in sua demonstratione assumpsit Estius, verum esse. Primò ea, quæ ab illo supponitur, satisfactio, eo sensu, quem & ipse, & cæteri adversarii accipiunt, pro actione scilicet, qua peccator tantum fecit, quantum is, qui læsus est, Deus jure suo exigere potest, merum est istorum figmentum, & ab omni divinarum literarum luce, & à veteris Ecclesiæ Christianæ doctrina penitus alienum; ut in alio opere fuse, ac luculente demonstravimus. Sed nunc missa cætera de hoc argumento disputatione, nego secundo ad *remittendorum, & retinendorum peccatorum* potestatem ministris à Christo Iohannis vicesimo attributam pertinere, ut aliquam hujusmodi satisfactionem peccatori imponant. Nam si satisfactionis impositio eo jure continetur, cum id totum quantumcumque est, præter *remissionem, & retentionem peccatorum* nihil aliud complectatur, necesse est istarum altera hanc *satisfactionis impositionem* comprehendi; Non autem comprehendi clarum est. Non quidem *remissione*. Nam *satisfactionem imponere*, est pœnam in sontem decernere; *remittere* contrà, est peccati impunitatem largiri. Non ergo *remissione satisfactio* magis quam igne aqua, aut gratia justitiæ severitas continetur. Sed neque *retentione* peccatorum *satisfactio* illa pro peccatis significatur. Nam *satisfactio*, nisi iis, quibus peccata dimittuntur, nulla imponitur; Quorum vero peccata remittuntur, eorum certe non retinentur; Est enim *peccatorum retentio* eorum *remissioni* in oratione Christi è diametro opposita. Ergo non modo *satisfactio* retentione peccatorum nō continetur, sed nec consistere quidem cum ea potest. Si quis vero existimat Christum per verbum *κρατεῖν retinere*, vel abstentionem ab Eucharistia, vel alterius alicuius canonicæ

Sess. x v. can. 6.

nicæ (ut vocant) pœnæ impositionem significare, is vehementer hallucinatur. Est enim *peccatum retinere* contrarium ejus, quod Christus dixit, *peccatum remittere.* Est ergo, quod supra jam monuimus, peccatum retinere, peccatum remittendum negare, definire, ac testari peccatum non remitti. Alioqui cum eorum remittantur peccata, qui sacra Cœna ad tempus arceantur, vel alia canonica pœna afficiuntur, sequetur eorumdem peccata & *remitti*, & *retineri*; adeoque coincidere duas oppositas partes antitheseos hic à Christo institutæ; quod, ut quivis videt, vehementer absurdum est. Idque ita clarum est, vt etiam à Dionysio Petavio fuerit animadversum. Is enim Antonium Arnaldum reprehendit, quod in hoc negotio *ligare* idem esse putaverit, quod pœnitentiam alicui imponere, & eum ab Eucharistia abstinere. Ipse vero *ligare* idem esse docet, quod *peccatum retinere, ac remittere nolle*; idque demonstrat ex oppositione duorum apud Ioannem verborum, τοῦ κρατεῖν, καὶ τοῦ ἀφιέναι, *retinere & remittere.* Sed & illud pariter quoque falsum est, quod ab istis tertio loco sumitur, *debere* scilicet *sacerdotes pro qualitate criminum satisfactiones injungere.* Primò enim apud istos nemo fere est ex confessariis, qui ad istam satisfactionis cum culpæ gravitate proportionem attendat. Pro multis, iisque gravissimis peccatis, paucæ, levissimæque satisfactiones vulgo imponuntur; ipsique confessarii pœnitentes admonere solent *se ijs partem tantũ pœnitentiæ imponere*; ut isti profecto plane ridiculi sint: qui cum singulorũ peccatorũ cõfessionẽ ideo se à fidelibus exigere dicant, ut satisfactionẽ ex criminũ modo metiri, atq; temperare queant, fatentur; ipsi se ad hunc modũ minime attendere, neq; pœnas ei cõvenientes, atq; analogas decernere. Quod quid aliud est, quam palã præ se ferre se non ob ullam necessitatem, sed pro sua libidine, ac velut [illegible] delicias, tam grave jugum hominibus imposuisse? Sed non modo isti satisfactionem non attemperant, aut (ut vulgo loquuntur) *commensurant* culpæ, sed id, ne si velint quidem, vel possunt, vel debent. Ac non posse quidem, manifestum est. Nam cum satisfactio non toti simpliciter peccati *pœnæ*, cujus æternitas ex istorum hypothesi remissa est, sed pœnæ tantum temporali, in quam volunt æternam esse mutatam, accommodanda, atque exæquanda sit; quæ autem, quantaque sit pœna ista temporalis post culpæ remissionem (ut statuunt) residua, & vel hic, vel in purgatorio luenda, neque ipsi, neque ulli alii mortales sciant, sed solus Deus, à quo eam pro suo beneplacito decerni docent; profecto apparet eos frustra de noscenda culpæ qualitate laborare, quam etiamsi didicerint, non ideo tamen scient quæ, qualisque sit temporalis illa ejus pœna, ad cujus proprie ac proxime modum satisfactionem peccatori imponendam temperari decet. Sed fac istos (quod est impossibile) certo nosse quæ, quantaque ex jure sit illa residua singulorum peccatorum pœna, non ideo tamen sequitur, eos debere æqualem ei satisfactionem imponere. Primò enim cum contritio, si magna fuerit, eam interdum totam, certe ali-

liu. 1. de la pœnit public. chap 8. p. 108. 109. 110.

quam ejus partem pro suo modo exhauriat, contritionis autem modum solus Deus, qui corda scrutatur, habeat perspectum: clarum est sacerdotem, qui eum ignorat, de pœnitentis hujus, aut illius pœna, adeoque & satisfactione, quæ ei ex jure respondet, certo arbitrari non posse, neque adeo debere; & si quid in hoc negotio arbitratur, id eum non ex certa lege, certaque scientia, quod in omni recto ac legitimo judicio necesse est, sed temere, & cæco, & inconsulto impetu judicare. Sed & aliud est, quod id ipsum demonstrat. Docent enim Tridentini *non solum pœnis a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis & à nobis patienter toleratis satisfieri* Deo à pœnitentibus pro peccatis; & iis anathema dicũt, qui *hujusmodi pœnis à Deo inflictis & patienter toleratis satisfieri pro peccatis, quoad pœnam temporalem negaverint.* Cum ergo iniquissimum sit *bis in id ipsum vindicare*, clarum est judices istorum confessionarios ne in eam iniquitatem incidant, unice cavere debere, ne peccatori pro ea pœna, quam ipse aut jam expiavit, aut certo expiaturus est calamitate aliqua divinitus aut inflicta, aut infligenda, ullam satisfactionem imponant. Atqui istos plane nescire, neque ulla ratione discere posse constat an Deus aliquam isti peccatori pro hoc aut illo delicto temporalem pœnam vel inflixerit, vel in posterum inflicturus sit; cum id omne negotium ab arcano Dei judicio pendeat, in cujus conscientiam nulla omnino creatura irrumpere potest. Ergo palam est istos frustra de *exæquandis*, ac *commensurandis* peccato *satisfactionibus* garrire; quæ si essent revera aliquæ, ea non ab homuncionibus, rerum & animarum humanarum ignaris, sed ab uno Deo, quem nihil prorsus latet, statui ac decerni & possent, & deberent. Atque hæc quidem plæraque isti Tridentinorum doctrinæ objecta jam olim fuisse, simulatque ea in publicum exiit, narrat autor sapientissimus, qui illius Synodi historiam scripsit; cujus verba, quod præclara sint, hic describere non piguit. *Cæterum nihil mirabilius videbatur, quam illud decretorum caput, in quo peccata* sigillatim ac in specie sacerdoti declaranda esse *ex eo probant*, quod judicium hoc incognita caussa exerceri non possit, neque æquitas in pœnis iniungendis servari, si peccata in genere duntaxat sciantur: *& infra* hanc peccatorum confessionem ideo fuisse à Christo præceptam ac institutam, ut possit à sacerdotibus pœna condigna pœnitentibus imponi. *Hoc vero nihil aliud esse, quam orbi Christiano palam illudere, omnesque pro stultis, & mente captis habere; sperareque ac confidere nihil adeo absurdum esse, quod non facile ac secure sibi affirmantibus credatur. Neminem enim esse, qui nesciat Confessarios, quotidie dum pœnitentias confitentibus imponunt, non modo culparum meritum non expendere, sed ne minimam quidem rationem ejus in hoc suo judicio habere. Synodi quidem verba significare sacerdotes accuratissime toto hoc negotio defungi; & pœnitentium crimina morosissima trutina ita religiose librare, ac pensitare, ut ne unius quidem pili discrimen negligant.*

Sess. xiv. c. 9.

ibid anath. 13.

hb. v. p. 350.

negligant. Atqui rem longe aliter habere. Constare enim passim usu venire, ut reis non unius homicidij, vel adulterij, vel furti; non alia pœna constituatur, quam ut quinquies Dominicam orationem recitent. Et sane doctissimos quosque, imo pœne universos Confessarios diserte pœnitentes monere, se partem duntaxat debitæ pœnitentiæ ipsis imponere. Non ergo necessario imponendam esse omnem illam pœnitentiam, quam culpæ merentur; non adeo exigendam peccatorum, & circumstantiarum singularum anxiam enumerationem. Sed nihil opus esse longiora consectari. Ipsam Synodum cap. 9. & anathemate 19. definire pœnis vel sponte susceptis, vel à Deo inflictis & patienter toleratis pro peccatis satisfieri. Itaq; non modo non necessarium, sed ne justum quidem videri, imponi pœnitenti pœnam culpa condignam; unde consequens est frustra & absurde urgeri accuratam peccatorum enumerationem; quæ eo scilicet instituta esse dicitur. Sed ut hæc mittantur, illud quidem certum esse nullum esse Confessarium quantumvis doctum, circumspectum, ac prudentem, qui pœnas peccatis ab homine communis ac mediocris formæ uno anno commissis debitas ita certo, ac juste possit constituere, ut non dimidia fere diametro aberret; etiamsi canonas de pœnis omnibus omnino peccatis debitis accuratissimos ob oculos haberet; nedum ut quemquam de pluribus scelerati alicujus annis recte ac certo judicaturum spes sit, præsertim cum id judicium brevi, atque extemporanea, non longa & matura plurium dierum consultatione peragatur. Hactenus Tridentinæ Synodi scriptor. Atque ex his clare nunc, nisi fallor, patet, quam vanum sit istorum à satisfactionibus petitum argumentum. Quod si quæras quorsum ergo spectent illæ censuræ, ac pœnæ canonicæ, quas nos ipsi interdum pœnitentibus infligendas esse fatemur, quasque olim *satisfactiones* à veteribus dictas fuisse, sed alio plane sensu, quam quo hodie ab adversariis dicuntur, concedimus, ut est à nobis alibi explicatum; respondeo iis peccatorum non delicta proprie puniri, aut pœnas, quas alioqui in purgatorio scilicet expensuri erant, expungi, sed *pœnitentiam* probari. Cum enim (quod supra professi sumus) ministro de peccatoris *pœnitentia* constare debeat, ad hoc ut ei remissionem delictorum impertiri legitime possit; siquis fit hujusmodi peccator, cui se pœnitere affirmanti credere nos nihil vetet, (in secreto autem pœnitentiæ foro tuto credi non modo posse; sed etiam debere decernunt adversarii) ei ex tempore remissio impertienda est. Sin aliquid sit, vel quod nos ei hoc affirmanti credere prohibeat, vel quod ejus pœnitentiam explorari amplius, vel certe cognosci postulet (ut in iis accidit, quorum nota sunt crimina, & cum proximorum scandalo conjuncta) tum vero non statim repræsentanda est *remissio*; sed pœnitentia peccatoris legitimis, ac solennibus experimentis ad aliquod tempus probanda; ut cum eum vere pœnitere deprehenderit Christi minister, tum ei incunctanter Domini sui gratiam communicare valeat. Atque hoc transferre licet, quod de confessione extat apud Gratianum; hæc fieri scilicet *ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ.* Sed hæc quidem

caus. xxxiii. q. 3. de pœn. d. 5.

quidem ad disputationem aliam, nimirum de disciplina Ecclesiastica, potius quam ad hanc de confessione controversiam spectant. Ergo cum hactenus demonstratum sit Christi servo ad obeundum hoc ministeriũ, non singulorũ delictorũ; sed pœnitentiæ peccatoris cognitionẽ esse necessariam, cumque peccatorem non alia confiteri necesse sit, quam quæ ministro ad id muneris exercendum cognitu necessaria sunt; concludamus peccatorem *remissionis* quidem consequendæ caussa sacerdotes adeuntem apud eos, non *singula delicta*, eorumque *qualitates, & circumstantias*, (quod isti volunt) sed suam tantum *pœnitentiam* testari, ac profiteri hoc constituto à Christo jure teneri neque adeo aliud ei hac in parte necessario incumbere, nisi ut primo quidem se in Deum peccasse, ejusque legem violasse, pœnasque sempiternas commeritum esse fateatur; tum & se admissorum pœnitere, iisque in posterum nuntium remittere,
III.q.68.art.6. ac resipiscere, & vitam emendare velle, sancte testetur. Thomas ea ar-
Matth. III. gumenta solvens, quibus probari videtur eos, qui ad baptismum accedunt, teneri sua peccata confiteri; inde ducta, quod & qui à Ioanne ba-
Proverb.28. ptizabantur, peccata confessi fuisse legantur, & *qui abscondit scelera sua, eum dirigi neget* sapiens, hæc, inquam, objecta dissolvens respondet *à baptizatis non requiri specialem confessionem peccatorum, sed sufficere generalem, quam faciunt secundum ritum Ecclesiæ, dum abrenunciant Satanæ, & omnibus pompis ejus.* Nos eodem modo ad objecta ab adversariis loca respondemus sufficere fidelibus lapsis generalem istam peccatorum confessionem, qua se & peccasse confitentur, & de pœnitentia, ac resipiscentia sua testantur, *specialem*, ac *propriam* singulorum delictorum enumerationem insuper requiri neque ex objectis, ut patuit, neque ex aliis Scripturæ locis demonstrari.

Neque denique melior est tertia ab Estio adducta pro confessionis suæ necessitate ratio. *Deus* (inquit) *non remittit peccata, nisi ea cognoscentibus, & coram eo confitentibus in particulari. Atqui sacerdos in remittendis peccatis agit vicarium Dei & Christi. Ergo quod peccator facere deberet coram Deo & Christo, si Sacramentum non esset institutum, id facere debet coram vicario, videlicet ei confitendo particulatim sua peccata.* Hæc ille; Ego vero omissis, quæ hic de isto Dei (ut sic dicam) *vicariatu*, deque *pœnitentiæ sacramento* dicuntur; respondeo non animadvertisse Estium se sua illa ratione confessionis particularis in ipso baptismo necessitatem contra omnium Christianorum fidem, ac praxin astruere. Nam si, quod iste assumit, verum est, *peccatorem coram sacerdote facere debere, quod coram Deo & Christo facere deberet*; clarum est eum, si adultus est, & rationis capax, in baptismo sua peccata particulatim debere confiteri, cum Deus non in baptismo magis, quam alibi, peccata remittat adultis minime ea *cognoscentibus, & coram eo in particulari confitentibus.* Quid, quod ex præclara illa hypothesi Estiana sequitur debere etiam sacerdotes à pœnitentibus adorari, & pro summis conscien-

tiæ

tiæ ſuæ judicibus agnoſci? Non enim Eſtium negaturum puto peccatorem debere Deum, & Chriſtum, quoties ab iis peccatorum veniam petit, & adorare, & pro ſummo animæ ſuæ judice agnoſcere. Ergo cum omnes ex æquo Chriſtiani fateantur: neque adultos baptizandos ad particularem illam confeſſionem neceſſario obligari, neque niſi ſtultè & impie, ſacerdotes in confeſſionali tribunali adorari, & pro ſummis judicibus agnoſci poſſe; omnino neceſſe eſt Eſtianum axioma, ex quo utrumque illud monſtrum conficitur, falſum eſſe ipſum, & portentoſum. Itaque reſpondeo negando id, quod ſumit Eſtius, à peccatore ſacerdoti Dei hac in cauſſa (ut vult) vicario eſſe tribuenda, quæ ipſi Deo tribuuntur. Nam etſi ſacerdotem Dei vicarium eſſe donavero, non eo tamen fiet, ut idem ſit ſacerdos, quod Deus. Ac licet legatus Principis vices impleat, ac gerat, non tamen idem honos, cultuſque legato, ac Principi debetur. Omnis hæc vicarii poteſtas ad ejus voluntatem, ac decretum referenda eſt, qui eam conſtituit. Deo quidem ſimpliciter ac per ſe omnia debemus. Iſtis, ut vocantur, Dei *vicariis* nihil debemus, niſi quatenus à Deo conſtitutum, ac decretum eſt. Ergo ſi Chriſtus, cujus eos eſſe *vicarios* volunt, id iis juris dedit, ut nobis nullum eorum conſcientiæ, quantumvis occultum, peccatum ſubducere liceat, ſane hoc eis obſequium non negabimus. Sed neque ex Chriſti ipſius verbis apparet, neque omnibus Eſtii & adverſariorum technis, atque argumentis demonſtratur quicquam iſtis hujuſmodi à Chriſto attributum fuiſſe. Fruſtra igitur pugnat Eſtius hoc iis, ideo deberi, quod ſint Chriſti *vicarij*; quibus Chriſtus, ut patet, *vices ſuas* non in ſigillatim cognoſcendis omnibus omnium hominum *culpis*, ſed in *remittendis, pœnitentium, retinendis impœnitentium peccatis* dedit.

Caput IX.

Solvitur & refutatur Vaſquiana confeſſionis ex Ioannis viceſimo probatio.

Hactenus de Eſtii rationibus, quo loco paucis quoq; de Gabriele Vaſque dicendum eſt. Is, quod jam ſupra obſervavi, omnes fere cæterorum demonſtrationes, quibus iſtæ etiam, ut patuit, Eſtianæ ac Bellarminianæ rationes continebantur, exploſit, ſtrenueque evertit. Quid ergo hic tantus cæterorum triumphator ipſe præſtitit? Ille vero primo præfatur *ſibi videri ex illis tantum verbis, quibus confertur poteſtas abſolvendi, non colligi præceptum confeſſionis, & comparendi in hoc judicio.* Et mihi ſane idem videtur. Vnde ergo, quæſo, id colligitur? *Ex utraque,* (inquit) Vbi ſup. dub. 1. §. 13.

(inquit) *potestate in illo capite collata absolvendi, & detinendi simul*, eamque vult fuisse Tridentinorum mentem. Sed Tridentinorum ipsorum sententiam, dum eorum mentem aperire satagit, tantum non erroris atque mendacii arguit. Hæc enim totidem verba habet; *Si tantum voluisset Concilium ferri non posse sententiam incognita caussa, non probaretur, quod intendit.*

ibid. § 12. *Solum enim probaret, si ferenda sit sententia, non potest ferri nisi caussa cognita confessionis, & inde solum constat de institutione Sacramenti, & confessionis, ut recte fiat absolutio, non vero de necessitate confessionis, ut facienda sit necessario, & subdenda absolutioni. Ut enim supra dicebamus, potuit institui, ut esset necessaria confessio ei tantum, qui vellet absolvi, & tunc non esset necessaria; tamen incognita caussa absolvi non posset.* Iam id, ex quo hoc consecuturum ait, Tridentinos Patres tantum voluisse

sess. xiv. cap. 5. disertissima ipsorum verba testantur; *Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cælos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim sacerdotes judicium hoc incognita caussa exercere non potuisse.* Hic Vasques, diserte istos non aliud audis dicentes, quam *judicium hoc incognita caussa exerceri non posse*; quod idem plane esse liquet cum his tuis *ferri non posse sententiam incognita caussa.* Itaque cum Tridentinos id tantum voluisse constet, quod si tantum voluerint, eos tu affirmare non dubitas necessitatem confessionis, quam intendebant, minime probaturos fuisse; quid aliud superest, quam ut tu nobiscum confitearis patres illos tuos graviter esse hallucinatos, suosque nobis παραλογισμοὺς pro veris demonstrationibus falso, & inverecunde obtrusisse? Quod vero Vasques Synodi illius verba nescio quem in sensum mirificum detorquet, id adeo cum sensu communi pugnat, ut ne refelli quidem dignum sit. Sed iste pergit, & quas pateretur an-

ubi supra § 17. gustias hac voce confiteri coactus est. *Quomodo* (inquit) *ex hac ferenda sententia absolutionis, & detentionis, colligatur hæc necessitas* (confessionis scilicet) *non vero ex sola sententia absolutionis, non est facile colligere.* Tum in Almain & Adrianum stilum stringit; & post multas ambages, cum retinendi potestatem dixisset eo contineri, quod *sacerdotes habent potestatem negandi veniam*, tandem qua ratione suæ confessionis necessitas ex

ibid § 18. Christi verbis demonstretur, ita repente aperit, *Optime ergo* (inquit) *inde deducitur ratio ad probandum præceptum confessionis, hoc modo. Sacerdotibus est concessa potestas detinendi peccata, hoc est negandi absolutionem, & veniam; & si clave non errante sacerdos negaverit, detinebit peccata illius ne remittantur, & in cælo detinebuntur eodem modo, & venia negabitur. Tenetur ergo illi parere pœnitens, ut veniam peccatorum consequatur in cælis. Non ergo judicium hoc voluntarium est pœnitenti, ut si velit per illud consequi remissionem se illi submittat; sed est necessarium, quia in judice est potestas detinendi peccata, hoc est negandi veniam, ut ei non dimittantur etiam in cælis,*

& nisi

& nisi ille paruerit judicio, condemnatur. Hæc Vasques. Primò hæc ejus probatio non est, quod eam videri vult, nova. Est enim, ut videtur ea ipsa, qua utitur Aureolus, ex verbo *retinendi* sumpta; cujus & similem ex Bellarmino audivimus, & refutavimus. Secundò; Cum hic idem sit ille Vasques, qui supra toties negavit ex potestate sacerdotibus hic collata, etiam ordinaria, sequi, ut judicium illorum subire sit unicuique necessarium, mirabile est quod nunc adeundi sacerdotis, eique peccata confitendi necessitatem ex potestate detinendi peccata ei concessâ argumentetur. Respondeo ergo, ut supra ad Bellarmini argumentum; primò potestatē ministris hic dari ut solvendi, sic itidē retinendi eorum peccata, qui ipsos adierint, deq; sua vel pœnitentia vel impœnitentia testati fuerint; de cæterorū peccatis, quorum statum penitus ignorant, in alterutrā partem pronuntiandi nullum jus iis esse datum. Cum ergo horū qui scilicet sacerdotem non adeunt, neque suum illi statum privata confessione aperiunt, peccata etiam sine istius ministerio, contritione scilicet, & confessione apud Deum, remitti possint; apparet nihil nos cogere sacerdotum tribunal adire; qualemcumque facias iis datam esse potestatem vel remittendorum, vel retinendorum peccatorum. Neque verò, quod vereri videtur Vasques verendum est, ne minister, si eum minime adeamus, peccata nostra retineat. Neque enim ei ullius peccata retinere licet, cujus statum non cognoverit. Sed saltem, inquies, metuendum est, ne peccatum nostrum ex eorum genere sit, quæ retineri, non autem remitti debent. Respondeo, facile quemque Christianum ex verbi divini tum publica prædicatione, tum privata lectione intelligere, nulla cujusquam peccata retinenda esse, nisi impœnitentis. Cum ergo quisque per se satis possit perspicere, an ipsum peccatorum pœniteat, necne, nihil eum necesse est ministrum adire, quo se hoc metu liberet. Siquis tamen, ut aliquando fit, fluctuat, atque æstuat, nos istum quidem (quod initio docuimus) ministrum adire ad conscientiæ confirmationem, atque consolationem adeo non vetamus, ut etiam ad id officii cohortemur. Necessitatem tantum, & ineluctabile istorum jugum detestamur. Secundò: Ex hac *retinendi* potestate ministris concessa non modo non probatur, quod putavit Vasques, confessionis necessitas; sed contra evertitur. Sic enim ago. Par omnino est iisdemque verbis à Domino concessa peccata & retinendi, & solvendi potestas; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Eadem, ut vides, omnino est utriusque partis ratio. Itaque si hinc sequitur confessionem specialem ministro factam ad remittendum esse necessariam, pari quoque jure sequitur eam ad *retinendum* requiri; & contra. Atqui luce meridiana clarius est ad alicujus peccata *retinenda* non esse necessariam specialem peccatorum ejus apud ministrum enumerationem; sed sufficere generalem & peccati & impœnitentiæ professionem; qua is verbi gratia, dicat ministro se quidem præcepta Dei varie, ac multipli-

in iv. d. 17. q. unic art. 1.

citer

citer violasse; cæterum neque se istorum pœnitere, neque in posterum vitam emendare velle, sed in sceleribus, ac flagitiis perseverare; hoc sibi certum, atque obstinatum esse: An istius quæso peccata retinere non ante ministro licebit, quam ea singula ex ejus confitentis ore audiverit? Nugæ. Nemo non uidet nihil necesse esse hanc ab eo confessionem expectare, quam & ipse proculdubio edere abnuet, ministrumque eam flagitantem irridebit; sed generalem illam hominis confessionem, qua se & peccatorem, & impœnitentem esse professus est, satis esse ad hoc, ut minister ejus *peccata* legitime, valideque retineat. Ergo concludendum est ex altera quoque parte similem peccatorum & pœnitentiæ professionem, qua quis ministro in genere confitetur *se Domini precepta multis modis transgressum esse & cogitatione, & verbo, & opere; cæterum se eorum omnium ex animo pœnitere, verisque lacrymis ac suspiriis, Dei gratiam, ac misericordiam per Christum implorare*; talem, inquam, peccatoris confessionem ad hoc sufficere, ut minister ejus *peccata remittat*; neque adeo, quod volunt adversarii, necessarium esse, ut pœnitens sua sigillatim peccata, una cum singularibus eorum circumstantiis enumeret, atque denudet. Ego hanc Vasqui pro futili, & involuta probatione, veram, claram, ac solidam ex his Domini verbis demonstrationem repono, de quibus hæc satis dicta sunto.

Caput X.

Solvitur secundum adversariorum pro confessione ex Actorum XIX. 18. *petitum argumentum.*

in 3. Thom. tom. 4. q. 90. art. 1. dub 1. §. 22. 23. 24. 25.

Cætera ex divinis literis ab adversariis afferri solita, quanti sint vel hic Vasques testatur, qui repudiatis & Thomæ, & Soti probationibus, & explosa nonnullorum (quorum unus, ut supra vidimus, fuit Bellarminus) ex illis Christi verbis *Quæcumque alligaveritis*, &c. argumentatione, paulò post subiicit, *Omittamus ergo reliqua, si qua adduci possunt, neque opus est probare ex Iacobi quinto.* Ergo cum iste in uno illo Ioannis loco, quem nuper expendimus, figendum gradum putet, cætera vel diserte explodat, vel omittenda dicat; satis apparet ejus judicio, cætera quidem futilia esse, & ad hanc caussam inepta, atque inefficacia; unum si forte Ioannis locum aliquid efficere; quem tamen & ipse difficilem esse confitetur; & nos, ut spero, hujusmodi esse probavimus, ut ex eo confessionis auricularis necessitatem legitime concludere, non modo, quod Vasques ait, *difficile* sit, sed etiam ἀδύνατον. Itaque si cæterorum, quæ Vasquis est, eadem esset hoc in loco ingenuitas, hic priori hujus

ibid. §. 26.

ibid dub. 2. § 23.

hujus disputationis parti finem imponere licuisset. Sed obstat Bellarmini inverecundia, qui quæ tela ipsius sodalis velut ficulnea, fastidit, iis ipse caussæ studio excæcatus, velut legitimis, ac decretoriis armis utitur. Is enim primum multa ex veteri, quædam etiam ex Novo Testamento affert, quibus confessionem suam figuratam olim fuisse contendit; tum secundo alia nonnulla, quibus eam non *figurari*, sed vere doceri ac constitui pugnat. Nos vero, quibus nondum ille probavit rem ipsam vel à Christo institutam, vel ab Apostolis præceptam ac usurpatam fuisse, *figuras* istas nunc quidem paulisper mittemus; ut inspiciamus numquid aliud isti habeant, ex quo vere intelligi possit istam confessionem à Domino, vel ab eius Apostolis mandatam fuisse fidelibus. Postquam de re constiterit, tum ejus, quas isti obtendunt, figuras, cum bono Deo considerabimus. Cap. X.

Ergo Bellarminus quatuor affert loca ex novi fœderis libris; ex Actis Apostolicis, unum; alterum ex Iacobo; tertium, & quartum ex Pauli, & Ioannis epistolis. Antequam de singulis dico, operæ pretium est recitare quid de omnibus universim scripserit Estius, gravissimus sane ac doctissimus istarum partium Theologus, & quidem, quod ex superioribus videre est, confessionis arcanæ defensor acerrimus. *Vt detur*, inquit, *ex his Scripturis probabiliter aliquid colligi pro confessione sacerdoti facienda, quæ tamen à plerisque, non minus forte probabiliter, in alium sensum accipiuntur, & ex mystico sensu non ducitur certum argumentum* (id autem Estius adiicit, propter locum quendam ex Luca, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, quem illis à Bellarmino hic allatis locis adjecerat) *hinc est quod in seria disputatione tales probationes non valde premant adversarium.* Hæ sunt præclaræ illæ, invictæque probationes, quibus se Bellarminus confessionis necessitatem ex diuinis litteris demonstraturum promittit; quæ scilicet teste ac judice Estio, *adversarium non valde premunt*, nedum ut eum ineluctabili certæ veritatis vi & ad ei, quod concludunt, assentiendum cogant, & ex iis Scripturæ locis ducuntur, quæ *à plerisque in alium sensum, neque minus forte probabiliter accipiuntur*. Quod quam vere de istis probationibus pronunciaverit Estius, mox patebit, cum sigillatim omnes excusserimus. in III de pœnit. c. 4. in l. iv. sent. d. 17. §. 1. Luc. xvii.

Primam ergo ducit Bellarminus ex Actuum Apostolicorum capite decimo nono: *Multi credentium*, inquit, Lucas, *veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Adversarius ut ex hoc loco confessionem suam exsculpat, ita agit; *Hic locus* (inquit) *accipiendus est inprimis de confessione fidelium post baptismum. Illi enim proprie dici solent credentes, ut patet Act.* III.4. *&* V.I. I.*Thess.*I. *& alibi. Neque hoc negant adversarij. Deinde loquitur Scriptura de confessione peccatorum in specie, ut ex illis verbis colligitur*, Confitentes actus suos. *Denique agitur hoc loco de confessione facta non soli Deo, sed etiam homini. Nam ad Paulum veniebant,* Act. xix. 18. 19.

H *ut con-*

Cap. X. *ut confiterentur actus suos* Hæc ille: quæ quam fluxa, & infirma sint, nemo non videt. Primò enim, si hæc quæ sumit adversarius, donavero omnia, non ideo tamen effectum erit, quod isti defendunt, confessionem auricularem esse jure divino necessariam. Fuerunt isti fideles Esto. Confessi sunt in specie hæc & illa peccata sua. Esto & hoc. Denique. Paulo confessi sunt, non autem soli Deo. Esto. Quid tum postea? Profecto non aliud hinc sequetur, nisi istos Dei ministro delicta sua, velut vulnera, aperuisse, ut ea ejus consilio, consolatione. &, si etiam hoc placet, auctoritate adhibitis opportunis remediis curarētur; quod nos licere non modo non negamus, sed etiam ultro concedimus, & si quando fit, vehementer probamus. Id istos ex lege divinitus lata, quod nos negamus, necessario fecisse, sic ut nisi fecissent, scelerum veniam à Deo impetrare, quantumuis pœnitentes ac emendati, non potuerint, hinc neque efficit Bellarminus, neque unquam sane efficiet. Sed præterquam quod illa adversarii probatio non id concludit, quod est in quæstione positum, hoc etiam incommodo laborat, quod quæ sumit, ea non clara, certaque, quod ad concludendam quæstionem erat necessarium, sed dubia, incertaque sunt omnia. Principio sumit istos, qui actus suos apud Paulum confessi sunt, fuisse jam, antequam confiterentur, baptizatos, fideliumque cœtui aggregatos. Atqui id non modo non certum, sed ne probabile quidem videtur. *Actus* enim, quos isti confessi sunt, tota sacræ narrationis series clamat, fuisse aliqua magicæ vanitatis sacrilegia; quod & ipse Bellarminus confitetur, cum paulò post vult Paulum ex hac ipsorum confessione *cognovisse eos fuisse curiosa sectatos, adeo ut libros eorum comburi jusserit*, *Curiosa* autem *sectari* & Sanctius Iesuita, & cæteri interpretes, qua veteres, qua recentes, hic apud Lucam accipiunt *de arte præstigiatoria, & magica*, & *libros* intelligunt *magicos*, quibus isti *dæmones aut invocarent, aut evocarent*. Ergo isti, qui actus suos confessi sunt, magicas vanitates, ac diabolicas præstigias, atque impietates exercebant; quas Iudæorum scilicet exorcistarum supplicio, quod istic narrat Lucas, atque exemplo admoniti abjecerunt. tantique sceleris à Christo Domino veniam quæsiverunt, omnia sua in nefaria illa arte anteacta studia, ac facinora ex vero pœnitentiæ morsu apud Paulum Christi ministrum cum eorum detestatione confitentes, ac nudantes. Quis vero crediderit homines Christianismo initiatos atque à Paulo edoctos, post salutarem Domini agnitionem adhuc hæsisse in illo Diaboli luto, unaque cum veri Dei cultu nefariam artem post acceptum sanctissimum Christi baptismum exercuisse? Hoc ἄτοπον aliquatenus vidit Sanctius; sed solvit. Ait enim *illud nonnullis videri durum, quod fideles, seu credentes ad illud usque tempus retinuerint superstitiosos libros, & magicæ disciplinæ, quos hic dicuntur combussisse edocti exorcistarum supplicio. Qui sane si Christiani fuissent, & prius ab Apostolis edocti, abjectari fuisse videbantur.* Hanc objectionem Sanctius ut repellat, negat istos, qui *actus suos confessi* dicuntur,

ubi sup. §. Sed prima solutio.

eosdem

eoſdem cum iis fuiſſe, qui libros magicæ vanitatis combuſſiſſe ibidem narrantur; quod ex ipſis Lucæ verbis conſtare ait; *Multique credentiũ veniebant confitentes,& annuntiantes actus ſuos Multi autẽ ex iis, qui fuerant curioſa ſectati,contulerunt libros,& combuſſerunt. Illud* autẽ *ſatis diſtinguit*(inquit Sanctius)*confeſſos, ab iis, qui libros abiiciunt,& perdunt flãmis.* Itaque hos concedit, certe concedere videtur, Chriſtianos ante id temporis non fuiſſe; illos vero fuiſſe pertendit. Ego vero eoſdem utroſque fuiſſe, tametſi Bellarminus Sanctii conſectaneus, ut nuper dixi, affirmet, nolim equidem pugnare. Hoc aio, miſſis iſtis qui libros cremaſſe dicuntur, de iis, qui confeſſi ſunt eandem ſupereſſe difficultatem, quam vel non animadvertit, vel callide diſſimulavit Sanctius. Nam & hos, tametſi nullos magicos libros combuſſiſſe conceſſerimus, apparet tamen aliquid magicæ vanitatis factitaſſe, iis ſimile, quæ ab exorciſtis Iudæis exercebantur. Quorſum enim Lucas narrata iſtorum exorciſtarum pœna, atque ignominia, ſtatim ac continenter hæc ſubiicit, *Hoc autem notum factum eſt omnibus Iudæis, atque Gentibus qui habitabant Epheſi; & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Ieſu, multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Nemo non videt iſta non cohærere, & alieno, non ſuo loco inſulta eſſe, niſi iſtos, quod clarum eſt, confiteamur aliquid cum exorciſtarum peccato commune habuiſſe; quod & ipſum confirmant, ea quæ his attexit Lucas; *Multi autem ex iis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, &c.* Omnia eodem pertinent. Nimirum famâ per totam civitatem ſparſum mirabile exorciſtarum ſupplicium cæteros vel eandem, vel ſimilem aliquam vanitatẽ factitantes terruit, ut pars actus ipſi ſuos confiterentur; pars etiam libros ad nefariam diſciplinam pertinentes cremarent. Et nomen πράξεις, quo uſus eſt Lucas, quodque Latinus *actus ſuos* non inepte reddidit, ſignificat hujus generis actus, magicos ſcilicet, vel præſtigiatorios. Statim verſu proximo verbum πράττειν, à quo πρᾶξις eſt, Lucas in re eadem uſurpavit; ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, *multi ex iis qui curioſa* (id eſt magica & vana) *factitarant, vel egerant:* quod Latinus eleganter dixit, *ſectati fuerant.* Ergo & πράξεις, quas iſti ſuperiori verſiculo confitebantur, τῶν περιέργων πράξεις erant, *actus curioſa illius vanitatis,* cujus artifices juſto Dei judicio male multatos fuiſſe compererant. Ergo concluſum eſto iſtos, qui actus ſuos confeſſi ſunt, magicæ artis vana, ac nefaria fuiſſe conſectatos, antequam ad hanc confeſſionem venirent; adeoque videri non Chriſtianos ex baptizatorum fidelium numero fuiſſe, (qui, qualeſque ſi fuiſſent, omnino incredibile eſt eos in tam horrendo ſcelere fuiſſe adhuc perſeveraturos) ſed homines baptiſmi ad hæc tempora expertes. Quod vero Bellarminus, & Sanctius, & alij ſubiiciunt iſtos à Luca *credentes* dici; id autem eſſe fidelium baptizatorum nomen, ut ex Actor. III. & IV. & 1. Theſſal. 1. patet; reſpondeo participium illud *credentes*, ſive πιστεύοντες revera interdum (ut loquuntur

Cap. X.

verſ. 18 19.

Cap. X. Grammatici) *nominascere*; idemque esse quod πιστοὶ, id est *fideles*; οἱ πιστεύοντες, & οἱ μαθηταὶ nullo discrimine pro hominibus baptismo initiatis, Christoque Domino consecratis ponuntur; tametsi id non sit perpetuum; sæpe enim *credentium* πιστευόντων vocabulum *participialiter*, non *nominaliter* usurpatum legitur. Sed hæc Bellarminus, quod ejus pace dictum sit, præter rem attulit. Nam in istis quos innuit, locis vocabulum πιστεύοντες diserte habetur; ut cum Paulus ait Thessalonicenses *factos* in Thess.1.7. *fuisse formam* πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν ἐν τῇ μακεδονίᾳ, *omnibus credentibus in Macedonia*; & si quid aliud afferri potest simile. In hoc autem Lucæ, de quo quæritur, loco, non habetur vocabulum πιστεύοντες, quod ipse à Latino deceptus putavit; sed πεπιστευκότες; quod est participium præteriti temporis activum, neque unquam *nominascit*, sed necessario actionem significat. Πολλοί τε τῶν πεπιστευκότων ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι, *Multique eorum qui crediderant* (non autem proprie *credentium*, quod habet Latinus) *veniebant confitentes*. Syrus id vidit: Itaque vertit, non, ut male Latinus, *multi credentium*, sed *multi ex illis, qui crediderant*. .סין,אילין רהיטנו Optime, & plane ad Lucæ, nostramque mentem. Ergo hoc vocabulo testatur Lucas istos, non, quod vult Bellarminus, Christianos baptizatos fuisse, sed *credidisse*; significatque quid egissent, non autem qui, qualesque fuissent, Istos *credidisse*, antequam confiterentur, è Luca haberi concedo; fuisse baptizatos colligi, nego. Nimirum isti, ut videtur, & Pauli prædicatione, signisque sæpe antea commoti, leviter assensi erant Christi veram esse disciplinam, & nuperrime ingenti illo exemplo in sui generis, ac studii homines vi ac reverentia Christi ab ipsis dæmonibus edito perterriti plane penitusque crediderant: Itaque nunc tot documentis victi quod crediderant profitentur; suæque vitæ genus, labes, ac flagitia confitentes, Christo nomen dant, baptismumque suscipiunt. Hæc veri simillima videtur hujus loci expositio, certe convelli, aut confutari haud facile potest; quæ si hic locum habere potest, clarum est ad hanc caussam non pertinere illam istorum memoratam à Luca confessionem; quæ scilicet baptismum vel antecessit, vel comitata est; cum quæ ab adversariis defenditur, peccatorum nisi ab homine Christiano post baptismum admissorum nulla sit. Iam neque firmius est, quod secundo loco sumit adversarius istos de quibus Lucas loquitur, peccata sua omnia, mortalia scilicet, in specie esse confessos. Vnde enim id habet? Lucas certe nihil aliud dicit, nisi *eos confessos esse, & actus suos an-* in Act.xix.18. *nuntiasse*, vel potius *indicasse*. Id enim proprie significat τὸ ἀναγγέλλειν, quo usus est scriptor diuinus; quod τῷ κρύπτειν opponitur, ut est à Beza nostro vere obseruatum. *Actus* scilicet, sive πράξεις vocat magicas incantationes, præstigias, evocationes, & alia id genus maleficia; quibus illi quantumvis pudendis, ac nefariis, se antehac operam dedisse non negabant, Deum laudibus efferentes, qui ipsos ex tam alta infœlicitatis ac maledictionis abysso per Christi sui gratiam eruere, veraque luce do-

nare

nare dignatus esset. Nam prius verbum, ἐξομολογούμενοι *confitentes* ego quidem cum clarissimo Viro Iohan. Deodato libens ad Dei laudem, divinæque misericordiæ agnitionem ac celebrationem refero; quo in sensu id à scriptoribus sacris vulgo usurpari sciunt, qui in Scripturis vel leviter versati sunt; ut significet Lucas plurimos Dei in se bonitatem celebrasse, neque erubuisse palam aperire, ac indicare, maleficia, damnatasque artes, in quibus hactenus vitam traduxerant. Ergo non equidem negaverim istos certa quædam scelera, impietatisque genera, proprie notasse, in quibus antea versati essent (id enim plane significat quod ait Lucas eos indicasse πράξεις αὐτῶν, *actus suos.*) Neque aliud probant allatæ à Bellarmino rationes. Nam verbum ἀναγγέλλειν, in quo iste anxie philosophatur, nihil aliud est, quam *renuntiare*; neque verbum שׁעי quo id expressit Syrus, aliter quam *renuntiare* reddidit Bodetianus. Qui vero se in hoc, aut illo genere peccasse prodit, atque indicat, cum id antea occultum esset, is vere ac proprie dicitur *actus suos* ἀναγγέλλειν. Atque id satis fuit, ut cognosceret Paulus istis libros fuisse curiosos, juberetque adeo impia volumina cremari, si tamen quorum libri exusti sunt, ii ipsi fuerunt, qui *suos actus* dicuntur renuntiasse; quod, ut nuper audivimus, Gaspar Sanctius vehementer absurdum putat. Hactenus istos peccata sua nudasse ac patefecisse concedo; ita scilicet, ut neque omnia eorum, in quibus deliquerant, genera, sed summa tantum, maximeque insignia, qualia erant magicarum artium maleficia, proderent; neque ipsorum illorum generum, de quibus confitebantur, singulas species, multo minus singulos actus, sive singula delicta, quod fit in adversariorum confessione, anxie dinumerarent. Id enim Bellarminus frustra hinc se conficere posse speravit. Vbique (inquit) *Scriptura, cum absolute de peccatis loquitur, de omnibus peccatis intelligi solet, ac debet; & si liceret exponere de quibusdam, non autem de omnibus, absurdissimæ sententiæ in divinis literis invenirentur: Daniel* iv. Peccata tua eleemosynis redime: *Matth.* I. Ipse enim salvum facit populum suum à peccatis eorum, &c. *In his, & infinitis aliis locis non ponitur signum universale, & tamen nemo dubitavit umquam, quin sub intelligeretur, & idem sit* peccata tua eleemosynis redime, *& omnia peccata tua eleemosynis redime. Quare secundum usum Scripturæ confiteri & annuntiare actus suos nihil potest esse aliud, nisi palam facere omnia sua peccata.* Hæc ille; quæ cum scriberet, nihil aliud pensi habuisse videtur, quam ut quicquid in mentem veniret, chartæ illineret. Quid enim istis futilius fingi potest? Peccata, inquit, quoties in Scripturis dicuntur indefinite, intelliguntur uniuersaliter. Non sane inquam, ex *vi verborum*, ut loquuntur in Scholis, sed ex rei subjectæ ingenio. Sed id, quatenus & qua ratione verum sit, nihil nunc quidem necesse est operosius disquirere. Quorsum enim hæc, Bellarmine? aut quid tibi vis, cum *peccata* quomodo in Scripturis intelligantur, nobis ita morose dictas? Atqui *peccati* nomen nullum est apud Lucam. Ille istos non *peccata,*

Cap. X.

ubi sup. §. Altera solutio.

CAP. X. *cata*, quod tu somnias, sed πράξεις *actus suos renunciasse* scribit. Ergo si actus licet indefinite dictos, uniuersaliter perinde ut *peccata* in locis à te recitatis, accipi hic jubes; vide, quæso, quid sequatur. Primo sequitur istos non tantum secus facta, sed etiam bene & cum laude gesta, fuisse confessos; neque enim hæc minus quam ista πράξεις sunt. Atque hinc tibi novum dogma exorietur nimirum in vestra confessione etiam sua quemque benefacta, omnesque pietatis actus sacerdoti sigillatim non minus, quam sua peccata, enumerare debere. Deinde & illud quoque sequetur istos minime, quod tu tamen vis, peccata sua omnia confessos esse; sed externa tantum & opere ipso patrata. Non enim interiora peccata, quæ sola vel concupiscentia, vel animi deliberatione intus admittantur, πράξεις vocantur. Neque credo, hoc ipso πράξεων sive *actuum* libro alia contineri dixeris, quam quæ sunt ab Apostolis reapse gesta, & opere externo (ut sic dicam) completa. Vnde rursum fiet, quando hanc istorum confessionem vestræ exemplar, ac normam esse vis, ut nunc fideles, non alia quam externa peccata necessario confiteri debeant; non auté interiora animi, quantumvis mortalia, peccata, quæ cum cogitatione, & consilio tãtum peccentur, πράξεις nec sunt, nec dicuntur. Ergo cum ex Bellarmini interpretatione hæc, quæ ipse absurdissima esse non negat, necessario consequantur; necesse est ut eam vel inuitus abiiciat, nobiscumque fateatur illos *actus* quos isti *indicasse*, sive *renuntiasse* dicuntur, non omnes omnino eorum actus intelligi, sed pro re subjecta, totiusque sacræ orationis circumstantiis, eos duntaxat, qui ad τὰ περίεργα, id est ad magicas vanitates pertinebant. Denique, neque hoc omiserim, etiamsi Lucas non actus. quod scripsit, sed *peccata*, quod cupit Bellarminus, istos *renuntiasse* dixisset: non ideo tamen consequens fore, ut eum de omnibus istorum peccatis intellexisse putemus, ad eum modum quo Daniel, & cæteri ab adversario citati Scripturæ loci de omnibus peccatis sunt interpretandi. Nam hos quidem, dum *peccata à Domino remitti, & ablui, & eleemosynis redimi, &c.* dicunt, clarum est, de quibusvis prorsum peccatis, etiam iis, quæ *venialia* dicuntur, loqui; Illos vero, de quibus Lucas, peccata plane omnia, etiam venialia confessos esse Bellarminus credo, non dicet; aut si dixerit, ergo & illud contendere consequenter debebit, non sola mortalia, quod isti hactenus jure divino necessarium esse putarunt, sed & ipsa *venialia* sacerdoti à fidelibus necessario esse confitenda.

Postremo neque illud firmum est, quod tertio ac ultimo loco Bellarminus sumit, istos Paulo confessos esse. Vero propius videtur eos *actus* suos, non apud unum aliquem, puta Paulum, aut alium ex ministris, sed apud omnes, qui aderant, indicasse. Certe Bellarminus diserte fatetur *Lucam non dicere, utrum venerint coram cœtu fidelium, aut privatim ad Paulum, aut ad aliquem alium*; quod unum ad evertendũ omnem

ubi sup. § Denique quod illi.

ejus

ejus demonstrationem satis est. Nam cum ea *confessio*, quæ coram pluribus fit, non *sacramentalis*, de qua nunc quærimus, sed *satisfactoria*, hoc est alterius generis, quam hæc arcana ab istis habeatur; ipsi autem concedant ex hoc Lucæ loco definiri non posse, utrum ista eorum, de quibus idem narrat, confessio, uni facta fuerit, an pluribus; omnino consequens est, ut iidem fateantur suam illam *arcanam* sive *sacramentalem confessionem* minime ex hoc loco demonstrari posse. Cætera, quæ contra Calvinum proprie Bellarminus hic differit, licet alioqui inania pleraque, & inepta, mitto; quod ea ad Lucæ locum explicandum non pertineant. Atque ex his quidem satis nunc, ni fallor, constat, quam non modo obscura, & incerta, sed etiam futilis atque ridicula sit omnis illa Bellarminiana confessionis auricularis ex his Lucæ verbis probatio; quamque adeo impudens sit Baronij assertio, qui non est veritus scribere *certum esse hanc a Luca commemoratam peccatorum confessionem ab illa, quam ad Ioannis baptismum venientes agere consueverant, diversam plane fuisse*; & paulò post certissimum esse suam illam arcanam, ac (ut vocant) sacramentalem, *confessionem Ephesi coram Paulo usu receptam fuisse*. Mitto, quæ nos supra diximus. Ipsi certe adversarii, iique neque pauci, neque ignobiles id quod iste *certum & certissimum* esse ait, non modo in dubium revocant, sed etiam vehementer refutant. Quin & apud eos inventus est Iesuita, qui hanc Baronij inverecundiam castigare non dubitavit. Is est Lorinus, qui in spisso in Actus Apostolicos commentario, recitatis suorum de hoc loco opinionibus, & iis ipsis, quæ modo descripsimus, Annalistæ verbis, *Non ausim* (inquit) *illud usurpare Baronij*, certum est. *Nam excipere quispiam posset sermonem non esse de jam baptizatis, sed de catechumenis, jamve animo ac voluntate propensis ad doctrinam Pauli, eo Christianam religionem, ut non raro in superiore hac historia tota, in qua ante baptismũ quidam* credidisse *dicuntur*, *vel* credentes conversi esse ad Dominum. *Ad hæc videtur Lucas loqui de illis, quos proxime ante nominaverat Gentiles & Iudæos, qui nimirum terrore correpti propter cæsos exorcistas à dæmoniaco, & Christi magnificantes nomen, accurrerunt ad Paulum, ex eo timore conceptam de vita præterita pænitudinem illi demonstrantes, ac peccata etiam, præsertim quæ pertinebant ad malas, & superstitiosas artes.* Tum hanc ipsam (quæ sane & nostra est) interpretationem ex Basilio, Anastasio Nicæno, & Beda, & aliis Patribus probat; &, *Accedit*, inquit, *quod nullus ex antiquioribus Theologis probat ex hoc loco sacramentalem confessionem; neque vel Concilium, vel Catechismus Concilij Tridentini, nec ex recentioribus nonnulli, qui hoc tamen accurate sunt argumentum persecuti.* Hæc ille; quæ quum vere scripserit, clarum est. Primo enim Caietanus Cardinalis commentario in Acta Apostolorum, anno Christi M. D. XXIX, post jam exortas cum Luthero controversias scripto, in hunc ipsum locum ita commentatur; *Quemadmodum* (inquit) *ad baptismum Ioannis concurrebant confitentes peccata sua* (*ut dicitur Marci primo*) *ita modo describun-*

Cap. X.

Tom. I. ann. 56. §. 41.

in Act. XIX.

in Act. XIX. 18.

CAP. X. *scribuntur confitentes facta sua, proculdubio in genere, aut publica. Neutra enim fuit confessio sacramentalis, sed professio pœnitentiæ vitæ præteritæ.* Sed & hanc Caietani apertissimã de hoc loco sententiã cum Ambrosius Catharinus, ut alia ejusdem viri non pauca, temere atque ex livore quodam potius, quam ex vero reprehendisset, non ideo tamen postea defuerunt, qui eam sequerentur. Certe scribit Vegas, nobilis apud istos Theologus, hæc Lucæ in Actibus verba *referri posse ad confessionem quandam in genere, quæ sicut tempore Ioannis ante baptismum ipsius, ita tempore quoque Apostolorum à suscipientibus Christi fidem fiebat, antequam daretur eis baptismus Christi.* Lorinus Iesuita idem, ut paulò ante diximus, fatetur, traditque *Michaëlem de Palatio aperte docere confessionem auricularem nec hinc colligi, nec ex* quodam *Basilij testimonio* in eam rem à Canisio adducto; *atque hoc nomine Catharinum arguere, quod* Caietanum *id negantem reprehenderit.* Sanctius, licet aliud ipse secutus sit, fatetur tamen *dubitare aliquos, an confessio hæc sacramentalis fuerit, an vero generalis quædam professio, ac publica, qua se aliquis in genere peccatorem profitetur;* & *hoc ultimum sentire* ait tum Caietanum, tum Vegam, à nobis nuperrime memoratos, *neque ab his longe abesse Ariam Montanum.* Quibus etiam addere potuit Ioannem Maldonatum; qui, *Neque* (inquit) *debemus niti testimonio Actor. c. 19. ubi multi commoti concione Pauli dicuntur venisse confitentes, & annunciantes actus suos; quia tantum agitur illic de confessione illa generali, quæ solet præcedere baptismum.* Maldonato adjungere possumus & Guillelmum Estium, cujus præter illa, quæ de his locis in genere dicta initio statim attulimus hæc insuper de his proprie Lucæ verbis annotationibus in Acta leguntur; *Quidam* (inquit) *Sacramentalem confessionem hinc statuunt* (Bellarminum, ut vides, Baronium, Sanctium, & cæteros notat) *& nonnihil pro iis facere videtur, quod in Græco est* πεπιστευκότων, *id est eorum qui crediderunt. Sed revera non alia videtur hic intelligi confessio, quam qualis facta legitur Matth. III. à Iudæis venientibus ad baptismum Ioannis. Erat autem quædam exterior professio veræ pœnitentiæ, & sinceræ conversionis ad Deum, ac detestationis peccatorum, siquis ea non vereretur etiam palam annunciare, quod videtur hic factum ab ijs, qui recens crediderant, & baptizari volebant, inter quos erant, qui curiosa fuerant sectati; id est, magica exercuerant; atque hoc peccatum suum, etiam allatis secum libris, iisque publice combustis, confessi sunt.* Hactenus Estius; unde liquet quid de Bellarminiana ista probatione judicandum sit, quam non modo nos explodimus, qui *confessionis* arcanæ necessitatem negamus, sed & ipsi illi, qui eam probant, Caietanus, Vegas, Michaël de Palatio, Arias Montanus, Maldonatus, Lorinus, Estius, celeberrimi omnes istarum partium Theologi rejiciunt, ac refutant; nequid de Vasque dicam, qui quanti eam fecerit, satis ex iis patet, quæ supra de ipso memoravimus.

Annot. in Caiet. de sacr. pœnit. pag. 181.

l. XIII. de justific. c. 18. an. 28.

in Act. XIX. 18.

de corrup. verb. D. c. VIII.

in Act. XIX. 18.

Tom. I I. de pœnit. c. 2. de orig. confes. p. 36. col. 2.

in Act. XIX. 18.

CAPUT

Capvt XI.

Solvitur tertium adversariorum argumentum ex 2.Cor.v.19.20. pro confessione auriculari petitum.

Nunc ad secundum locum veniamus à Bellarmino ex posteriore ad Corinthios epistola allatum, *Dedit nobis* (Deus scilicet) *ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, &c.* Ad hæc Apostoli verba ita commentatur adversarius: *Hæc,* (inquit) *verba ad potestatem clavium pertinere fatetur Ioannes Calvinus lib. iv. institut. cap. 1. §. 22. Et tam publice quam privatim apud fideles baptizatos esse debere usum harum clavium, libenter agnoscit. At profecto qui mittuntur legati cum potestate reconciliandi inimicos Regis cum ipso Rege, non possunt recte munere suo defungi, nisi cognoscant ex ipsis reis, quid egerint, quam graviter regiam majestatem læserint, quam satisfactionem persolvere sint parati. &c. Quare potestas ista ministerialis reconciliandi eos necessario fert secum potestatem cognoscendi caussas reorum, atque adeo confessiones exigendi, & audiendi. Neque enim Ministris licet pro arbitrio quoslibet, etiam non auditos, reconciliare.* Hactenus Bellarminus; non tam ex Paulo, quam ex Calvino argumentans. Nam Paulum quidem eo loco de Evangelij ministerio, ac prædicatione loqui, & demonstrant continenter sequentia ejus verba, quæ adversarius de industria, ne ea ipsam proderent, tacuisse videtur; *legatione* (inquit) *fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*; & vero fatentur Romanæ communionis, quotquot vidi, interpretes. Anselmus; *Christus proprie fuit legatus Patris; sed nos pro eo fungimur legatione, ut vice ejus prædicemus reconciliationẽ gentibus.* Thomas; *Quasi dicat, hoc modo dedit nobis ministerium reconciliationis, qui posuit in nobis verbum reconciliationis; id est dedit virtutem, & inspiravit in cordibus nostris, ut annunciemus mundo hanc reconciliationem factam esse per Christum; & hoc faciendo inducimus homines, ut se Christo conforment per baptismum.* Carthusianus; Dedit nobis ministerium reconciliationis; *id est officium Evangelicæ prædicationis, qua ista reconciliatio annuntiatur hominibus, commisit nobis suis vicariis;* Mox, Et posuit in nobis verbum reconciliationis] *id est prædicationem pacificationis inter Deum & homines factæ.* Caietanus, *posuit in nobis sermonem reconciliationis mundi. Iste est modus ministrationis; scilicet delegatio Evangelij ad reconciliandum mundum. Ista est ratio ministros nos instituendi, scilicet dispersio per mundum membrorum Christi; Discerne inter Christum, & ministros reconciliationis. Per Christum facta est reconciliatio, in Christo locatur ipsa reconciliatio. In ministris*

2.Cor.v.19.20.

in 2.Cor.v.19.

In eund locum.

Cap. XI. *vero sermo reconciliationis, qui est Evangelium Christi.* Gagnæus, posuit in nobis verbum reconciliationis] *id est, Evangelium remissionis peccatorum, & reconciliationis, nobis prædicandum commisit.* Emanuel Sa, dedit nobis ministerium reconciliationis; nobis *scilicet Apostolis, scilicet prædicandæ, & quodammodo perficiendæ*, verbum reconciliationis, *id est, prædicationem seu negotium.* Menochius, ministerium reconciliationis] *Vt scilicet per nostram prædicationem persuadeamus hominibus Christi fidem, & pœnitentiam, novam, & Christianam vitam, & ita ipsos Deo reconciliemus*; mox, verbum reconciliationis) *prædicationem scilicet verbi Dei, quo Deo homines reconciliemus. Vel verbum idem significat ac rem, ut non aliud sit verbum reconciliationis, quam ipsa reconciliatio, sive potestas, & ministerium homines Deo reconciliandi.* Tirinus, Qui nobis *Apostolis* dedit ministerium; *id est commisit officium* (*versu sequenti* verbum, *id est negotium*) *reconciliationis hominum cum Deo, verbo primum promulgandæ; deinde sacramentorum impertitione etiam procurandæ.* Hæc illi; ex quibus liquet nulla arte ex Pauli verbis colligi posse Romanæ confessionis necessitatem, nisi prius probatum fuerit nemini vel Evangelium prædicari, vel baptismum, & quicquid est aliorum Sacramentorum administrari posse, nisi qui peccata sua omnia in specie confessus fuerit; quod quam non modo absurdum, sed etiam stultum ac delirum sit, omnes vident. Sed (inquit Bellarminus) ipse Caluinus fatetur hæc verba ad potestatem clavium pertinere; quarum usum apud fideles baptizatos tam privatim, quam publice esse debere concedit. Ille certe, & quidem merito, contra Catharos, & Anabaptistas pugnat etiam iis, qui post baptismum lapsi sunt, veniam, si pœniteant, & resipiscant, pacemque, ac reconciliationem apud Deum in Ecclesia esse paratam; idque ex eo conficit, quod claves à Christo ministris datas, non modo erga eos, qui ab impietate ad Christi fidem convertuntur, sed etiam erga fideles ipsos exerceri deceat. *Quod Paulus* (inquit) *docet, cum scribit, legationem reconciliationis depositam esse apud Ecclesiæ ministros, quo subinde populum nomine Christi exhortentur ad se reconciliandum Deo.* Sed hic primo observandum non ad solos fideles, hoc est jam baptizatos, id clavium ministerium à Calvino restringi; ut patet ex iis, quæ postea de clavibus ex professo disputat; definiens earum potestatem *esse simpliciter Evangelij prædicationem.* Atqui *prædicatio Evangelij* etiam erga eos exercetur, qui cum foris sint, postea conversi, per baptismum *reconciliantur*; ubi ne adversarius quidem dixerit confessionem illam suam auricularem esse necessariam. Secundò Calvinus satis ostendit, quale esse putaverit illud *reconciliationis ministerium*, quamque procul à *confessionis* (ut vocant) sacramentalis tormento alienum, cum ejus in Ecclesia erga fideles exercitium sic describit. *Ergo* (inquit) *in sanctorum communione ipsius Ecclesiæ ministerio nobis assidue remittuntur peccata, cum presbyteri, vel Episcopi, quibus hoc munus commissum est, pias conscientias Evangelicis promissionibus in spe veniæ, & remissionis confirmant,*

[Margin notes: in 2. Cor. v. 19. — in 2. Cor. v. 18. 19. — Instit. l. iv. c. 11 §. 1. — Instit. l. iv c. 1. §. 22.]

firmant, idque tam publice, quam privatim, prout necessitas postulat. Ut vero pii alicujus *conscientiam Evangelicis promissionibus confirmes*, nihil necesse est ab eo accuratam singulorum peccatorum confessionem vel exigere, vel audire. Si quis plura desiderat, Calvini in hunc ipsum Pauli locum commentarios adeat, in quibus diserte profitetur totum id reconciliationis ministerium *consistere in prædicatione Evangelij. Tum nos* (inquit) *in Dei gratiam rite & ordine restituunt Ecclesiæ ministri, cum per Evangelium nobis testes sunt de reconciliata nobis Dei gratia. Hoc testimonio sublato nihil restat præter meram imposturam.* Sed Calvinum urget adversarius; aitque *legatos non posse inimicos regis cum ipso recte reconciliare, nisi cognoscant ex ipsis reis, quid egerint, quam graviter regiam majestatem læserint, quam satisfactionem persolvere sint parati, &c. neque enim ministro licere quoslibet pro arbitrio reconciliare.* Ego vero solennem hanc istorum cantilenam agnosco, eamque supra perspicue (nisi fallor) & valide confutavi; neque hic quicqnam novi affert adversarius: ut hunc Pauli locum, si omnino in hac disputatione adhibere voluit, non seorsim proponere, sed supra in prima argumentatione tribus illis Matthæi, Ioannisque locis accensere debuerit, ex quibus eam constituere conatus est ministrorum potestatem, quæ sine confessione exerceri nequaquam posset. Eodem enim, ut liquet, totum hoc ejus ex Pauli de reconciliationis ministerio verbis ductum argumentum pertinet. Id tamen, & hic breviter, dissolvere non pigebit, tametsi jam supra satis alioqui cōfutatum. Itaque uno verbo nego, quod assumit adversarius, scilicet jus, sive potestatem legati aliter exerceri non posse, nisi ii, qui ipsius opera Regi reconciliantur, omnia sua & singula in Regem peccata accurate, particulatimque confessi fuerint. Certe vel in ipsis rebus humanis, quam hoc sit ridiculum, nemo non videt. Te enim quæso, Bellarmine, nulli-ne à ministris, sive legatis regiis facta pace redintegrantur, nisi quorum ex ore singula in principem crimina audita fuerint? Imo sæpe reconciliantur, qui in genere confessi se multa præter officium in Principem gessisse, seque deinceps in ejus fide & obsequio futuros testati, ne unum quidem verbum, de singularibus quæ admiserunt, peccatis, vel de eorum circumstantiis addunt. Sed in divinis res etiam multo manifestior est. Dic enim mihi, Bellarmine, Annon Deo reconciliantur qui audito Evangelio credentes, Christo dant nomen, & ab ejus ministris sacro baptismo tinguntur? Nonne ministri Christi Domini in hoc negotio legati sunt? Certe hoc negare non potes. *At*, inquis, *non possunt legati recte munere suo defungi, nisi cognoscant ex ipsis reis, quid egerint, quam graviter regiam majestatem læserint*, &c. id autem cognoscere non aliter eos posse, quam ex confessione catechumenorum constat. Ergo, inquam, neminem catechumenum recte, ac legitime Deo reconciliare possunt, nisi à quo confessionem omnium anteactæ vitæ peccatorum sigillatim audiverint. Hoccine probas? Non, inquis. Satis enim est,

 ut cate-

CAP. XII. ut catechumenus in genere profiteatur se & graviter in Deum peccasse, & nunc *Satanæ, omnibusque ejus pompis abrenunciare*; neque ab eo, quod

3. q. 68. art. 6. supra ex Thoma audivimus, *requiritur specialis confessio peccatorum.* Ego vero idem tibi eodem modo contra me argumentanti respondeo, Baptizato non magis necessariam esse specialem illam, quam urgetis, confessionem, quam baptizando. Sed, inquis, non licet ministris quosvis pro arbitrio baptizatos reconciliare. Certe, inquam. Sed neque baptizandos, siquidem adulti sint. Non enim credo ministris licere vis impœnitentibus baptismum magis, quam absolutionem conferre. Quid ergo est? Nimirum non alia sunt quæ vel in baptismo, vel in pœnitentiæ foro remittuntur peccata; alia quæ in iisdem retinentur. Omnia nullo discrimine & pœnitentibus remitti, & impœnitentibus retineri jussit Christus. Itaque legatos ejus, ut imposito munere rite & legitime fungantur, reorum (id est vel catechumenorum, vel lapsorum fidelium) caussas audire, neque eos inauditos vel admittere, vel repellere debere confiteor quidem; sed hactenus, ut quis sit ipsorum animus, quæ fides, quæ pœnitentia, quæ denique resipiscentia diligenter explorent; (quod iis omnino scitu necessarium est, qui scilicet neminem vel impœnitentem aut baptizare, aut absolvere; vel pœnitentem aut baptismo, aut absolutione fraudare jussi sunt) non autem ut sciant, quæ sigillatim fuerint eorum flagitia, scelera, ac nequitiæ, quibusve locis, aut temporibus, & coram quibus, & quoties fœda ista dictu, auditu que admiserint; quod & per se turpe, omnique honesto, & verecundo ore indignum, & ad institutum negotium plane inutile est; in quo scilicet non ex *delictorum natura*, sed *ex peccantium statu, atque dispositione* Dei gratia vel conceditur, vel negatur. Sed de his, quæ jam supra fusè explicata sunt, plura piget dicere.

CAPUT XII.

Solvitur IV. *pro confessione ab adversariis allatum argumentum, ex Iacobi* V. 16. *isque locus fuse explicatur.*

ubi sup §. Tertiæ locus. Iacob. v. 6.

TERTIÒ; Bellarminus illa Iacobi verba recitat; *Confitemini alterutrum peccata vestra, quæ* (inquit) *exhortatio satu aperte indicat confessionem jam tum fuisse institutam, & quidem peccatorum atque homini faciendam.* Certe, inquam, eam, quam hic præcipit Iacobus; non autem vestram illam (ut vocatis) *sacramentalem*; eum qua hæc Iacobæa nihil præter nomen, commune habet. Primò enim hæc hujusmodi est, quæ

mutuo

mutuo fit, ut apud quem confiteris offensas tuas, is vicissim apud te suas confiteatur, ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα ὑμῶν, *confitemini alij alijs offensas vestras.* Romana verò confessio plane alterius est generis, ut notum est, qua scilicet laïci quidem peccata sua sacerdotibus enumerant, non autem sacerdotes sua vicissim laïcis; quod apud istos vehementer absurdum esset. Tum Iacobæa confessio eo fit, ut alii pro aliis mutuo precemur, ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων ὅπως ἰαθῆτε. *Confitemini alij alijs offensas, & orate alij pro alijs, ut sanemini.* Vnde constat non alia de caussa præcipere Iacobum, ut peccata alii aliis ita confiteamur, nisi ut ad obtinendam à Deo peccatorum & remissionem, & curationem (id est sanctificationem) alii aliorum precibus juvemur. Nam & in hoc uno immoratur Apostolus, statim subiiciens, *multum enim valet deprecatio justi efficax*; quod mox Heliæ exemplo duobus sequentibus versiculis probat. Ergo hinc conficit, ut liquet, expetendum orationis fraternæ auxilium; adeoque monet si peccati alicujus sensu mordemur, id apud fratrem profiteri ne pigeat, quo is periculo nostro intellecto suis nobiscum precibus apud Deum allaboret, ut & admissi veniam impetremus, & eam Spiritus copiam, quæ ad hoc necessaria est, ne in similia peccata in posterum labamur. At confessionem Romanam longe aliter comparatam esse nemo nescit; quæ eo fit, ut peccatis confessis, non vi precis sacerdotis, sed eius auctoritate, & judicio prætorio absolvamur; & in qua si quid apprecatur cōfitentibus sacerdos, id extra *Sacramenti*, ut vocant, rationem est, quod sola absolutione certis verbis confesso pronuntiata constare volunt; & fit per accidens, estque illis votis & precationibus simile, quibus omnibus fratrum institutis ac negotiis favere solemus. Mitto quod istorum confessio, non peccata tantum, sed singulas eorum species sigillatim una cum circumstantiis anxie numerari, ac exponi exigit. Nihil tale Iacobus; cujus exhortationi etiam is satisfacit, qui fratri aperit se peccatum quoddam in Deum admisisse, cujus conscientia sollicitus teneatur, adeoque ipsius preces ad mali levamen exposcat; etiamsi is de cætero neque quod qualeve fuerit id peccatum, neque quo loco, quove tempore, quotiesve à se admissum sit, fratri significet. Ergo hæc Iacobæa confessio nihil ad Romanam facit; estque omnino, vel (quod nonnulli ex nostris volunt) *offensionis confessio, quæ fit fratri offenso ad obtinendam ab eo pacem, & veniam,* vel (quod ego cum Calvino nostro malim (*peccatorum confessio, quæ fit homini fideli, ut is cognito nostro morbo consilio nos juvare, & pro nobis preces ad Deum fundere valeat. Nam* (inquit Calvinus) *qui necessitatis nostræ conscij sunt, ad orandum incitantur, ut nobis subveniant, quos vero latent* in Iac. v. 16. *morbi nostri, ij ad opem nobis ferendam sunt segniores.* Bellarminus tamen, ut est invicta & insuperabilis ejus pertinacia, contra hæc obstinato animo, sed nequicquam, pugnat. Respondet ad primam illam à nobis adductam rationem, verba Iacobi *confitemini alterutrum nihil esse aliud,*

CAP. XII.

Cap. XII. *nisi confitemini homines hominibus, qui absolutione indigetis illis, qui potestatem habent absolvendi.* Quasi vero Iacobo id, si dicere voluisset, difficile fuerit! monereque, non quod fecit, ut alii alios, sed cuncti presbyteros adeamus, iisq; letalia omnia peccata enumeremus, quo ab illis pro prætoria, qua pollent, potestate remissionem consequamur. Tum ridiculum est, quod iste vult, præcipere Iacobum, *ut homines hominibus confiteamur.* Verendum scilicet fuit ne pecudibus confiteremur. Sed quid iste in apertam veritatem calcitrat? Diserta sunt Apostoli verba; ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις, *confitemini alii altris,* quæ clarissime significant mutuam ac reciprocam esse hujus officij rationem, ut qui eo apud alium fungitur, apud eum vicissim alius fungi queat. Ita cum Ioannes tam

i. Ioan. III. ij. 23. & IV. ii. sæpe nobis præcipit ut ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, *diligamus alterutrum,* non credo, intelligit, ut homines hominibus dilectionem impendamus (quod dilutum est) sed ut hoc dilectionis officium inter nos mutuum sit, sic ut qui diligor, itidem eum à quo diligor, ipse quoque diligam. Et cum Paulus prædicat Romanorum eam esse cognitionem, rerumque

Rom. XV. 14. divinarum scientiam, ut valeant καὶ ἀλλήλους νουθετεῖν *& alterutrum monere,* nihil aliud intelligit, nisi eam esse omnium in Evangelio copiam, ut hoc monendi officium singuli fratribus cum res exigit sic præstare possint, ut qui nunc monetur, ipse quoque, eum, à quo monetur, vicissim alias oblata occasione monere queat. Denique nusquam occurrit vocabulum istud ἀλλήλοι, quod Latinus fere *alterutrum* vertit, quin hujusmodi vicissitudinẽ, ac, ut sic dicam, *reciprocationem* significet, omninoq; inverecunde facit Bellarminus, qui id hoc loco alio trahere molitur.

1. Petr. [illegible] 9. Sed (inquit) ut hic ego capio, ita alibi cepit Petrus, cum dicit, *Hospitales invicem, sine murmuratione, unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes; si quis loquitur, quasi sermones Dei. Non significat* (inquit) *sine discrimine oportere omnes ab omnibus hospitio recipi, aut doceri, aut curari, &c. sed eos, qui tecto indigent, hospitio recipiendos esse ab his qui domum habent, imperitos a doctis instruendos, ægrotos à medicis curandos, pauperes a divitibus sustentandos, non contra, nutriendos divites à pauperibus, aut curandos medicos ab ægrotis, aut doctos ab imperitis erudiendos; aut deniq; qui domibus abundat, excipiendos hospitio ab his, qui tecto carent. Sic igitur qui peccatorũ vinculis constricti tenentur, ad eos accedere debẽt, quibus dictũ est.* Quæcunq; solveritis. Hæc Bellarminus, Sed ille nobis nimiũ secure illudit. Primò enim illa Petri verba φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους *hospitales estote invicẽ* sive, *alii erga alios,* manifeste eã significant officii vicissitudinẽ, quã nos eo vocabulo significari contendimus; ut scilicet qui hospitio à fratre nunc excipior, ei ego vicissim si quãdo usus exigat, hospitiũ libens præbeã, & ille pariter quẽ ego nũc excipio mihi pariter idem officij vicissim præstet. Quid, inquit, si is tecto careat? Frustra, inquam, ab eo hospitiũ sperem; neque ego eum rependendi hujus officii necessitate teneri fateor, qui id, quo officium præstatur, non habet. Sed neque si is, cui ego

peccata

peccata confessus sum, linguam, aut vocem, qua fit confessio, postea amiserit, illo Iacobi præcepto ipsum teneri contendo; vel me ab homine hujusmodi exigere posse, ut idem apud me præstet quod est à me apud eum præstitum. Quid ergo est? Nimirum in hujusmodi præceptis, sive exhortationibus semper (ut sic dicã) *supponitur*, iis ad quos diriguntur, facultatem eam suppetere, sine qua, id quod præcipitur, fieri nequit. Sicui deest illa facultas & copia, is illorum numero minime inclusus intelligitur, quibus id præceptum est, quippe cum nemo ad ea, quæ ipsi sunt *impoßibilia*, teneatur, ut vulgari verbo dicitur. Quamquam, si cavillari vellem, possem hoc loco respondere Petrum non tam de hospitio præbendo, quam de affectu loqui, *estote*, inquit, *φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους*, hoc est, ita animo comparati, ut id officii alii aliis & impendere cupiatis, & libenter, quoties licet, impendatis. Iam quod ad sequentia Petri verba pertinet, respondeo primo in iis minime haberi id vocabulum, quo usus est Iacobus. Non enim fideles jubet Petrus *acceptum donum εἰς ἀλλήλους*, sed *εἰς ἑαυτοὺς διακονεῖν*, hoc est *inter sese*. Tum etsi eodẽ verbo, quo Iacobus utitur, usus quoque esset Petrus, nego propterea quicquam ab adversario confectum iri. Is enim de *dono*, sive de *gratia* in genere loquitur; præcipiens singulos charismata, quæ à Domino acceperunt, alios aliis invicem subministrare, *tanquam bonos dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Atqui in hac administratione aliquam esse vicissitudinem, sive *reciprocationem*, clarum est. Fateor non sic docendos esse rudiores à doctoribus, ut ipsi quoque, quod ait Bellarminus, doctores erudiant; neque sic sublevandos vel à divitibus pauperes, vel à medicis ægrotos, ut ipsi vicissim iis eadem hæc officia rependant; quæ concedo esse ridicula. Sed ubi quæso jussit Apostolus fideles alios aliis vel concionando verbum Dei administrare, vel eleemosynas dare, vel denique pharmaca & medicamenta ad morbos curandos alios aliis præbere? Hæc quidem Petrus nuspiam dicit; & si dixisset, haud dubie, ut quivis videt, significasset ista officia mutuo, ac vicissim alios aliis præstare debere; quod absurdum esse confiteor. Bellarminus vero callide fingit aliquid hujusmodi à Petro dictum fuisse, quod non est. Quid ergo ait Petrus? Nimirum id ipsum, quod nuper recitavimus, *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*; hoc est ut quivis videt. *Accepta a Deo dona alii cum aliis communicate*; qui sermonem accepit, id est loquendi, docendi, ac concionandi facultatem, is fratribus talentum hoc suum ne invideat. Qui opes accepit, eas ille fratribus impertiatur; & sic de cæteris. Nunc apparet in hujusmodi communicatione *vicißitudini seu reciprocationi* esse locum, non quidem qua unum illud idemque, quod do, accipiam, sed qua, ut fratris dono fruor, ita fratri meum fruendum præbeo. Ergo & hoc ipso loco ejus, quod commemoratur, *officii*, scilicet *administrationis doni*, τῆς *χαρίσματος διακονίας*, vicissitudo & reciprocatio quædam est inter eos, qui

Cap. XII. qui εἰς ἀλλήλους, sive εἰς ἑαυτοὺς, *in alterutrum*, sive *alii in alios charisma* administrare jubentur. Unde id, quod nos posuimus, non, quod putavit Bellarminus, evertitur, sed clarissime constituitur; scilicet numquam eam phrasin usurpari, quin ejus, quod præcipitur, vicissitudo aliqua sit. Cum igitur Iacobus præcipiat *ut alii aliis offensas confiteamur*, omnino necesse est, ut mutua sit inter fideles, quos alloquitur, ista, quæ eis præcipitur, *confessio*; sic ut qui apud me nunc confitetur peccata sua, apud eum ego vicissim mea confiteri eadem ratione debeam; quemadmodum in hoc ipso, quod afferendum putavit adversarius, Petri dicto, clarum est mutuam inter fideles esse eam, quæ ipsis præcipitur, τὴν τοῦ χαρίσματος διακονίαν, *doni a Deo accepti administrationem*; ita ut qui mihi suum charisma, puta eleemosynam, vel τὸ διδάσκειν impertitur, cum eo similiter ego meum quoque charisma, puta verbum instructionis ac consolationis communicem. Atque hinc quoque apparet, quam inepta sit ac futilis Bellarminiana ad secundam nostram rationem responsio, qui sequentia Iacobi verba εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, *orate pro invicem*, eodem modo accipit, quasi videlicet significent, *ut presbyteri pro infirmis orent, non autem infirmi pro presbyteris*. Sed quæso, unde nobis iste presbyteros, ac infirmos habet, qui hoc quidem loco nulli sunt apud Iacobum. Ille vero jubet, ut peccata alii aliis confiteamur; & alii pro aliis oremus. Nisi ergo prius iste evicerit, non alios confiteri debere, quam infirmos, neque apud alios confiteri nos debere, quam apud presbyteros, neque denique aliis, quam presbyteris pro infirmis precari licere; negare, inquam, nisi ista prius confecerit omnia, non potest hic de quibusvis fidelibus loqui Iacobum. Tum quod orationem hanc mutuam esse debere negat, eo Iacobo palam obloquitur, ac repugnat, qui quod nos, alios pro aliis orare jubet, eo ipso, ut demonstravimus, statuit sic pro me exposcendas esse fratrum preces, ut ego pro iis quoque simili in re vicissim Deum precer. Sed piget in his Bellarmini nugamentis diutius immorari. Res tota usqueadeo clara est, & aperta, ut exceptis Bellarmino, & aliis eiusdem farinæ capitonibus, qui caussæ studio excæcati nihil vel in clarissimo Sole vident, ceteri fere fateantur nullum hic esse Iacobo de sua confessione sermonem. Scotus certe hunc Iacobi locum à nonnullis, ut ab Alexandro, & Bonaventura, in hac caussa allatum, diserte jam pridem reprobavit, tum ob alias rationes, tum ob hanc, quod *dicendo* confitemini alterutrum, *non magis dicit confessionem faciendā esse sacerdoti, quam aliis, subdit enim* (inquir) *statim* & orate pro invicem, ut salvemini, *ubi nullus diceret ipsum instituisse, nec promulgasse præceptum divinum. Sed intellectus ejus est, sicut in illo verbo*, Confitemini alterutrum, *persuasio ad humilitatem, ut scilicet generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores, juxta illud Ioannis*, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. *Ita per secundum persuadet ad caritatem fraternam, ut subveniamus nobis invicem.* Scotum in his, ut fere in aliis,

in iv. d. 17. q. unica.

Gabriel

Gabriel sequitur; *Quod vero* (inquit) *Iacobus ait*, Confitemini, &c. *non ibi loquitur de confessione Sacramentali. Non enim exprimit cui fiat, an sacerdoti, vel non sacerdoti. Sed intelligenda sunt verba ista sicut sequentia*, & orate pro invicem, *&c. quæ sunt quædam persuasio ad humilitatem, per quam generaliter nos ipsos esse peccatores fatemur, & orationes mutuas expetimus.* Sed & jam exortis nostris controversiis Cardinalis Caietanus, *Nec hic est sermo* (inquit) *de confessione sacramentali; ut patet ex eo quod dicit*, confitemini invicem. *Sacramentalis enim confessio non fit* invicem, *sed sacerdotibus tantum: sed de confessione, qua mutuo fatemur nos peccatores, ut oretur pro nobis; & de confessione hinc, & inde erratorum, pro mutua placatione, & reconciliatione.* Ille, vt vides, eadem quæ nos omnia, & quidem iisdem argumentis. Maldonatus hanc de confessionis institutione & origine quæstionem ex professo tractans fusius eadem exsequitur; *Illud vero*, inquit, *quod ait Iacobus cap.* v. Confitemini alterutrum peccata vestra, *non videtur de confessione sacramentali intelligendum, esse, nec esse necessarium. Primum, quia cum dicit*, alterutrum, *indicat se loqui de ea confessione, quæ fit inter omnes Christianos, etiam laicos, ad petendum alterius consilium & orationes. Deinde, quod addit idem significat*, Orate pro invicem. *Nam de iisdem loquitur, cum ait*, Confitemini alterutrum, *& cum ait*, Orate pro invicem. *Cum autem dicit*, orate pro invicem, *non loquitur de solis sacerdotibus, sed de omnibus. Ergo & cum dicit*, Confitemini alterutrum. *Præterea Græce est*, ὅπως ἰαθῆτε, *id est, ut curemini, & à morbo liberemini. Ex quo verbo intelligitur non esse sermonem de ea confessione, quæ fit sacerdotibus ad obtinendam remissionem peccatorum, sed ea, quæ fit omnibus Christianis ad obtinendas preces. Idem colligitur ex eo, quod sequitur*, Multum valet oratio justi assidua, *ubi non tantum loquitur de justo sacerdote, sed de quolibet justo, ut declarat exemplum illud*; Elias homo erat similis nobis, passibilis; oratione oravit, ut non plueret, &c. *Ad hunc modum omnes fere veteres intellexerunt eum locum: Hesychius libr.* I. *in Levitic. cap.* 4. *D. Augustinus lib* L. *hom. homilia* 12. *D. Gregorius lib.* XXII. *Moral. c.*14. *Beda commentario in eumdem locum, & commentario in* 1. *Ioan cap.* v. *Et auctor glossæ interlinearis*, Hactenus Maldonatus. Gagnæus ex Beda *de quotidianorum, leviorumque peccatorum confessione invicem coæqualibus* facta accipit, *ut eorum quotidiana credamus oratione salvari.* Carthusianus eodem modo locum hunc interpretatur; non de Sacramentali confessione, quæ soli fit sacerdoti; sed de ea quæ fit non sacerdoti; venialium quidem semper; mortalium vero in casu necessitatis; quam postremam reiterandam ait, & sacerdoti postmodum faciendam, *si ad hoc detur facultas.* Ergo neque iste de arcana, & sacramentali (ut vocant) confessione Iacobum hic locutum putat. Antonius Godellus, Episcopus Grassensis, paulo aliter hunc locum, in paraphrasi Gallica expressit; sed neque ipse ad sacramentalem suorum confessionem retulit; *Neque vos* (inquit) *pudeat peccata vestra, dum valetis, iis nudare atque aperire, qui vos & salutaribus*

Cap. XII. in 4. d. 17. q. 1. § ideo aliter dicunt.

in Iacob. 5.

Tom II. controv. de orig. confess. c. 3. p. 16.

Cap. XIII. *consiliis, ad ea in posterum vitanda, juvare, & terroribus, quibus animas scelerum conscientia turbare solet, liberare possunt. Mutua hæc, ac reciproca vestrarum infirmitatum agnitio, dummodo prudenter instituatur, &, cum delectu, tum rerum, quæ communicantur, tum personarum quibuscum ea communicantur, illam in vobis caritatem adaugebit, qua vos eo obstringit, ut alij pro alijs mutuo oretis.* Mitto Vasquis, & Estij de hoc loco jam in superioribus exposita judicia. Ex his enim satis liquet, quam inverecunde & Bellarminus, & alii locum hunc ad suæ confessionis figmentum torqueant.

Caput XIII.

Solvitur v. *adversariorum argumentum ex* 1. *Ioan.* 1. 9. *pro auriculari confessione petitum*; *exploditur* vi. *quorumdam argumentum ex Ioannis cap.* v. ỷ. 22.

ubi sup. §. Quartus locus. 1. Ioan. 1. 9. SVperest ultimus ex prima Iohannis epistola à Bellarmino objectus locus; *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus* (Deus scilicet) *ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Respondeo locum esse à sacramentali istorum confessione plane alienum. Hæc enim soli fit sacerdoti, de quo nihil Ioannes. Sed, cui ergo, inquies, nos *peccata confiteri* jubet Apostolus? Certe ei, inquam, à quo eorum remissionem exspectemus. Si dixisset Ioannes, *Si confiteamur peccata nostra, auctoritatem habent sacerdotes, ut remittant nobis peccata nostra,* speciem haberet quod contendit adversarius eum sacerdotibus confitendum esse intellexisse. Nunc cum nihil hujusmodi dixerit, sed diserte adjecerit *Deum* (de Deo enim eum loqui & per se clarum est, & fatentur adversarij) *fidelem esse, & justum, ut remittat nobis peccata nostra*: profecto cæcus est, qui non videt eum significare, si Deo peccata confiteamur, nos veniam ab illo consecuturos. Præterea qualem Ioannes confessionem intelligat, satis docent verba ejus præcedentia; *si dixerimus* (inquit) *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quibus illa, quæ recitavit Bellarminus, continenter subiicit, *si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus,* &c. In his antithesim ab Apostolo inter eos, *qui peccatum se habere negant*, & eos *qui confitentur peccata sua*, institui, & verba, & res clamant; & quæ statim sequuntur, confirmant; *si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Ergo ex istius antitheseos ratione *peccata confiteri* nihil aliud est, quam non negare, sed agnoscere *se peccatum*

(margin notes: 1. Ioan 1. 8. — ibid. v. 10.)

peccatum habere, idque ex animo apud Deum profiteri, & ex parte opposita dicere quoniam peccatum non habemus vicissim est non fateri, sed negare peccata sua. Ita peccata sua confitebatur publicanus, qui à longe stans, ac ne oculos quidem ad cœlum attollere præ pudore sustinens, percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Peccatum vero habere se negabat superbus ille Pharisæus, qui stans, apud Deum sua jejunia, suasque decimas, velut præclara quædam ἀνδραγαθήματα commemorabat, & hunc publicanum, & cæteros de vulgo mortales cubito velut contemptissimos, sacerrimosque peccatores pulsans: de peccatis vero nihil deprecabatur, nulla scilicet sibi obiici posse immani confidentia præ se ferens. Itaque Deus pro sua justitia, ac fidelitate publicanum quidem justificatum dimisit, hoc est, quod ait Ioannes, peccata illi sua remisit; Pharisæum vero sibi placentem, nulla venia donavit. Talis etiam est Davidis confessio, delictum meum cognitum tibi feci (inquit Dominum Deum alloquens) & iniquitatem meam non abscondi. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei. Hæc est confessio à Ioanne significata; qua apud Deum humiliter delicta nostra & profitemur, & deflemus, eorumque remissionem ab optimi parentis misericordia deposcimus: quam & ipsi adversarii ad consequendam peccatorum remissionem necessariam esse concedunt, & à sua illa, ut vocant, sacramentali longe diversam esse fatentur. Non sunt nauci, quæ contra hanc interpretationem obiicit Bellarminus. Primò affert confessionem, quam Ioannes intelligit, hujusmodi esse, cui Deus peccati remissionem promisit; ut ex eo apparet, quod Deum confitentibus ideo remissurum dicat, quod sit fidelis & justus. Fidelis autem est, qui stat promissis, nec fidem datam fallit. At (inquit) promissio de remittendis peccatis iis, qui confitentur Deo peccata sua, non videtur ulla exstare in divinis literis; exstat autem promissio apertissima iis, qui ad illos accedunt, quibus dictum est Ioannis X X. Quorum remiseritis peccata remittantur eis, &c. Ex quibus de hac, non autem de illa confessione Ioannem locutum concludit. Ego vero primum nego illis Christi apud Ioannem verbis quicquam iis promitti, qui sua in specie & sigillatim peccata, uni sacerdoti dinumerant; quę istorum est Sacramentalis, quæ dicitur, confessio. Quorum peccata remiserint ministri, ea remitti, ait Dominus. Nullius à ministris remitti peccata, nisi qui ea sigillatim, & in specie apud eos recensuerit, neque aperte, neque obscure dicit Dominus; neque id ex iis quæ dicit, ulla arte, ullisve sophistices fidiculis, extorqueri posse abunde supra demonstravimus. Itaque si vel de illa confessione, quæ apud ministrum edenda est ad remissionem peccati consequendam Ioannem loqui concederem, non ideo tamen consequens esset, ut & de minuta, ac speciali istorum confessione loquutum esse confiteret; cum negem confessionem apud ministrum edendam huiusmodi esse, qualem isti exigunt. Vnde quivis videt, quam futilis sit & impudens tota hæc Bellarmini

Luc XVIII.13.
ibid. ℣.11.
ibid. ℣.14.
Psal. XXXII. (Lat. 31.) 5.
vid. Estium in IV. d. 17. §. 4.

Cap. XIII. mini probatio, quæ id ipsum (ut loquuntur) *supponit*, quod quæritur. *Supponit* enim *confessionem*, quæ à peccantibus Ioann. XX. requiri videtur, esse specialem istorum *confessionem*; neque quicquam nisi hoc supposito, valet. Ergo confessionem eam, de qua quæritur, non demonstrat quidem, aut probat ullo modo, sed plane *supponit*; eaque *supposita*, non absurde de ipsa intelligi posse illum ex Ioannis epistola locum conficit. Atqui nullum demonstrationis est majus, aut fœdius vitium, quam si id ipsum sumas, quod erat demonstrandum. Non modo igitur *probabiliter* (quod ait Bellarminus; quamquam & hoc ipsum in demonstratione vitiosum est, quæ non *probabiliter*, sed *certo & necessario* concludere debet) non modo, inquam, non *probabiliter*, sed ne ullo quidem modo ex objecto Ioannis loco concludi potest sacramentalis istorum confessio. Secundò, sed neque si vel *sacramentalis* istorum, de qua quæritur, *confessio* Ioann. cap. XX. à Christo instituta fuisse *supponatur*, ideo tamen sequetur, de eadem accipiendum esse alterum illum Ioannis locum, *si peccata nostra confiteamur, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra*; quippe, qui de *confessione*, quæ Deo fit, accipi non modo commodissime potest, sed etiam revera debet, ut & ex iis, quæ nuper diximus, & inde insuper apparet, quod ex ipsis adversariis non pauci, , ut mox audiemus, locum ita interpretati sunt, tametsi alioqui de confessionis sacramentalis institutione ac necessitate cum Bellarmino sentiant. At, inquit, ei, de qua Ioannes, confessioni remissionem promisit Deus. Concedo. Ei autem confessioni, quæ Deo fit, nihil hujusmodi promisit Deus. Nego. Cum enim hæc, quæ Deo fit, *peccatorum confessio*, nihil aliud revera sit, quam *pœnitentia*, qua quis & peccatorem se, multipliciterque reum, apud Deum esse profitetur, & delictorum suorum fœditatem, ac gravitatem exhorrescit; eorumque & singulorum, & omnium pœnam deprecatur; nullus Scripturæ locus est, in quo Deus pœnitenti veniam peccatorum promittat, in quo non & eadem confitenti illam quoque polliceatur. Atque hoc loco prætermittere non possum, quin Bellarmini insignem oscitantiam notem; qui negat videri *ullam in divinis literis promissionem exstare de remittendis peccatis iis, qui confitentur Deo peccata sua*. Atqui iste idem libro hujus operis primo non modo concedit, sed etiam defendit *pœnitentiæ* (cui neque nescit, neque negat pœne innumerabilibus Scripturæ locis peccatorum remissionem à Domino promitti) confessionem partem esse omnino necessariam. Istic enim & rationibus, & tum Dei, tum divinorum virorum testimoniis fuse probat *contritionem*, *confessionem*, , *& satisfactionem saltem in genere*, *actus quosdam esse virtutis pœnitentiæ, ac per hoc partes; ac veluti membra pœnitentiæ actualis*. Tum eodem loco hujus, de qua loquitur, *confessionis* exempla adducit, primo id, de quo traditur in altero Samuelis volumine, *Dixit David ad Dominum, Peccavi valde in hoc facto*. mox Ninivitarum qui clamasse dicuntur *ad Dominum in fortitudine*; deinde publicani

Lib. 1 de pœn. c. 19. § Tertio. observandum est. & seqq.

2. Sam (lat. Reg) xx v. Ion. III.

cani, *qui confitebatur, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori*; denique & filii illius prodigi, qui confitetur, dicens, *Pater, peccavi in cælum, & coram te.* Ergo si Bellarminus sibi constare velit, cum hæc Domino Deo facta, ut liquet, confessio, pœnitentiæ pars, ac veluti membrum sit, quemcumque vere pœnitet, is peccata sua Deo confitetur, neque, qui non confitetur, is vere *pœnitens* est. Itaque vel negare debet *pœnitentibus* veniam & remissionem à Deo in sacris literis promitti (quod negare, nisi insaniat, non potest) vel certe concedere & *confitentibus* Deo promissam quoque esse in sacris litteris remissionem. Neque vero est, quod regerat omnem quidem vere pœnitentem Deo peccata confiteri; non tamen omnem, qui peccata Deo confitetur, esse vere pœnitentem; solis autem vere pœnitentibus remissionem promitti. Eadem enim ratione conficeretur ne iis quidem remissionem à Domino, quod vult adversarius, promitti, qui sacerdoti confessi fuerint; cum peccata sine contritione, vel saltem attritione apud sacerdotem nude confitenti, nullam neque promitti, neque donari à Deo remissionem ipsi confiteantur. Quid ergo est? Nimirum *confessionis* & *confitendi* vocabulis, posito *partis pro toto*, nomine, tota ac integra pœnitentia *synecdochice* significatur; tam à nobis, qui Deo, quam ab istis, qui sacerdoti confitentibus paratam apud Deum, promissamque veniam, ac remissionem esse dicimus. Quo sensu, ut omnis pœnitens confitetur Deo, ita & omnis, qui Deo confitetur, pœnitens. Quod usque adeo verum est, ut Latinus veteris testamenti interpres *pœnitentiam agere* posuerit pro *confiteri*. Nam in Levitico, quo loco habet, agat pœnitentiam pro peccato, Hebræus codex exhibet והתודה *& confiteatur super eo, quod peccavit*; ut est ab ipso Bellarmino in eodem hoc opere observatum; quia scilicet in hoc negotio idem significant *pœnitentiam agere*, & *confiteri*, eoque factum est, ut (quod infra suo loco demonstrabimus) *exomologesis*, quæ proprie ex vi vocis *confessio* est, apud veteres accipi soleret pro toto pœnitentiæ actu.. Unde porro & illud, quod frustra & inverecunde negat Bellarminus, certissime clarissimeque consequitur, omnibus Deo peccata confitentibus promissam esse in sacris litteris peccatorum remissionem; quæ scilicet pœnitentibus, qui non alij quam Deo confitentes, passim promittitur.

Luc. xvi. 1.
Luc. xv.
Levit. v. 5.
L. III. de pœn. c. 15. in Levitico.

Quod secundò obiicit Bellarminus, ejusdem est farinæ. *Si hoc loco,* (inquit) *promitteret Apostolus remissionem iis, qui Deo confitentur peccata sua, frustra dictum esset à Christo Apostolis.* Quorum remiseritis peccata, *&* Quæcumque solveritis super terram, *&c.* Quid ita, inquam? *Nam cum* (inquit) *Deo multo facilius sit, quam hominibus confiteri; nemo esset, qui ab hominibus remissionem quæreret, si soli Deo confitendo remissionem obtinere posset.* Sed ineptissima est, & nugacissima tota hæc argumentatio. Primò, etiamsi, quod iste ait, *nemo esset, qui ab hominibus remissionem quæreret*, non tamen inde efficeretur frustra Apostolis à Christo dicta esse illa, quæ afferuntur. Non enim Christus ait Apostolis, *Multis peccata remittetis,*

Cap. XIII. *mitteretis, aut multa solv'tis*, sed pronunciat tamen rata fore, quæcumque illi remiserint, aut solverint; quod dictum, etiamsi Apostoli neminem de facto (ut loquuntur) solvissent, nihilosecius verissimum futurum erat. Secundò nego ex eo quod peccata apud Deum confitendo eorum remissionem obtinere possimus, sequi neminem futurum, qui dandam à ministris ex Ioannis XX. remissionem quærat. Primò enim Ioannes in epistola de fidelibus solis in peccata post baptismum lapsis loquitur; in Evangelio vero de omnibus in genere hominibus sermo est. At etiamsi fidelium nemo ad ministros obtinendæ remissionis gratia accederet, accederent tamē cæteri quotquot baptismo tincti non sunt; qui eum à ministris expetere ac recipere ex Christi præcepto debent, quo peccatorū suorum remissionem obtineant. Secundò; Sed neque ex eo quod fidelibus peccata Deo confitentibus certo parata sit apud Deum venia, sequetur nullos fideles ad ministrum accessuros. Fieri enim potest, ut sint (& vero sunt revera semper plurimi) qui quod æstuent, neque ob conscientiæ trepidationem Dei beneficio uti, fruique per se valeant, ministrorum ope atque autoritate ad consolationem suam indigent. Hi ergo ministros adibunt; qui in ipsos datam à Domino dispensationem exercebunt, quæque adeo non frustra iis data futura est. Sed & tertio ministri in eos etiam datam à Christo potestatem necessario exercebunt, qui fratribus scandalum objecerint, & probrosam ac Evangelio indignam vitam gesserint; de quo eorum jure potissimum intelligenda sunt illa Christi apud Matthæum verba, *Quæcumque solveritis*: etiam Caietano teste. Denique nego infultam his à Bellarmino rationem huc pertinere, inde scilicet petitam, quod *multo facilius sit Deo, quam hominibus confiteri*. Hæc enim ratio manifeste *supponit*, qui ministros adit remissionem peccatorū non aliter obtinere, quam si iis peccata sua omnia sigillatim confessus fuerit, sive potius enumeraverit. Atqui hoc falsum esse, neque ex Christi apud Ioannem verbis probari, nos supra satis (ni fallor) demonstravimus. *Multo* (inquit) *facilius est Deo, quam hominibus confiteri*. Quid tum? inquam, aut quorsum hæc? Ergo, inquit, *nemo erit qui ab hominibus remissionem quærat*. Atqui (inquam) etiam ab hominibus remissio haberi potest; etiamsi apud eos nulla fiat specialis, qualem tu exigis, peccatorum confessio. Ergo non ex eo quod hæc apud homines difficilius fiat, quam apud Deum, sequitur neminem fore, qui remissionem ab hominibus quærat, cum & ea ipsa ab hominibus habeatur, sine anxia, & morosa illa, quam tu in Ecclesiam invehis, singulorum peccatorum enumeratione.

Matt. xvii.

Postrema denique Bellarmini ratiuncula frivola itidem, ac plane nugatoria est. *Si quem* (inquit) *sacerdos absolvendum non esse judicaret, atque adeo peccatum ejus retineret, frustra id faceret, si per confessionem soli Deo factam, invito etiam sacerdote, ille absolveretur.* Respondeo, sacerdotem qui sic judicat, vel legitime, vereque, vel illegitime, falsoque judicare. Si illud

Si illud ais, concedo peccatorem hujusmodi minime à Deo absolutum iri. Non enim, qui scelera sua Deo in aurem recenset, ac numerat, sine vero pœnitentiæ sensu, ei peccata remissum iri ait Ioannes: (absit) sed ei, *qui peccata sua confitetur*, hoc est (ut diximus) qui ita se peccatorem apud Deum agnoscit, ut & vera delictorum suorum pœnitentia ducatur, & vitam in posterum emendare apud se serio constituat. Neminem autem, qui ita animo comparatus est, *non absolvendum* judicat Dei minister. Cum ergo iis solis, qui sic comparati sunt, atque ita confitentur, remissionem promittat Deus; quos vero *non absolvendos* vere ac legitime judicant ministri, ii omnes aliter comparati sint, aliterque confitentes; verendum non est, ne ex iis, quos vere, ac legitime à venia repellendos judicarit minister, quemquam Deus absolvat. Sin minister, temere atque injuste, & præter muneris sibi impositi rationem eum judicarit *non absolvendum*, qui & vera peccatorum pœnitentia ducitur, & ea apud Dominum ex animo, qualiter explicavimus, confitetur; tum quidem concedam fieri posse, imo & reapse contingere, ut qui à sacerdote male ligatus est, is eo etiam invito, à Domino absolvatur; Sed negabo vel absurdum esse ut frustra sint talia sacerdotum judicia; vel inde sequi vanam esse illam Christi sententiam, *Quorum retinueritis, retenta sunt*, &c. *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata & in cælo.* His enim verbis Dominus servorum suorum actus ratos quidem in cœlis fore pollicetur; sed munere commisso rite, ac legitime fungentium: Sin ii errante clave aliquid perperam, ac præter heri voluntatem vel alligaverint, vel solverint, frustra ii in his Christi verbis vel stultitiæ, vel improbitati, ac temeritati suæ patrocinium quærunt. Hæc sunt Bellarmini ad hunc Ioannis in prima epistola locum enthymemata omnia; tum per se futilia ac inefficacia, tum ad locum propositum non magis propria, quam ad alium quemvis pertinentia. Sunt enim plæraque, ut liquet, à quibusdam absurdis ducta, quæ iste consecutura, sed frustra & falso, putat, nisi hæc Ioannis verba ad eum locum referantur, in quo Christus Apostolis vel ligandi, ac solvendi; vel remittendi, ac retinendi potestatem concessisse legitur; adeoque nihil probant, nisi prius certo ac liquido demonstratum sit in iis locis, ad quos & hunc referri vult adversarius, constitutam fuisse à Christo, quam isti defendunt, confessionis, ut vocant, auricularis, necessitatem; quod neque ab istis hactenus demonstratum est, neque in æternum, (sat scio) demonstrabitur. Itaque multo alii sanius, atque verecundius: qui tametsi Romanæ communioni æque cum Bellarmino addicti, nullum tamen in hoc Ioannis loco, confessionis suæ vestigium notarunt, sed eum bona fide, plane eodem quo nos, sensu, interpretati sunt. Ita Caietanus; *si confiteamur peccata nostra.*] *E regione negantium se habere peccatum, locat nos confitentes peccata nostra. Et est sermo de confessione sive interna, sive externa, qua homo recognoscit se habere peccatum.* Tum ad verba sequentia, *fidelis est*, &c.

Ne ya-

Cap. XIII. *Ne vanam* (inquit) *ut multi garrulant, existimes confessionem peccatorum ad consequendam eorum remissionem, apud Deum præsertim, qui omnia novit absque nostra confessione; Ioannes fidelitati divinæ eam tribuit, ad significandum quod ideo nostra peccatorum confessio valet ad remissionem peccatorum, quia fidelis est Deus, hoc est, quia Deus promisit veniam confitentibus, & fidelis est in servandis promissis.* Ioannes Ferus; *Observa autem* (inquit) *quod Ioannes non simpliciter dicit Deum remittere peccata, sed addit, si* confiteamur. *Hoc enim exigit Deus. Itaque si cum Davide cupis, ut Deus faciem suam à peccatis tuis avertat, disce prius cum eodem etiam dicere.* Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi. Hæc ille; hoc Davidis exemplo satis docens se quod ait Ioannes, de confessione accipere, quam nos, ut David apud Deum edimus. Paulo ante, cum de fidelitate Dei verba faceret, loca ea afferens, in quibus Dominus peccatorum remissionem promittit, nihil de illo habet ex Ioann. X X. à Bellarmino adducto; sed notissima illa Domini apud Isaiam, & Ezechielem dicta recitat, *Ego Dominus, qui deleo iniquitates tuas propter me; si converterit se impius; &c. omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Gagnæus: Fidelis est ut remittat] *fidelis, id est verax. Vtrumque enim significat Græcum* πιςὸς. Iustus *namque* in principio est accusator sui. *Et quoties peccata nostra confitebimur, toties remittet, dicente David,* Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Vides ex adducto Davidis exemplo, ut Gagnæus *confessionem*, de qua hic Ioannes, ad eam nobiscum referat, quæ fit Deo. Episcopus Grassensis totum locum optime, planeque ad nostram mentem expressit; *Si dicamus* (inquit) *nos vel nunquam peccasse, vel non etiam nunc quotidie, ac quidem multifariam peccare ipsi nos vana, falsaque de propria innocentia præsumptione seducimus; neque veritas est in nobis: veritas, inquam ac non tantum humilitas à nobis abest; nequis hominem putet hac confessione seipsum non tam vere incusare, quam modesta oratione deiicere, atque humiliare. Neque vero dura hæc confessio cuiquam videbitur, qui quam salutaris sit ejus effectus, attenderit. Hoc enim vobis confirmo, si nos ipsos peccatores esse agnoscamus, Iesum Christum peccatorum omnium remissionem nobis hac lege certissime polliceri, quantumvis ea vel gravia vel numerosa fuerint. Tanta autem ejus est & in promittendo fides, & in præstando integritas ut dubitandum non sit, quin & omnia ista delicta remissurus sit, & cunctas animarum labes, ac sordes infusæ gratiæ, justitiæque sua vi purgaturus.* Hæc ille, confessionem à Ioanne memoratam eo contineri diserte docens, ut nos peccatores esse agnoscamus, neque nobis absolutam, & ab omni peccato immunem innocentiam Pharisaico supercilio arrogemus. Sed hæc quidem satis de locis à Bellarmino allatis.

Psalm. L. 1 Hebr. L. I. — Isa. XLIII. — Ezech. XVIII. — in IV. d. 17. q. 1. §. 12. — in IV d. 1 q. 1. art. 1. — Ioan, V. 22.

Paludanus, & Sotus in hac etiam disputatione adhibuerant illud Christi apud Ioannem. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit*

Addit Filio; unde eo ligunt confessionis auricularis præceptum, longis & inanibus consecutionum ambagibus. Sed & aliorum silentium, quorum nemo istos sequitur, argumenti futilitatem satis fatetur, & Vasques disertè eos explodit; *Constat* (inquit) *Christum non loqui de judicio, quod fit in confessione; & licet loqueretur de illo, aliunde probandum est hanc potestatem traditam fuisse Apostolis tantum ut possent absolvere, sed etiam ut pœnitentes in hoc judicio comparere teneantur.* Cap. XIV. in 3 Thom. tom. 4 q. 90. a. 1. dub. 6. §. 14.

Caput XIV.

Alterum argumentorum pro confessione allatorum genus, ex figuris petitum, primo in genere ostenditur nihil valere, cassumque esse, & inefficax. Tum excutiuntur sigillatim quinque à Bellarmino allata ex Veteri, & Novo Testamento figuræ. Refellitur, & refutatur prima figura; ex eo petita, quod Dominus ab Adamo, & Eva, & Caïno confessionem peccati, Geneseos capitibus tertio, & quarto desideraverit.

Atque ex his quidem constat nullum ex citatis ab aduersario Scripturæ locis, esse qui confessionis apud eos usitatæ vel institutionem, vel necessitatem probet; idque præter solutiones à nobis allatas evincit multorum ex ipsis istis partibus auctoritas. Nullus enim ex istis locis fuit, quem non ab aliquo, imo etiam à pluribus adversariis aliter accipi demonstraverimus. Vnde patet, quam frustra *confessionem* hanc suam à divino jure arcessant.

Quod vero *figuras* etiam nescio quas ex Veteri & Novo Testamento adducunt, quibus suæ confessionis mysterium adumbratum fuisse contendunt; primo id nullam probandi vim habet; Nam, ut in eorum scholis vulgato verbo dicitur, *theologia symbolica non est argumentativa*, ac, ut sapienter in hac ipsa quæstione ait Estius, *ex mystico sensu non ducitur certum argumentum*; quo ille dicto omnem hanc Bellarminianæ de confessione disputationis, longam sane & tædiosam partem jugulavit; nequid de Vasque dicam, qui cum fusissime de toto hoc argumento disputaverit, de figuris istis ne unum quidem verbum fecit; quin & diserte, quod supra jam diximus, monuit in uno Ioannis loco, qui capite vicesimo exstat, quique à nobis excussus est, immorandum esse ad hoc ut aliqua habeatur ex sacris literis confessionis probatio; satis eo docens, sibi cæteras aliorum demonstrationes futiles, & inefficaces videri. Quo & illud accedit, nisi de re constet, frustra de rei umbra, & imagine litigari. Neque enim putandum est hanc sanctissimo in IV. d. 17. §. 5.

Cap. XIV. Dei Spiritui fuisse mentem, ut in sacris literis humanorum nobis figmentorum umbras, & figuras traderet. Christi mysteria in arcanis illis tabulis admirabiliter multis modis depicta fuisse & scio, & fateor. Papæ Romani, vel aliorum hominum ritus istic divinis coloribus adumbratos fuisse non magis concedo, quam tragelaphos, aut hippocentauros. Itaque si quid isti efficere vellent, primum & ante omnia demonstrandum erat, suam illam *confessionem*, rem Novi Testamenti vere esse, à Christo institutam, ab Apostolis traditam. Postquam rem ita se habere constaret, tum non inutiliter, neque sane illiberites, ejus in antiquis Dei monumentis imaginem scrutaremur. Nunc ridiculi sunt, qui rem, quam apud Christum & Apostolos demonstrare non queunt, idcirco Christi esse contendunt, quod aliqua in sacris literis occurrant, quæ aliquam cum ea similitudinem habere judicant. Id si obtinet, quidvis pro arbitrio fingere, ac somniare licebit; & istorum exemplo in Ecclesiam admittendum ideo contendere, quod etiamsi neque à Christo, neque ab Apostolis uspiam traditam, aliquam tamen habere alicui videbitur relationem ad nonnulla ex iis, quæ in divinis litteris leguntur. Quo in genere nemo nescit, quam sit ingeniosa hominum imaginatio, qui tenues hujusmodi, ac evanidas rerum, quas animo præceptas gerunt, species nusquam non vel inveniunt, vel certe effingunt; quod illi accidisse vulgo narrant, cui ipsum campanatum æs id tinnire visum est, quod mente agitabat, à quo errore, adversariorum (quod sine eorum contumelia dictum sit) in hoc genere disputationes non multum abludere videntur. Sed nequidtamen omissum à nobis querantur, age & hanc partem, quantumvis fluxam ac infirmam, exsequamur.

Lib. 111. de pœnit. c. 1. §. Sacramenta & §. seqq. Bellarminus in eam magnifice ingreditur. Præfatus enim Sacramenta Christianæ religionis, & in naturæ, & in Moysis lege primum adumbrata, ac prænunciata, à Christo deinceps promissa, ac instituta fuisse, eaq; observatione ex baptismi atque Eucharistiæ exemplis confirmata, tandem ait eundem à Deo ordinem in confessione servatum esse; quam dicit primo in lege naturali non semel exactam, clarius in Mosaica præscriptam, à Christo postea primum in Evangelio variis figuris expressam, mox promissam, & institutam, postremo ab Apostolis usurpatam, ac commendatam. Hæc ille; quæ nunc accuratius excutere, nihil necesse est. Tametsi enim veteribus typis ipsas Novi Testamenti res adumbratas, atque figuratas fuisse putemus potius, quam *sacramenta*, quæ rerum & ipsa signa sunt; id tamen, quod ad generalem de sacramentis disputationem pertinet, nunc quidem missum facio. Quod vero subjicit adversarius confessioné suam & à Domino Christo institutam, & ab Apostolis traditam ac cõmendatã fuisse: id quam temere ac falso dicat, satis patet ex iis, quæ nuper, disputavimus: Vnde & illud consequitur, rei à Christo nusquam institutæ frustra istum nobis umbras, ac figuras obtrudere. Ex quo & illa duo corruere necesse est, quæ continuo addit, prius

prius quidem, cum omnia veteribus in figura contigerint, 1. Corint. x. eo vero ab illis confessionem exegerit Deus, necesse esse, ut in Novo etiam Testamento confessio fuerit à Deo præcepta; posterius vero, si jam tum confessio necessaria erat coram Dei ministro, multo magis decuisse, ut nunc confessio tamquam necessaria imperaretur. Ego vero respondeo, neutrum necessarium, quod ait adversarius, fuisse satis ex eo confici, quod neutrum à Domino, qui unus optime videt & quid se deceat, & quid nobis utile sit, fuerit institutum; ut est à nobis hactenus demonstratum.

Nunc ita eversis, ac explosis, quæ Bellarminus prælusit, in rem ipsam tandem ingrediamur. Primam ergo ille confessionis suæ figuram Geneseos tertio, & quarto capitibus haberi dicit, *ubi Deus* (inquit) *primum ab Adamo, & Eva; deinde à Cain confessionem peccati exegit. In his locis exigitur confessio, non solum cordis, sed etiam oris, nec solum in genere, sed etiã in speciali, nec tantum coram Deo, sed etiam coram ejus ministro; nam interrogatio illa facta est per Angelum, in forma humana apparentem; ut patet ex eo quod ambulabat in paradiso ad auram post meridiem. Ex quo intelligimus magnam fuisse similitudinem inter illam confessionem, & eam, quæ nunc fit sacerdoti, qui est etiam Angelus Domini, teste Malachia, capite II. ut non sine caussa dicatur una fuisse figura alterius.* Hæc ille. Ego vero, ut ad id quod postremo loco dixit, primo respondeam, ex his ita positis non, quod iste colligit *confessionem ab Adamo & Caino requisitam suæ figuram esse*, sed eam ipsam esse, evidenter concludi aio. Illa, ut iste dicit, confessio oris erat, & quidem in specie, ministro Dei ejus vices gerenti, facta. Quid aliud quæso, est *confessio* istorum, ut vocant, *sacramentalis?* nonne itidem confessio peccatorum in specie ore apud ministrum, sive (ut ait Bellarminus) *apud Angelum Dei* à pœnitente facta? Equidem quod superfit inter utramque discrimen ex istis quidem Bellarmini placitis, videre non queo; nisi forte, quod prior ille Angelus in *confessionario tribunali sedisse* non legitur, in quo novitii isti Romæ angeli magna cum gravitate sedere solent, quoties pœnitentium ante se prostratorum confessiones audiunt. At figura à re, quam simulat, ac adumbrat, necessario diversa est. Ergo ista Adæ & Caini confessio, Romanæ confessionis figura non est; à qua ex Bellarmini hypothesi minime diversa fuit. Quod si ea ipsa Romanorum sacramentalis confessio fuit, (ut fuit sane, si stant quæ posuit adversarius) non ergo, quod ille idem vult, Romana confessio à Christo primum instituta fuit, quæ scilicet jam ab ipsis mundi incunabulis, hominibus à Deo præcepta fuerat; neque ea, quod idem docet, à solis Novi Testamenti fidelibus exigitur; sed & veteribus olim, ex hoc exemplo necessaria fuit; neque ego quidem video, qui hinc vel confici possit, nos ad istam confessionem obstringi, si ab ea immunes fuerunt veteres, vel non confici veteres ad eam obstrictos fuisse, si inde consequitur, nos ad eam nunc obligari. Secundò, respondeo ex

ubi supra §. Prima igitur.

CAP. XIV. Thoma, *Adam vituperari* (idemque de Caïno dictum puta) *ex hoc, quod peccatum suum coram Deo non recognovit; vel quod in iudicio constitutus, & à iudice interrogatus peccatum mentitus fit.* Sic etiam Scotus, *Adam*, inquit, *non debuit peccatum suum occultasse Deo, qui ipse est iudex, cui manifestum est omne peccatum, & coram quo quilibet reus debet recognoscere peccatum suum. Et hanc confessionem Deus requisivit ab eo, quam non solum non fecit, sed peccatum suum excusavit, retorquendo in mulierem.* Item Durandus: *Adam & Cain vituperantur* (inquit) *quia interrogati à Deo peccatum suum non recognoverunt, cui tamen tamquam iudici omnium, & scienti non solum facta, sed etiam cogitata, nihil debet celari.* Eadem sequuntur cæteri omnes, quos referre longum est. Vnde primo liquet contra Bellarminum istam confessionem, de qua Adam & Caïn reprehenduntur, Deo, non autem Angelo, aut alicui Dei ministro faciendam fuisse. Neque eo, quod qui Adamum alloquitur, *in horto ambulasse* dicitur, sequitur eum non Dominum ipsum, sed Angelum fuisse; cum talia etiam ipsi Domino figurate in Scriptura passim tribuantur. Ego vero & Moysi, & Adamo, & ipsi etiam illi, qui Adamum alloquitur, potius credendum sentio, quam Bellarmino. Atqui & Moyses diserte ait DOMINVM vocasse Adamum, & ei tum illud, *Vbi es?* tum cætera, quæ consequuntur, dixisse; & Adam *Dominum* se eum intellexisse significat, cum ait mulierem sibi ab eo datam fuisse; quam à *Domino* scilicet, non ab *Angelo* acceperat; & is denique qui loquitur se *Dominum* ipsum, non autem *Angelum*, esse testatur, cum affirmat se eum esse, qui Adamo *præceperit, ne comederet de ligno*, quod erat in medio paradisi. Idem ex eo quoque videre est, quod adversarii illam confessionem, ob quam non præstitam vituperantur Adam & Caïn, de iure naturali esse omnes uno consensu docent, ut in his ipsis Thomæ, Scoti, Durandi, quos modo descripsimus, locis, & ex aliis in eodem argumento versantibus habetur. Iam vero confessionem, non ministro, sed Deo faciendam, solam esse de iure naturali, & per se clarissimum est, & iidem illi auctores tradunt. *Confessio* (inquit Thomas) *quæ fit Deo per recognitionem peccati, est de iure naturali*; quod etiam inde probat Aureolus, quod cum sit de iure naturę satisfacere pro offensa, & reducere inæqualitatem contractam per peccatum ad æqualitatem; recognitio peccati inprimis ad istam inæqualitatis reductionem necessaria sit. Et Scotus, atque Gabriel oppositum ex altera parte argumentum, quo probari videtur confessionem, quæ ministro fit, iure itidem naturali necessariam esse, fuse & accurate solvunt. Ergo Bellarminus, nisi unus cum suis omnibus pugnare velit, fateri debet Adę, Cainique confessionem, non *Angelo* quod iste omnibus invitis, solus absurdissime somniavit, sed *Deo* faciendam fuisse. Itaque non aliud ex his duobus exemplis sequitur; *nisi omnes & singulos peccatores Deo in quem peccarunt, peccata sua confiteri debere*; item *omnem hominem in iudicio constitutum, & à suo iudice interrogatum peccatum confiteri debere*; quod utrum-

Marginal notes: Supplem. ad 3. q. 6 art. 1. — in IV. d. 17 q. unica § Respondeo ad primum. — in IV. d. 17. q. 8. §. 11. — Genes. III. 9. — ibid. ℣. 12. — ibid. ℣. 11. — Vid. Estium in IV d. 17. §. 4. — ubi supra. — in IV d 17 q. unica. art. 1. — ubi supra.

utrumque hinc haberi agnoscit Thomas, neque nos negamus. Cui utrique officio, cùm defuissent & Adam, & Caïn, illi sane jure merito in Scriptura reprehenduntur. Hic verò vel *doceri* vel saltem, quod vult Bellarminus, *figurari* unumquemque fidelem sub Novo Testamento omnia sua peccata uni sacerdoti confiteri debere, & ni fecerit, peccare, ac in æternum perire; insomnia sunt, (ut liberè dicam quod sentio) ac deliramenta hominis, quod ipse cupit, sibi fingentis, quæ à nobis tam facilè reiiciuntur quam ab Adversario afferuntur. Cap. XV.

Caput XV.

Refellitur altera, quæ à Bellarmino obtruditur confessionis auricularis figura; scilicet vetus, (de qua Levitici 13. & 14.) lepræ apud sacerdotem manifestatio.

Altera apud Bellarminum sequitur, non quidem efficacior, sed tamen aliquanto speciosior confessionis (ut vult) auricularis figura, *judicium lepræ* (inquit) *Levit. 13. & 14. solis committitur sacerdotibus & cogebantur leprosi se sacerdotibus sistere, ac prodere, & juxta eorum arbitrium vel extra castra manere, vel post curationem ad castra reverti, quam etiam legem Dominus approbavit, Matth. 8. cum leproso à se curato dixit; Vade, ostende te sacerdoti.* Iam in leprosis illis veteribus vult figuratos fuisse Ecclesiæ Christianæ peccatores: in Leviticis sacerdotibus ministros Evangelicos: unde colligit, *ut in lege veteri cognitio lepræ corporalis; ita in nova cognitionem lepræ spiritualis ad sacerdotes pertinere; ideoque* (inquit) *cum legimus ab ipso Christo leprosos ad sacerdotes Leviticos missos; allegoricè intelligimus missos peccatores ad sacerdotes Evangelicos.* Sed primò fac ista, quæ ponit, omnia vera esse, non ideo tamen sequetur ministros Evangelicos omnia singulorum peccata particulatim cognoscere debere; multoque adeò minus singulis fidelibus hoc necessario incumbere, ut iis omnia peccata sua minutatim ac sigillatim enumerent. Ratio est evidens. Nam non alia de causa Levitici sacerdotes ad se hoc nomine ex Dei præcepto accedentes explorabant, nisi ut scirent an ii leprâ vere laborarent. Ergo ex proposito typô, neque aliud ministris Evangelicis explorandum est, nisi hoc unum, an verè peccatores sint, qui ipsos remissionis quærendæ causa adeunt. Iam verò ut hoc minister Evangelicus certo teneat, nihil opus est peccatorem sua illi (ut sic dicam,) vulnera, ulceraque, ac labes sigillatim nudare atque patefacere. Ad hoc satis est, si peccator ei in genere affirmet se violatæ divinæ legis multipliciter esse reum. Cum enim ei in hoc forô de se testanti simpliciter à sacerdote credi velint; quis non videt sacerdotem statim deprehendere ubi supr. §. secunda.

 certoque

Cap. XV. certoq; statuere posse eum spiritualiter leprosum esse. qui se apud ipsum talem esse profitetur? Neque sane hac in parte eadem est utriusque lepræ, spiritualis inquam, & corporalis ratio. Hac enim aliquem verè laborasse Leviticus sacerdos non ante certo statuere ac pronuntiare potuit, quam ejus morbum sedulò inspexisset, multisque ac variis experimentis explorasset, cum ipse æger in hoc negotio sæpenumero falleretur: ut ex Mosaïca disciplina apparet. Peccati vero, hoc est *lepræ spiritualis*, planè aliud est ingenium. Ipse enim peccator facile & certò nosse potest, an verè peccati reus sit, nec-ne: adeò ut ipsi ea de re affirmanti tutò credat sacerdos. Imò non alios isti ad confessionem suam necessario obstringunt, quam qui sibi ipsis lethalis alicujus peccati conscii sunt. Ergo etiamsi hæc, ut volunt, figura admittatur; non aliô tamen valebit quàm ut, qui sibi peccati conscij sunt, sacerdotes adeant, & ipsis se peccati reos esse in genere confiteantur: non autem ut in specie sua iis delicta omnia, sigillatim aperiant: quod id scilicet nequaquam sit eô necessarium, ut certò intelligant sacerdotes, an hujusmodi homines lepra spirituali, hoc est peccato, verè contaminati sint. Aut si quos ad hoc, aut illud peccatum sacerdoti in specie aperiendum obstringi hinc efficitur; certe non alios obstrictum iri clarum est, nisi quorum est factum hujusmodi, ut ipsi dubitent id-ne peccatum sit, an secus. Talium autem officium esse libenter agnoscimus ministros adire, ut fluctuantem conscientiam ex hujusmodi dubitationibus eorum consiliô, atque luce eripiant, sibique de morbi remediis prospiciant, ubi lepram esse certò edocti fuerint. Secundò. Sed neque illud certum est, quod velut clarum & indubitatum assumit adversarius; lepram scilicet omnis peccati figuram fuisse. Vero propius videtur, ut lepra certa quædam fuit corporalis morbi species; ita & eâ non omne, sed certum quoddam peccati genus fuisse significatum. Vt enim corporis sic & animæ, multi, ac diversi morbi sunt; alij interni, alii externi; alii communes, ac velut epidemici, alii proprii ac priuati; quidam magis, quidam minus periculosi. Iam lepram à Moyse memoratam horribilem fuisse, planeque singularem luem constat; quæ cutem, & cætera corporis exteriora fœdabat, & contagio non in homines modo, sed in ipsos parietes, saxaque ac tigilla proserpebat. Non ergo obscurum est, tam pestilens malum ea peccata egregie expressisse, quæ & deformia imprimis & externa sunt, cæterorumque hominum sensibus, atque aspectui exposita, quæque Dei Ecclesiam fœdant ac vna versantibus facilè affricantur: qualia sunt quæ beatus Paulus in 1.
1.Cor.vi,9. ad Corinth. epist. cap. 6 commemorat. Itaque Mosaïco hoc emblemate illud quidem significari haud grauate concesserim, quoties aliqui de grege Christiano hujusmodi criminum vel manifesti, vel certè suspecti sunt, debere pastores vigilare, & hujus generis oves vel deformi illâ (ut sic dicam) peccati scabie, sive potius elephantiasi laborantes salutari pœnitentiæ pharmaco curare, vel si medicas manus respuunt, ex Christi ovili

ovili eiicere; quod fit per *abstentionem*, & *excommunicationem*. Atque hæc fuisse videtur Guillelmi Estij de totâ hac figurâ sententia; dum scribit, *eâ significatum fuisse ad sacerdotes Novi Testamenti pertinere judicium de iis, qui ob immunditiam spiritualem quam lepra illa significabat, separari debeant ab Ecclesia & sacramentorum ejus communione, vel eidem si mundati fuerint restitui.* Iam non quævis crimina, sed gravia tantum, & cum proximorum scandalo conjuncta excommunicatione digna sunt. Ergo vel ex Estij interpretatione ea sola ad sacerdotum Evangelicorum judicium necessariò pertinere conficit hæc figura: Peccata verò interna, & tibi soli cognita, quæ maximè in confessione suâ revelari sacerdotibus volunt adversarij, ea necessariò revelanda esse non modo non probat hæc figura, sed planè contra probat neminem ad ea confitenda necessariò obligari. Nam internos corporis morbos, quique minimè in apertum erumpunt, Iudaïco sacerdoti ostendere nusquam jubet Mosaïca lex: quæ de sola leprâ id præscribit; Ergo neque Evangelico ministro arcana, & ignota peccata detegere nunc tenentur fideles: si verum est quod isti sumunt, hanc Mosaïcæ disciplinæ partem hujus nostræ typum fuisse. Alioqui enim veritas typo non congruet. Quod & aliâ ratione ex eadem figurâ sic probatur. Veteres fideles nullos corporis morbos sacerdotibus ostendere necessario debebant, præter eos, de quibus erat disertè à Domino lege cautum. Ergo si Dominus Evangelicos fideles voluisset sua peccata omnia, quantumvis arcana & ignota, ministris necessario confiteri, id proculdubio exserte jussisset; ac ut in lege olim ita edixit, *Homo in cujus cute, & carne ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem*: Sic & in Evangelio præcepisset, *si quis in peccatum aliquod lethale inciderit, is ad ministros accedet, iisque delictum revelabit*: hæcque lex tanto quam illa, diligentius, ac disertiùs ferri debuit, quod omnis peccati, etiam occultissimi, ministris detegendi multò, quam lepræ ostendendæ necessitas, & gravior est, & longius latiusque in omnes scilicet omninò homines patet, cum lepræ caussa ad paucissimos pertineret. At constat & fusè suprà demonstratum est nihil à Domino Christo hujusmodi non modo apertè & disertè, quod omninò necesse fuit, edictum, sed ne obscure quidem insinuatum in Evangelio fuisse. Ergo illa figura Levitica ab hac Evangelicâ caussâ, ex Domini mente aliena est. Tertiò. Neque illud etiam firmum est, ac evidens, quod tamen velut certum & manifestum assumit adversarius, Leviticos sacerdotes Evangelicorum ministrorum hac in parte typos fuisse. Sacerdos enim sacerdotis typus est; legalis & umbratilis, veri & spiritualis. Ministrorum autem Evangelicorum nemo verus & spiritualis sacerdos est: neque sub Novo Testamento ullus, alius legitur à Deo constitutus, legitimus, ac propriè dictus sacerdos, præter Dominum Iesum Christum; Ergo ille solus à sacerdotibus Veteris Testamenti umbratilibus figuratus fuit, non autem ministri Evangelici, qui

Cap. XV.

in Lev. xiii. 1.

Lev. xiii. 2.

Cap. XV. lici, qui nusquam in divinis literis seorsim *sacrifici* dicuntur, sed presbyteri & *Episcopi* duntaxat. Itaque docet quidem hæc figura quod Christi sit in peccatores jus, quæ potestas; quod peccatorum in Christum officium; Nimirum illi jus esse peccatorum labes expiare, purgare, sanare, sanatos in societatem supernæ civitatis inducere, insanabiles arcere ac exterminare; Horum verò scilicet peccantium, officium esse animæ lepram, fœditatem, ac morbum summo illi Sacerdoti denudare atque apetire, expiationemque tanti mali diligenter ab eo, ac ut decet, petere & exposcere; Ad ministros verò, quorum veteres sacerdotes typi fuisse non videntur, frustra ac inique torquetur hæc figura. Neque quicquam valet, quod Calvino hæc respondenti obiicit Bellarminus, si sacerdotium Christo uni convenit, id in cœlos totum esse translatum; nullum in terris amplius superesse, adeoque nec ullam ampliùs legem, cum translatô sacerdotio, transferri quòque legem necesse sit. Non enim si unus Christus sacerdos est, sequitur extinctum esse sacerdotium; cum Christus sacerdos sit, non fluxus & mortalis, sed æternus, & immortalis. Neque si sacerdos in verum, ac sempiternum sanctuarium ingressus, istic coràm Deo pro suis cum hostię suæ sanguine comparet, sequitur nullum ampliùs esse in Ecclesia sacerdotium. Eadem enim est sacerdotii, quæ sacerdotis natura; idemque ingenium. Vt hic æternus, ita & illud sempiternum, ac immortale est. Neque si Christus, quod ad carnem attinet, in cœlis, non in terris, versatur, ideò consentaneum est putare divinam sacerdotii ejus vim cœlo conclusam ita contineri, ut ad terras nostras pertingere nequaquam possit. Sempiterni illius sacerdotii vis, & efficacia in æternum manet; vbique viget, ac floret; nullis locorum vel temporum spatiis conclusa, totis superne cœlis, totis infernè terris diffunditur; Patrem in cœlis placans: homines in terris reconcilians, ac vivificans. Neque verum sanè videtur, sed (nequid dicam gravius) falsum, ac temerarium, quod Bellarminus hoc loco scribere non dubitavit, *Christum sacerdotio illo suo* jam amplius *per se non fungi*. Quasi videlicet per se vel in cœlis apud Patrem (quæ ejus sacerdotii pars est non minima) nunc quoque non intercedat, vel in terris sanctissimô suô sanguine fidelium conscientias non aspergat, aut quasi absque homunciorum operâ peccatorum ad se confugientium animos mundare, remissione, pace, ac spiritus lætitiâ donare non queat. Sed hæc nihil nunc quidem necesse est diligentiùs, aut uberiùs persequi, cum satis sint quæ nuper diximus ad Leviticæ istius figuræ prò Romanorum confessione vim penitus frangendam atque obterendam. Ergo ad consequentia procedamus.

ubi supr. §. ad solutionem autem.

CAPVT

Caput XVI.

Confutatur III. *quæ obtruditur auricularis confessionis figura, ea scilicet veterum confessio, de qua Num.* V. *& Levit.* V. *fit sermo: ad quam frustrà torquet Bellarm. Eccles.* IV. 31.

Tertia (inquit Bellarminus) *figura & confessio, quam Deus instituit in Testamento veteri, & cui adjungi voluit loco cujusdam satisfactionis oblationem sacrificij, de qua Num.* v. *& Lev. etiã* v. *testimonium habemus. Nam profectò si confessio figuralis erat à* DEO *instituta, & necessaria jure divino: quantò magis confessio figurata, esse debet à* DEO *instituta, & necessaria jure divino?* Respondeo; Primò datis, non concessis, iis quæ sumit adversarius, non ideò tamen sequi, ut *sacramentalis*, quæ ab istis dicitur, & vrgetur *confessio, juris divini, necessariaque esse censenda sit*. Nam ut hoc obtineat, prius probare debet suam *confessionem* in illa Mosaïca fuisse figuratam; Atqui non modò *figuratam* esse non probavit, sed ne *esse* quidem, aut extare in Novo Testamento demonstravit. Quod verò ne *est* quidem, illud multo minùs *figuratum fuisse* censendum est. Sin instet, & roget, quænam ergo sit mystica & Evangelica *confessio* per illam Mosaïcam adumbrata; primò si per Mosaïcam aliquid adumbratum fuisse negavero, vix habebit quô negantem revincat. Neque enim singulæ Mosaïcarum cærimoniarum circumstantiæ aliquid necessariò significant. Satis est ipsas cærimonias, earumque (ut sic dicam) *corpora* aliquid significare; ut hoc loco *sacrificium typicum* ad quod illa delinquentium confessio dirigebatur; quodque sacrificii in cruce à Christô oblati, typus erat, omnes sigillatim earum partes, omnesque ad eas apparatus, ad significandum quoque pertinuisse, nihil necesse est; ut in parabolis, emblematis, & tabulis pictis non omnia, quæ pinguntur, *significant*, multa vel ornatus tantum causâ, vel ad ipsius imaginis perfectionem adhibentur; quæ vexare, & ad rem quoque *significatam* torquere stultum est, & vanum. Tum si concesso *confessione* Mosaica aliquid significatum fuisse, respondero me nescire, quid eâ propriè significatum fuerit; non ideò consequens erit, ut sacramentalem istorum confessionem, quam nusquam in Evangelicis libris reperio, illa imagine adumbratam fuisse credam. Multa enim sunt in picturis illis Mosaïcis, quorum nos ratio & significatio fugit. Denique si vehementius urgeat, respondebo Mosaïca illâ veterum Israëlitarum confessione figuratam fuisse, non sacramentalem istorum *confessionem*, quæ in chartis Evangelicis penitus ignota est; sed eam *confessionem*, quæ apud Dominum Christum ab omnibus & singulis, qui ad eum accedunt fidelibus edenda est. Nam cum veteres

Cap.xvi. illi *sacerdoti*, id est ei, qui sacrificium typicum offerebat ex Bellarmini hypothesi confessi fuerint; liquet & nunc fideles ei confiteri hac ratione debere, qui verum sacrificium obtulit. Is autem non alius est, quàm Christus. Ergo si vel omnia, quæ iste assumit, concessero, non aliud denique efficiet, nisi hoc unum confessionem peccatorum à singulis apud Christum summum nostrum atque unicum sacerdotem edendam, quò ejus beneficio expiationem, atque remissionem obtineamus, & divini juris esse, & necessariam; quod nos libenter quidem confitemur; sed & à proposita quæstione alienum esse & pertendimus, & quivis videt. Sed & secundò loco respondeo ne certa quidem esse, quæ Bellarminus velut ex Moyse comperta sumit. Imprimis enim unde illud habet, quod principiò ponit & ex quo omnis ejus ratiocinatio pendet, peccatores scilicet coactos fuisse delicta sua sacerdoti in specie confiteri? Profectò nihil hujusmodi apud Moysem occurrit. Levitici quidem locus, Levit.v.4.6. sic habet: *Anima, qua juraverit, & protulerit labiis suis, ut vel malè quid faceret, vel benè, & id ipsum juramento, & sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnam, sive capram*: & cætera.. De confessione, nihil dicit. Sed (inquit Bellarminus) in Hebræo est והתודה, *& erit cum peccaverit in uno ex his, confitebitur quod peccavit super eo.* Fateor ita scriptum esse. Sed Latinus, à quo tibi ex Synodi Tridentinæ placitis recedere non licet, ostendit illud התודה hoc loco nihil aliud esse quam *pœnitentiam agat*, non absurdè sanè, neque ineruditè. Tota enim hæc, quæ isthic describitur, peccatoris actio, nihil aliud est, quàm pœnitentiæ professio. Tum etiam si missâ Latini authoritate, verbum verbo sic reddas, *Et erit cum peccaverit in uno ex his, confitebitur super quo peccavit*: non tamen inde apparet istum sacerdoti peccatum *confiteri* debuisse. Propiùs videtur, ut apud Dominum in locô Sanctô delictum suum confiteri jubeatur: eidemque capram, vel agnam, aut aliquid huiusmodi in sacrificium offerre. Neque magis cogit allatus ex Numerorum volumine locus; *Vir, sive* Num v.6.7 *mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei, in quem peccaverint.* Iam quæ hic adduntur de restituendo capite, quò quis quem fraudaverit, docent de iis peccatis hic agi, quibus damnum aliquod proximo illatum est. Ergo eodem quoque adjecta confessio pertinere videtur, ut qui proximo injuriam aut damnum intulerit is primùm congruâ admissi delicti confessione, mox & damni reparatione ipsi satisfacere debeat, quæ quam sint ab eâ, de qua quæritur, adversariorum confessione aliena, nemo non videt. Quid ergo? inquis. Nullam-ne putas à peccatore sacerdoti factam confessionem, cum ei sacrificium pro peccato suo Domino offerendum tradebat? Ego verò inquam, id neque censeo, neque affirmo. Primò enim cum hostiam, agnam

scilicet

ſcilicet aut capram Deo pro peccato ſuo mactandam ei traderet, eô ipſo peccaſſe ſe apertè confitebatur: imò & hoſtiæ oblatæ ſpecies quod eſſet peccati genus per ſe ſignificabat; neque enim pro quolibet peccati genere quævis hoſtia offerebatur, ſed pro peccatorum generibus varia quoque erant hoſtiarum genera; ut vel ex his, etiamſi cætera tacuiſſet peccator, ſacerdoti promptum ac facile fuerit intelligere quale eſſet peccati ab eo admiſſi genus; Sed & ſecundò concedo peccatorem apud ſacerdotem diſertè profeſſum eſſe, in quo genere deliquiſſet, hoc eſt an in unum Deum, an & in proximum, an in iis, quæ ad mores, an in iis, quæ ad ritus, & cæremonias pertinerent, rogaſſeque adeo miniſtrum, ut pro ſe oraretur, & ſacrum fieret. Hactenus reos peccata ſacerdoti confiteri ex lege Moyſi decuit, in genere ſcilicet, & quatenus id ſacerdotis ſcire interfuit ad preces, & oblationes ritè inſtituendas. Vltra progredi debuiſſe peccatorem, delictaque ſua ſingula in ſpecie ſacerdoti particulatim cum eorum circumſtantiis enumerare, ac explicare, nego ex ullo legis Moſaïcæ capite haberi. Negat mecum Thomas ſcholæ Romanæ Princeps; *In lege Moſis (inquit) oportebat aliquo ſigno exteriori peccatum proteſtari; ſicut per oblationē hoſtiæ pro peccato, ex quo & homini innoteſcere poterat eum peccaſſe. Non autem oportebat, ut ſpeciale peccatum à ſe admiſſum manifeſtaret, aut peccati circumſtantias; ſicut in nova lege oportet;* Rectè ſane ac planè, ut liquet, ad mentem meam. Neque ſunt nauci, quæ contra affert Bellarminus, ut probet peccatores coactos fuiſſe lege ſingula delicta in ſpecie confiteri. Quod enim primò affert, quæſo, quàm futile eſt? *Quod* (inquit) *in numeris habetur* התודו confitebuntur *eſt conjugationis hitpaël, quæ auget ſignificationem, ut rectè verti poſſit expreſſe, & diſtinctè confitebuntur.* O callidum, & verſipellem Grammaticum! Quaſi verò verbum הודה in *hitpaël* aliud ſignificet, quam in *hiphil*, id eſt confiteri; vel non in utraque conjugatione eodem ſenſu promiſcuè uſurpetur. Sed eſto tamen; hic conjugationis, ut ſic dicam, gradus aliquid ipſi quoque verbi ſignificationi addat, Quid tum fiet! Ego iſtos concedam iuberi diſerte, clare, liquidoque confiteri ſe peccatum admiſiſſe, idque expiatum velle, atque à ſacerdote obnixè petere, ut pro ſe oretur, & Deo hoſtia offeratur; ut peccati ſpeciem, ac circumſtantias ſigillatim èxplicarent, juſſos negabo. Quod verò ſecundò loco obiicit, Scripturam non ſimpliciter dixiſſe *confitebuntur peccatum*, ſed adjeciſſe *quod fecerunt*, quam id vim habeat, non intelligo. Nam & qui *quod fecit peccatum confiteri* dicitur, non ideò id in ſpecie cum circumſtantiis indicare ſignificatur. Quocumque modo id confiteatur, ſive in genere, ſive in ſpecie, non alienum profectò, ſed ſuum, id eſt ipſum quod fecit, confiteri intelligitur. Quanquam & Bellarmino concedi poteſt, iſtos non modò confeſſos eſſe ſe peccaſſe, ſed etiam docuiſſe, in quo genere peccaſſent: utrum ſcilicet in Deum, an in homines, utrum in moralibus, an vero in cæremonialibus; quemadmodum paulò ante di-

M 2 ximus.

CAP. XVI.

ſup. ad 3. q. 6. art. 2. reſp. art. 1.

CAP. XVI. ximus. Iudæorum Austriacorum testimonium, qui hanc sibi consuetudinem fuisse Thomæ Valdensi *a* narrarunt, ut peccata in specie confiterentur. Antonini *b* item autoritatem referentis solere Iudæos doctiores ante mortem confiteri omnia peccata Levitæ alicui, si quem fortè nacti sint; Galatini *c* denique Rabbinos affirmantis docere oportuisse in confessione detegere peccatum in specie, & cum suis circumstantiis: ista inquam, hoc quidem in loco non moror, quo quærimus non quid novitij Hebræi, delirantesve Rabini tradant, sed quid divinus Moyses veteribus Israëlitis in lege præceperit. Sed & pugnat Bellarminus autoritate Ecclesiastici, ex quo hæc allata verba. *Non confundaris confiteri peccata tua*, eò torquet, quasi is scriptor *ad hoc* (ut ait) *legale præceptum* observandum exhortetur. *Porro* (inquit) *confusio timeri non solet in confessione, quæ soli Deo fit, aut quæ fit homini generatim sed in eâ solum, quæ fit homini in specie, & cum suis circumstantiis.* Itaque cùm is autor ad legem illam Mosaïcam de confitendis peccatis respiciat, eam de hac confessione, quæ in specie fit, omninò esse intelligendam. Missâ in præsentiâ omni de hujus libri autoritate controversiâ, quem non nescit Bellarminus & nobis esse & Iudæis semper fuisse apocryphum; respondeo adversarium frustrà & sine ullâ veri, & rationis specie affirmare *omnino probabile* esse Ecclesiasticum eô locô de lege Mosaïca, quæ Levitici capite quinto extat, cogitasse. Vnde enim id habet? vel quod totô illô locô verbum invenit, quô tam audax, tamque inepta conjectura niti posset? Ille, (ut fatebitur quisquis hanc libri partem legerit) præcepta de instituendâ apud homines vitâ tradit; & quidem hoc proxime superiori versu, *Non contradicas verbo veritatis ullo modo & de mendacio ineruditionis tuæ confundere*; quæ verba sic accipiunt Menochius & Tirinus Iesuitæ, ut significent veris semper cedendum, etiam tùm cùm arguimur: & si quid nobis exciderit *inerudité*, id est per inscitiam prolatum, de eò erubescendum, fatendumque nos deceptos aberrasse à veritate, & justitia, neque pertinaciter defendendum erratum nostrum. Quibus consentanea sunt illa, quæ continenter subiicit à Bellarmino laudata, *Non confundaris confiteri peccata tua.* Ergo & eorum idem est, qui superiorum sensus, ne nos, si quid in dictis vel in factis peccaverimus, id vel ab aliis observatum, vel à nobis ipsis deprehensum, profiteri pudeat; multorum more, qui errata sua, etiam agnita, confiteri nolunt, ne scilicet peccasse videantur; cujus ingenii nescio an ullum unquam in humanô genere luculentius exemplum extiterit, quam quod hodie in Romanæ communionis proceribus cernitur, qui sua errata ad unum omnia pertinacissimè tuentur, ne scilicet peccare aut errare potuisse putentur. Hunc Ecclesiastici hoc loco sensum Menochius vidit, ita annotans; *sunt enim* (inquit) *qui se nunquam errasse, aut imprudenter egisse confiteri velint.* Nunc patet quàm vana sit Bellarmini objectiuncula: cùm hunc locum neque nos de eâ confessione accipiamus, quæ vel Deo, vel homini

Bell. ubi supr. §. Ad hæc.
a Tom. 2. de Sacr. c. 137.
b Sum. 3. pa. H. tit. 14. cap. 6. § 1.
c L. 10. c. 3. de arcan. fid. cath.
Ecclesi. iv. 31.

homini tantum in genere fit, sed de eâ qua quis erratum aliquod suum apud proximum agnoscit, quæ confessio superbis ingeniis gravis est. Estius paulò aliter de eo confessionis genere sumit, quo quis *viro docto ac sapienti peccata sua aperit, qui eum instruere, & peccati salutare remedium possit monstrare*; eodemque refert loca quæ extant Proverbiorum XXVIII. & Iobi XXXI. sed piget in istis, usque adeo à causâ alienis, diutiùs immorari. Cum ergo omnes Bellarmini conatus vani sint, concludamus tandem cum Thoma *minime sub lege oportuisse, ut quis speciale peccatum à se commissum manifestaret, aut peccati circumstantias.* Vnde porrò videre est, quam sit futilis & deplorata omnis hæc adversarij à Levitica confessione petita probatio; quæ & malè colligit & falsa sumit, ut iam satis ostendimus.

Cap. XVII.

In 4. d. 17. §. 4.

Capvt XVII.

Confutatur, quod adversarij suæ confessionis eam figuram fuisse volunt, quam baptizandi olim apud Iohannem fecisse: Matt. III.6.*& Marc.*I.5.*perhibentur; quam illi* IV. *figuram, sed frustrà numerant.*

Sed adversarij non solum ex Veteri Testamento, cujus umbræ propriæ sunt & figuræ, verum etiã ex Novo, cujus corpus est, & veritas cõfessionis suæ typos petunt. *Quarta figura*(inquit Bellarminus)*est Matthæi 3. & Marci primo capite, ubi legimus plurimos accurrisse ad baptismũ Ioannis*, confitentes peccata sua. *Sicut enim baptismus Ioannis figura fuit baptismi Christi; ita quoque & confessio, quæ Ioanni fiebat, figura fuit confessionis, quæ Christi Ministris facienda erat.* Hæc ille; Ego verò respondeo hanc probationem iisdem vitiis laborare, quibus laborabat præcedens. Primò enim malè colligit. Nam si ea, quæ sumit, donavero, conficiet confessionem (quam vocant) Sacramentalem exigendam esse à baptizandis, non autem à baptizatis. Hæc enim Ioanni ab iis facta legitur, qui baptismum ejus suscipiebant; ab iis, qui jam antea susceperant; facta nusquam legitur. Ergo si hæc illius verè figura fuit, necesse est quidem ad Christianum baptismum accedentes sacerdotibus peccata sua in specie, ac particulatim confiteri; baptizatos verò, nihil necesse est, Alioqui enim cum figurâ veritas non congruet. Atqui consequens ipsi adversarij absurdissimum esse confitentur; & si verum esset, infantes, (quippe qui confessionis nondum sunt capaces) essent à baptismo arcendi. Ergo consecutionem ipsam falsam, & ineptam esse necesse est. Quod vero negat Bellarminus *multum referre, quod illa apud Ioannem confessio cum baptismo conjuncta esset, cum sua sacramentalis solum-*

Cap. xvii. *in iis locum habeat, qui post baptismum peccant*; id inquam & falsò & sanè impudenter negat. Cum enim huius, quam affert, probationis tota vis ex utriusque confessionis mutuâ relatione, ac similitudine pendeat; relationem autem illam, ac (ut loquuntur) *congruentiam* nullam esse inter utramque confessionem, liquidò ex eo appareat quod illa quidem à baptizandis solis exacta fuisse legatur, cum hæc à solis baptizatis, non autem à quoquam baptizando exigatur; quis non videt, quanti sit hæc inter utramque dissimilitudo? Quam vero affert adversarius hujus discriminis rationem; inde petitam, quod non, ut Christi, ita & Ioannis baptismus peccata ex opere operato remitteret,; ea inquam & dubia est, atque incerta, non aliô nixa fundamento, quàm inanibus scholæ Romanæ figmentis, quæ nunc excutere non vacat; & objectionem nostram non solvit, sed astringit ac firmat. Si enim ista adversariorum confessio cum Baptistæ confessione non modò, quod objectio demonstrat, non congruit, sed etiam quod Bellarmini responsio probat, necessariò, certamque ob rationem non congruit; quis nôn videt hanc illius, quod iste vult figuram non esse? adeoque ruere omne quod hinc ducebat argumentum? Figura enim cum eâ re, quam significat, necessariò congruere debet; çum adversariorum confessio cum Baptistæ confessione non tantum non congruat, sed & necessariò non congruat. Negari sane non potest, istos figuram hanc commentos esse, gratisque sumpsisse. Quis enim ex divinis autoribus confessionem illam apud Iohannem editam, ejus, quæ à Christianis scilicet apud ministros fit, figuram esse docuit? quæ ratio demonstravit? Atqui hanc ne esse quidem vel ex *Scripturâ*, vel ex rationibus certis demonstrant; nedum ut eam à Baptistæ discipulis figuratam fuisse probare possint. Cùm ergo quod de commentitiâ hac figurâ jactant, merum sit istorum figmentum, id quidem à nobis non difficilius reiicitur, quàm ab istis adducitur. Sed neque verum, aut certum est, quod iidem sumunt baptizandos apud Ioannem *peccata* singula *in specie*, ac *particulatim* confessos esse. Frustra urgent verba Matthæi. ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν *confitentes peccata sua*. Nam qui se *multa ac magna peccata* admisisse in genere dicit, is non minùs sua peccata confitetur, quàm qui ea sigillatim, ac particulatim explicat. Quinimò si benè rem putemus, hæc singularis ac particularis explicatio nihil ad confessionem propriè pertinet. Confiteri enim simpliciter est non negare, sed agnoscere id verum esse, quod obiicitur. Peccata sigillatim exponere potiùs est ea numerare, ac narrare quàm confiteri. Cùm ergo Baptistes pœnitentiæ præco, Iudæos impietatis, ac summæ in omni vitiorum genere audaciæ ac intemperiei argueret, isti qui baptismum ejus suscepturi veniebant, apud eum primò profitebantur se gravia illa peccata, quorum insimulabantur, multa admisisse, multisque modis reos esse. Hoc nisi sit, *peccata sua confiteri*; ego verò quid id sit nescio. Nemo, credo, negaverit, Danielem in præclarâ illâ precatione,

catione, quæ capite nonô libri ab eô scripti extat, & sua & suorum peccata confiteri, cùm ait. *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus, & declinavimus a mandatu tuis, ac judiciis; Non obedivimus servis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuô.* Et tamen Daniel nullum istorum, quæ in genere commemorat, peccatorum, in specie ac sigillatim explicat. Neque David in Psalmis (ut vocant) pœnitentialibus, solet secus à se admissa peccata particulatim enarrare; quem tamen omnes concedunt in hujusmodi locis peccata sua confiteri. Certè Caietanus non aliter Matthæi verba, de iis qui ad Baptistem accedebant, intellexit; *Profitebantur* (inquit) *se peccatores, & in signum, quod pœnitentes essent, offerebant se abluendos a Ioanne; tanquam exterior ablutio esset quædam professio pœnitentiæ, & mundæ deinceps vitæ ducendæ.* Sic etiam Emanuel Sa ex Iesuitarum Societate; Confitentes peccata] *& in genere* (inquit) *& forte aliqua in specie. Vide Levit. 16. Numer. 5. Ecclesiastic. 4. Act. 19. Sufficiebat quidem illis baptismo se agnoscere peccatores.* Vides ut de confessione *in genere* intelligat? de ea quæ fit in specie, & quidem quorundam non omnium peccatorum, nonnisi dubitans loquitur: postremoq; dicat suffecisse, ut qui ad Ioannem baptizandi accedebant, se peccatores agnoscerent? quod quid aliud est quam fateri non aliam, quam hanc intelligendam istorum confessionem, *qui baptizati ab eo* dicuntur *confitentes peccata sua?* Neque aliter cepisse videtur Guillaudus; *Veteris vitæ* (inquit) *ipsos pœnitebat, & damnantes vitam priorem, confitebantur peccata sua. Quod ut signô aliquo manifestarent, offerebant se à Ioanne baptizandos, putantes hanc externam lotionem, signum esse pœnitentiæ, & resipiscentiæ, hoc est signum, quô profiterentur se pœnitentiâ duci.* Tum allatis ex Lucâ illis diversorum ad Ioannem interrogationibus, *Quid faciemus?* subjicit, *Certè hoc responso profitebantur se peccatores.* Hæc ille; verè sane, atque apposité. Itaque rectus ac simplex horum verborum sensus, *& baptizabantur ab eô confitentes peccata sua,* hic est, illi Ioannis prædicatione compuncti, ac territi, profitentes se ex eorum numero esse, quos ille carpebat, ac denotabat, quippe qui variis modis peccassent, agnoscentesque adeò sibi pœnitentiam necessariam esse, baptismum ad eam institutum & à Ioanne promulgatum suscipiebant. Quid hæc quæso ad confessionem auricularem? Sed hîc nimirum istos, ut in aliis non paucis, decipit corrupta apud eos vocabulorum significatio, & ad usum præsentem detorta. Quod enim in vulgari sermone *peccata confiteri* non alios dicant, quàm qui ad genua sacrificuli alicujus accidentes, sua ei flagitiá, delictaq; sigillatim, ac in specie omnia in aurem immurmurant; nunquam *peccatorum confessionem* uspiam legunt, vel audiunt, quin statim aliquid hujusmodi imaginentur. Atqui Evangelistarum dicta non ad præsentem abusum, sed ad veterem usum expendere decebat. Cùm igitur Matthæus hoc loco de iis loquatur, qui peccata in genere tantum confitebantur, apparet, quam ridiculi sint, qui hæc ejus verba ad suæ illius

CAP. XVII.

Dan. 9.5.6.

Matt. 3.6.

Luc. 3.

CAP. XVII. lius auricularis confessionis mysterium trahunt. Sed & paulò aliter, fortasse non incommodè sumi possunt hæc Matthæi verba. Narrat Lucas & multitudinem uniuersè & publicanos & milites nominatim ad
Luc. 3. 10. 12. 13. 14. Ioannem accessisse, quæsivisseque. *Quid faciemus?* Ioannemque & uniuersis, & singulis quid facto opus esset respondentem præcepisse. Eò ergo referri potest, quod ait Matthæus *peccata sua eos confessos esse*; ita scilicet, ut ii non simpliciter & in genere tantum peccatores se esse agnoscerent, sed sui singuli ordinis peccata, ac labes confiterentur, publicani verbi gratia multa avarè; milites multa crudeliter se gessisse testarentur; quærentes quanam in posterum ratione vita instituenda esset. Quomodo hunc locum accipi posse scribit Estius; scilicet de hu-
in 4 d. 17. §. 4. & in Matt. 3. 6. jusmodi confessione, *quæ fit viro docto, ac sapienti, qui peccatorem instruere, & peccati salutare remedium possit monstrare: Hi enim* (inquit) *præter professionem pœnitentiæ etiam Consilium requirebant emendandæ vitæ, dicentes.* Quid faciemus? *Luc.* 3. Neque aliter hæc Matthæi verba intelle-
in Matt. 15. xisse videtur Hofmeisterus; *Verè* (inquit) *hoc ipso factô* (quod scilicet à Ioanne baptizarentur) *confitebantur peccata sua, ostendentes semetipsos sibi displicere*; *Lucas rem sic effert inquiens*. Et interrogabant eum turbæ dicentes. Quid ergo faciemus? & cætera, quæ ex Luca describit. At neque hoc confessionis genus ad Romanam confessionem pertinet; à quâ id disertè semovet Estius locô nuper laudatô. Denique quocumque modô hæc à Iudæis, apud Baptistem edita confessio intelligatur, ultrò ac spontè à singulis pro suo cujusque arbitriô edita fuisse videtur; certè nulli imperata legitur; ut si adhoc exemplar suam institutam esse velint adversarij, omninò fateri debeant eam liberam, non autem necessariam esse, & à singulis fidelibus pro arbitriô suscipiendam, non autem ab omnibus sub mortis æternæ pœnâ exigendam. Sed nihil opus est pluribus de hac Iudæorum apud Baptistam confessione agere, quam ex ipsis adversariis viri quidam celeberrimi ad suæ sacramentalis demonstrationem inefficacem esse ultrò fatentur; pauci adeò in hac contrà nos disputatione adhibent. Ejus certe non meminerunt, aut veteres Scholastici, Scotus, Durandus, Aureolus, Gabriel aliive, aut recentiores Vasques,
Controv. T. 1. c. 2. de conf. orig pag 15. Estius, Becanus & similes. Maldonatus verò Iesuita, vir suô suorumque judicio doctissimus, nostro non contemnendus. *Non debemus* (inquit) *niti eô testimonio, quod apud Matth. 3. ubi Iudæi veniebant ad Ioannem confitentes peccata sua, ut baptizarentur; quia manifestum est illo loco non agi de confessione sacramentali quæ nondum erat instituta.* Quin & Commentariis in ipsum Matthæi locum nostros, (quos homo maledicentissimus solenni convitiô *hæreticos* vocat) etiã deridendos dicit, qui hunc locum longâ disputatione suis eripiant, quasi ex eo (inquit) *à nobis Ecclesiastica confessio potissimum probetur.* Itaque eos illudens *fortes sine adversario viros* vocat, *Andabatarum more irrito in tenebris ictu vires fatigantes. Quis enim* (inquit) *unquam Catholicus tam fuit indoctus,*

ut ex

ut ex hoc loco confessionis probaret Sacramentum? Audis, Bellarmine, quô te iste loco, ac numero, quantumvis purpuratum, ac Iesuitam censendum putet. Profectò vel iste est insigniter impudens, vel tu (quod non facile, credo, concessurus es) vel non *Catholicus* vel *indoctus* es, qui hunc ipsum ab isto tam petulanter fastiditum locum in tuis pro confessione argumentis adhibuisti. Vter autem vestrûm vel *impudens*, sit vel *non doctus*, ego quidem nunc non disquiro. Cæterum ne iste me quoque diutius in scirpeis quis & enodibus argumentis immorantem ad Andabatas morosus censor releget, verbum non amplius addam. Cap. xvIII.

Caput XVIII.

Quinta figura confessionis refellitur, quam ex eo Bellar. inscitè & ridiculè astruit, quod Christus de Lazaro suscitato dixerit, Solvite eum & sinite abire, *Ioann.* 11. 43.

Itaque ad aliam, quintam scilicet, eamque ultimam, confessionis figuram venio; quam Bellarminus in historiâ Lazari à Christo suscitati se reperisse putat. *Quod* (inquit) *Dominus è sepulchro prodire jusserit Lazarum & ab Apostolis solui voluerit funeralia illa vincula quibus ligatus erat, significabatur peccatores divina voce excitatos. foras prodire per confessionem, & ministerio sacerdotum liberari à peccatorum vinculis per absolutionem.* Ille verò dum sic disputat, nimium proterve nobis illudit. Huc enim, si rem accuratè expendas, redit omnis istius argumentatio; Scriptum est apud Ioannem: Iesus Lazarum in sepulchro jam conditum resuscitaturus, *voce magnâ clamavit, Lazare veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes institu, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus solvite eum, & sinite abire.* Ergo nemo fidelium in peccatum post baptismum labitur, qui non necessario, ac sub æternæ mortis pœna debeat peccata omnia in aurem uni sacrificulo confiteri: Hem! quæ, qualisque est illa consecutio! hominis-ne vigilantis, & sani ratiocinatio, an non potiùs somniantis, aut insanientis deliramentum! Talibus videlicet demonstrationibus nititur omnis Papæ Romani causa, ac disciplina. Sed (inquit) quod ait Christus *Lazare exi foras,* idem est ac si diceret peccatori, *Foras prodi per confessionem;* quod verò aliis dicit, *solvite eum,* idem est ac si sacerdotibus diceret, *Absoluite istum per confessionem de peccati sepulcro egressum.* Sed quis istis glossas tam portentosas, concesserit? Quis non animadvertit sacra Scripturæ verba illis ad suam causam detorquere ludum esse ac jocum? Ego vero Evangelistæ verba, maxime

ubi supr. §. Quint.

Ioh. 11. 43, 44.

N · in facto

CAP. XVIII. in *factis* (ut loquuntur) narrando versantis non aliter quam propriè accipio, vel accipienda concedo. Qui à Christo vocatur *Lazarus*, is *Lazarus* erat Marthæ & Mariæ frater; non ullus alius. & unde foras exire jubetur, id sepulcrum reverâ fuit, in quo mortuus conditus fuerat, & quæ solvisse circumstantes Christo præcipiente narrantur, ea *institarum* & *fasciarum* vincula erant, non peccatorum. Fateor, inquis sed nonne licet rerum in Scripturis narratarum historias, velut Evangelicorum mysteriorum imagines assumere, atque horum ad illas rationem, ac convenientiam considerare? Licet, inquam, ad tuam & cæterorum fidelium voluptatem, atque ædificationem, modò parcè ac sobriè, graviterque eâ libertate utaris, ac sic denique ut verbum divinum esse memineris, quod tractas. Inde verò *argumentari*, ac res ipsas constituere, non licet, quod nihil aliud esset, quàm ingenij tui inventa Scripturæ mysteria facere. Itaq; ut in hoc allegoricô genere cũ laude verseris, inprimis clarè ac solide ex veris ac perspicuis locis constitutum ac demonstratum esse decet, id quicquid est, cui narrationem aliquam allegoricè aptare, atque accommodare cupis. Lusus enim hujusmodi allegorici rem constitutam ac certam ornare possunt; dubiam ac ignotam probare non possunt; maxime cum ea est rerum narratarum natura, quæ ipsa sibi per se sufficit, ita ut divinæ in iis administrandis sapientiæ ratio clarè constet, neque quicquam insit, quod aliò confugere nos cogat. Talem autem esse hanc Lazari resuscitati historiam nemo non videt; per se claram ac simplicem, in qua nihil planè occurrit, quod Christi bonitate ac sapientiâ vel in speciem dignum non sit; ut nihil necesse sit quicquam in eâ vexare, vel allegoricè interpretari. Quòd verò caussantur adversarij Patres suæ hujus allegoriæ auctores fuisse; quorum multa hic loca indicant; equidem non nego veterum plerosque hîc, ut alibi, in eo sibi genere plurimùm indulsisse. Sed ista patrum loca eò quidem valent, ut ostendant, quid ij de pœnitentiâ, ac confessione senserint; (neque enim Scripturas, nisi iis, quæ ipsi sentiebant, allegoricè accommodabant) ut ostendant quid Scriptura ipsa per se doceat, eò non valent. Non enim in hoc genere rem, cui per allegoriam aliquid accommodas, ex allegoriâ probas, sed velut probatam, ac constantem, sumis, ac (ut loquuntur) *præsupponis*. Siquis ergo est ex Patribus qui hoc Lazari ex sepulcrô egressu *confessionem* peccatoris significatam dicat, fateor inde recte colligi istum patrem quisquis fuerit, sensisse peccatorem confiteri debere; inde confici, ut Scripturæ, quò allusit, is omninò ac necessario sensus sit, quem ei per allegoriam aptavit atque accommodavit, constanter nego. Neque eipsam Scripturam in se (ut sic dicam) immutant varij illi usus ad quos eam ingeniosi homines ad suam vel aliorum oblectationem, aut ædificationem, inflexerunt, atque accommodarunt. Itaque cùm in hac disputationis parte ex divinis Scripturis causa tota agenda sit, omninò ineptè, ac præposterè facit adversarius, qui & hic & in aliis quæcunque fere

citat,

citat, Sacrarum literarum locis, lectorem multis Patrum testimoniis obruit, quæ non in hac, sed in secunda parte, in qua de eorum sententiâ disquirendum est, erant afferenda. Quô factum est, ut nos neque in hoc argumentô, neque in superioribus illa Patrum laudata à Bellarminô testimonia expenderimus; quæ nimirum ad alteram disputationis partem pertinent, in quâ ubi constiterit, an Patres hodiernam Romanorum *confessionem*, aut ipsi in usu habuerint, aut à Christô traditam putaverint: facile eadem operâ constabit, an eam hoc Ioannis locô figuratam fuisse cum Bellarminô crediderint. Certum enim est, quicunque verba hæc Christi apud Ioannem ad *confessionem* allegoricè retulerint, eam omninò confessionem intellexisse, quæ apud ipsos in usu erat; non aliam ullam. Vnde liquet si demonstratum fuerit auricularem istam, quæ Romæ hodie in usu est, *confessionem* Veteribus planè incognitam fuisse, illud quoque clarissimum futurum, nullum ex vetustis Patribus vel hunc Ioannis vel alium Scripturæ locum ad eam retulisse. Cum ergo frustrà hic acturi simus, quod posteà suô locô necessariò agendum erit, omnem illam de Patrum sensu, ac sententiâ alibi pertractandam disputationem, tametsi hîc à Bellarmino præposterè ac ineptè adhibitam, nunc omittimus. Itaque cùm nihil ex ipsâ Scripturâ adferant adversarij, quô probent vel illa Christi ad Lazarum verba de suâ confessione esse intelligenda, vel ipsam illam suam confessionem à Christo unquam institutam, vel ab Apostolis traditam fuisse; apparet ipsos hunc locum non modò ineptè & inefficaciter ad demonstrandam suam *confessionem* adhibere; sed etiam imprudenter ac inscitè, omninoque inverecundè ad eam referre. Verum neque illud secundo locô prætermittendum est, etiamsi constaret ex aliis Scripturis hanc, quæ apud istos in usu est, *confessionem* à Dominô fuisse institutam; (quod quam non constet satis demonstratum est) non ideò tamen consentaneum futurum esse, ut ad eam accommodetur illa de Lazaro resuscitato Evangelij narratio. Primò enim resuscitatus jam à Christô erat Lazarus, vereque vitâ donatus, quo tempore eum à discipulis (ut vult Bellarminus) solvi jussit Christus. Arqui isti contra mortuos adhuc in peccatis esse pœnitentes volunt, cum à sacerdotibus suis absolvuntur. Docent enim peccata nondum remissa, verè eis à sacerdotibus remitti; adeoque nondum à Christo solutos solvi à ministris, nondum ab illo resuscitatos, suscitari ab his; ut & omnes ferè sentiunt, & Maldonatus disertè in hunc ipsum locum scripsit. Ergo si sibi constare volunt, non iis, qui Lazarum solverunt, sed Christo, qui resuscitavit, sacerdotes suos comparare debent: omninoque ineptè, ac præter suam hypothesin, illam *institarum & fasciarum* solutionem sacerdotalis absolutionis figuram fuisse statuunt. Huc & illud accedit quod ex Evangelio non constat, Apostolos fuisse, qui Lazarum solverunt. Neque erat, quod Bellarminus usque adeò in Calvinum excandesceret, multò verisimilius putantem id ministerij præstare à Christo jussos circumstan-

CAP. XVIII.

in Ioh. ii. 44. §. 84.

ub. supr. §. miror.

CAP. XVIII. cumstantes Iudæos, quò citrà ullam fraudis suspicionem evidentius fieret miraculum, & major sua virtus eluceret, quod nullo tactu, sed sola voce mortuos suscitaret. Primò enim hæc Calvini assertio manifestâ ratione nititur, cui adversarius, non aliquam aliam rationem, sed clamores opponit, vociferans, licet ex Evangelio non possit certò colligi, qui fuerint, qui Lazarum solverunt, tamen magnam conjecturam esse Apostolos fuisse. Quod enim iste, Christum absolutè circumstantibus Lazarum ut solverent præcepisse, ait, id ne sit verisimile, efficit allata à Calvino ratio; quæ potius suadet, ut, non ad quosvis absolutè, sed ad Iudæos propriè verba illa Christus direxerit, Tollite lapidem & solvite eum. Tum ipse Maldonatus Calvini conjecturam Bellarminianæ apertissimè anteposuit, Non explicat (inquit) Evangelista quibus hoc Christus mandaverit; sed dubium non est mandasse Iudæis qui aderant, ut suis ipsi manibus quodammodo miraculum tangerent: eamque omnium bonorum auctorum esse sententiam paulò antè docuimus, Augustinum, Gregorium, & Bedam excipio. Hæc ille; ex quibus obiter licet discere, quàm concors ac absolutus sit in divinarum rerum explicatione Iesuitarum consensus. Quod unus scilicet statuit, alter explodit; & quod hic velut improbabile atque absurdum reiicit, alter de eo ne dubitandum quidem pronunciat. Ergo cum Iudæos Christus jusserit Lazarum solvere, si ista solutio eam absolutionem, quæ pœnitenti confesso datur, significavit; profectò consequens est, ut peccatorem & audire confitentem & confessum absolvere etiam Iudæo, atque infideli licere dicant; quod quàm absurdum sit, & ab ipsâ istorum religione alienum, qui nullius, nisi sacerdotis, hanc esse potestatem volunt, quivis facile per se videt. Frustraque cavillatur Bellarminus, eos duntaxat habere potestatem peccata remittendi, quibus id Christus mandavit, quemadmodum ij soli Lazarum de monumento prodeuntem solverunt, quibus Christus dixerat, solvite eum. Nugatur (inquam) Bellarminus, & causam prodit, dum sic agit. Nos quidem concedimus quod ille sumit, eos duntaxat habere potestatem remittendi peccata, quibus eam Christus concessit. Sed si verum est quod idem quoque Bellarminus posuit, illam Lazari solutionem figuram esse absolutionis, quæ pœnitentibus confessis datur, & hanc his verbis, solvite eum, à Domino esse significatam; profectò evidentissimè ex his consequitur illam peccatoris confessi absolvendi potestatem etiam iis datam esse, qui neque Apostoli sunt, neque Christiani. Ex hypothesi enim adversarij data est iis, quos Christus Lazarum solvere jussit. Solvere autem eum Iudæos jussit, certo & indubitato, ut affirmat Maldonatus, vel certe generaliter & absolutè ut concedit Bellarminus; Ergo & Iudæis adeoque etiam non Christianis, jus, ac potestatem dedit absolvendi peccatoris confessi. Quod si, ut est sanè absurdissimum, ita Bellarmino videatur; is necessariò denique fateri debet, absurdam & ineptam esse, quam hic molitus est, suæ confessionis figuram. Sed & de hoc quoque loco plura nos dicere vetat superbus ac furiosus Magister Maldona-

In Ioann. 11. §. 24.

donatus; qui in nostros hic bacchatur, eosque *stoliditatis* accusat, quod suorum ex hoc loco argumentationem rideant, *quasi* (inquit) *hoc fundamento sacramentalem confessionem fabricemus.* Et cùm quid & ipse & sui de confessione & absolutione sentiant, exposuisset, *sed id* (inquit) *non super hunc locum, id est super arenam, sed super illum.* Quorum remiseritis peccata, &c. & *super illum*, Quæcunque solveritis super terram, &c. *id est super firmam petram fabricamus, supra quam Ecclesia Christi ædificata est, adversus quam portæ inferi i. id est Calvinistæ, Lutherani, & cæteri inferni Cerberi non praualebunt.* Sic enim locum concludit, homo mitissimus ac modestissimus, & *Iesu* scilicet ad unguem *socius.* Ac Tartarea quidem maledicta mittamus, quibus ille nos lacerat, non secus ac olim Christum nostrum Iudæi, quem Samaritanum, & diaboli emissarium mancipiumque haud honestioribus elogiis vocabant. Illud unum observemus, istum quantumvis bile percitum, splendideque in nos furentem, fateri hoc Ioannis loco confessionem suam minime probari. (quod etiam in alio opere tradit, *exemplum de leprosis quos Christus misit ad sacerdotes & de Lazaro, quem solvendum tradidit discipulis*, ex eorum censu quibus in hac causa nitendum putat disertè reiiciens) Bellarminum adeò & cæteros, qui eò ad hoc utuntur, *super arenam fabricare*; quo quidem ille non potuit eorum stultitiam apertius ac contumeliosius traducere. De locis verò; quos firmam esse putat hujus suæ substructionis *petram*, fusè suprà diximus; ac ostendimus ne in iis quidem, magis quàm in aliis, tutò posse consistere vanam & mere humanam Romanæ confessionis fabricam.

Cap. XIX. in Ioann. 15. §. 8.

Tom. 2. cont. c. 2 de confes. p. 37.

CAPVT XIX.

Cætera ab imperitis afferri è Scripturis solita ex hac disputatione reiiciuntur, & ad ea explicanda quinque, aliæ à Sacramentali, ex Estio proponuntur confessionis species; quibus sexta à nobis adiicitur.

HÆc sunt, quæ Bellarminus è divinis litteris pro suæ confessionis jure, ac necessitate afferenda existimavit. Sed quoniam imperiti multò plura corradunt, ac pœnè omnia, in quibus vel *confessionis* vocabulum offendunt, tametsi ea, quàm sint inefficacia vel Bellarmini silentium satis prodit, qui cùm etiã infirma, ac futilia non pauca, & aliis eruditissimis earundem partium viris spreta adhibuerit, hæc tamen omisit, age ne qua fraus simplicioribus vel ex vocum, & syllabarũ sono fiat, ista quoque breuiter percurramus. Quâ in parte nobilissimum ex adversariis Theologum Gulielmum Estium ducem sequemur; ut vel ejus

CAP. XIX. authoritas indoctos deterreat ab hujusmodi locis in hac caussa deinceps usurpandis. Is enim hanc disputationem ingressurus vocis homonymiam inprimis explicat, diligenterque ab eâ summovet Scripturæ dicta, quæ tametsi aliquam habere speciem rudibus ac plebeis ingeniis videantur, ab hac tamen caussa reverâ aliena sunt. Itaque primò lectores monet duplicem in Scripturis commendari confessionem; alteram *laudis*, alteram *peccatorum*; Priorem esse, *quâ Deum, ut summè bonum, summéque laudabilem, & ejus judicia, atque beneficia cum gratiarum actione agnoscimus, & prædicamus. confessionis vocabulum eo sensu in Scripturâ Veteris Testamenti, ac potissimum in Psalmis esse frequentissimum, atque ita à Domino Christo usurpatum, quo loco ait apud Matthæum, Confiteor tibi pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.* Id verò annotare mihi quoq; operæpretium esse visum est, quod Patres Tridentinos, qui illius Synodi acta conscripsit, testetur hujusmodi loca, quamtumvis ab hac quæstione aliena, in congregationibus ante rei definitionem habitis, plurima adduxisse, & ad confessionis sacramentum detorsisse, ita ut vix vllum ex Prophetis, & Psalmis versiculum omitterent, in quo extaret vel verbum *confiteor*, vel ejus verbale nomen *confessio*. Iam confessionem peccatorum Estius esse ait, *dum quis agnoscit & manifestat, seu loquitur peccata sua, sive id fiat soli Deo, sive etiam homini.* Confessionem quæ soli fit Deo, quæque *interior* dicitur docet *ad salutem & nunc esse & semper* (id est etiam in statu & naturæ & legis) fuisse *necessariam*; quod nos libenter admittimus; ut in ipso hujus disputationis limine confessi sumus. Eo refert Prophetæ dicta; *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.* quò etiam haud dubiè pertinet illud quod præcesserat; *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.* Item; *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* Et illud è Psalmo 51. *Quoniam iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum contrà me est semper. Tibi soli peccavi & malum coram te feci* & multa hujusmodi. Huc etiam revocat. quod septuaginta interpretes habent apud Isaïam; *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*; pro quô Latinus ex Hebræo habet, *Narra si quid habes, ut justificeris*: Item quod extat apud Iobum, *si abscondi, quasi homo, peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam*; ideóque vult *Scripturam Adam, & Cain. & quosdam alios eo nomine graviter notasse, quod peccata sua non fuerint confessi*; apud Deum scilicet.

In 4. d. 17. §. 4.

Matth. 11. 25.

Hist. Conc. Trid. l. 4. p. 98.

Psal. 31. (lat. 30.) 5.

Ps 19. (lat. 17.) 18.

Ps. 51. (lat 10.) 5. 6.

15. 43. 26.

Iob. 31. 33.

Confessionem verò, quæ fit homini, etiam præter eam, de quâ nunc disputamus, quamque isti *Sacramentalem* vocant, multiplicem agnoscit; ac primò eam, *quæ fit judici*, ut cum *Achan confessus legitur peccatum suum*, cohortante Iosuâ. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atq; indica mihi quid feceris; ne abscondas*; Tum eam, *quæ fit viro Docto. & sapienti, qui peccatorem instruere, & peccati salutare remedium possit monstrare*, quam nos & utilem esse diximus, & apud Pastores fieri plerumque concef-

Iof. 7. 19. 20.

concessimus, quod ii ut plurimum majore, quam cæteri, rerum divinarum cognitione præditi sunt. De hac autem Estius intelligenda ait videri hæc Scripturæ loca; primo quod habetur in Proverbiis. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea misericordiam consequetur*; Bellarminus verò paulò aliter ait *Morali hac sententiâ illos objurgari, qui admoniti scelerum suorum, nolunt ea agnoscere, sed abscondunt & negant.* Secundò huc etiam refert Estius illud Ecclesiastici dictum, de quo nos suprà. *Non confunderis confiteri peccata tua*; & quod alibi in eodem volumine legitur, *Non demoreris in errore impiorum: Ante mortem confitere. A mortuò, quasi nihil perit confessio. Confiteberis vivens, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum.* (Quanquam hoc quidem de pœnitentiâ, ac conversione ad Deum, accipere consultius videatur; certè ad totius loci consilium & contextum aptius, in quo statim ista consequuntur; *Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se!* Neque est quod supra monuisse nos memini, inusitatum, ut *confessio* pro pœnitentia usurpetur.) Tertiò de hac etiam confessionis specie intelligi posse ait Estius, quod Iobus, ut nuper commemoravimus, de se profitetur, *si abscondi, quasi homo, peccatum meum.* Quartò denique *eodem etiam referri posse* tradit, (quod jam suprà à nobis observatum fuit) *illam confessionem quam faciebant, qui baptizabantur à Ioanne.* Tertiam confessionis, quæ homini fit, speciem Estius eam esse ait, *quæ vel fratri, vel cuicumque homini fit, ut cum eo redeatur in gratiam; de quâ (inquit) loquitur Dominus, Matth. 5. (* his nimirum verbis, *Vade, prius reconciliare fratri tuo*) & *Luc. 17.* (nimirum vbi ait. *Si septies in die peccaverit in te* frater tuus *& septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi*) *& juxta multorum expositionem* Iacobus 5. (in loco scilicet illo, de quô nos supra, *Confitemini alterutrum.*) Quartam postremò confessionis quæ homini fit, speciem recenset Estius, eam scilicet, *quæ sacerdoti legali fiebat ad obtinendam per sacrificia peccati remissionem; quaque aliqua locis in Levitico præscribitur*; de quibus nos nuper diximus. Has quinque *confessionis* species, quarum prima Deo, quatuor reliquæ hominibus fiunt, Estius à sua sacramentali (quod per se patet) alienas esse fatetur. Discant ergo imperiti à celeberrimô hoc apud suos magistrô frustra ad suam illam sacramentalem confessionem probandam abhiberi ea Scripturæ loca quæ ad aliquam ex his quinque speciebus confessionis pertinent, qualia illa sunt, & quæ ab ipso Estio disertè commemorata recitavimus, & alia fortasse ejusdem generis non pauca. Quibus nos sextò addimus ipsam illam confessionis speciem, quæ à fideli quovis fit apud pastorem Evangelicum ad peccati remissionem à Deo, per ipsius vocem, ac ministerium obtinendam, non simpliciter à nobis reiici. Agnoscimus enim & Christi ministris velut eius legatis, non quidem prætoriam, sed tamen aliquam esse, & quidem non contemnendam, in peccatis tum remittendis, tum retinendis potestatem, ex illo

Domini

CAP. XIX.
Prov. 28. 13.
L. 1. de pœnit. c. 11. §. Solis est locus.
Ecclesiast. 4. 31.
Eccles. 17. 26, 27.
ibid. v. 28.
Iob. 31. 33.
Matth. 5. 24.
Luc. 17. 4.
Iac. 5. 16.

Cap. xx. Domini dicto, *Quorum peccata remiseritis remittuntur*, & aliis ejusdem generis; & verò fidelium in peccatum aliqnod lapsorum, eum interdum esse æstum & pavorem, cui componendo ac sedando utilis sit pastoris vox, atque auctoritas; unde quod initiò diximus, sequitur, non modo non frustrà, sed summo etiam cum fructu à fidelibus in tali articulo constitutis adhiberi posse ac debere ministrorum operam; adeoque apud eos nudari ac patefieri conscientiæ fluctuantis arcana. Hoc tantum negamus, hujusmodi peccatorum omnium confessionem planè penitusq; esse necessariam, vel *necessitate præcepti*, quasi Dominus Christus omnes suos in peccatum lapsos eâ fungi jusserit; vel *necessitate medij*, quasi nullius peccati remissionem etiam pœnitens, ac contritus fidelis à Deo aliter obtinere queat, nisi id apud sacerdotem fuerit confessus; quod utrumque affirmant vulgo adversarij, sed frustrà, cum neutrum ex divinis Scripturis probare possint, ut satis ex iis patet, quæ à nobis hactenus disputata sunt.

Caput XX.

Refelluntur argumenta à ratione petita. Diluitur prima ratio, à confessionis, ut volunt, antiquitate ducta.

Verum præter petita è divinis litteris testimonia, Bellarminus etiam rationes quasdam attulit, quibus *confirmari ait confessionem suam esse divini juris*. Ac primam quidem ducit à confessionis antiquitate. *Nam quæ sunt* (inquit) *juris humani, ea reperiuntur initium habuisse ex Concilij alicujus œcumenici, aut summi Pontificis decretô; Confessio autem peccatorum in Ecclesia fuit ante omnia Conciliorum, Pontificumve decreta.* Ergo juris est non humani, sed divini. Respondeo primam propositionem non esse universaliter veram. Multa enim sunt humani juris, quæ neque à Concilij neque à Pontificis ullius decretô initium habuerunt; sed ab usu & consuetudine: quâ paulatim invalescente, tandem ne spernerentur vel Synodalibus, vel Episcopalibus decretis satis longô post primos exortus tempore sancita sunt; ut ex quadragesimâ, aliisque statis jejuniis apparet; & ex Paschæ aliorumque præcipuorum festorum observatione, quæ tametsi apud Christianos ante ulla synodorum aut Pontificum decreta, in usu fuisse reperiantur, non ideo tamen divini juris esse, censenda sunt. Quam multa scimus in civitatibus & regnis, nulla certa lege primùm instituta, usu ac consuetudine paulatim invaluisse, ut jam non minori cum curâ ac religione observentur, quàm quæ vel sanctissimis Principum edictis, atque jussionibus constituta sunt? Cur non idem in Ecclesiâ Christianâ contingere potuit? ut

ubi supr. c. 11.

pauco-

paucorum primo, mox plurium usu quædam neque ab Apostolis, neque ab iis, quos ipsi ordinaverant, tradita in Ecclesiam paulatim inveherentur? eáque vel quod ubique fere recepta loco movere & difficile esset, & periculosum, vel quod utilia esse visa sint, posterorum decretis atque authoritate publicè commendarentur ac præciperentur? Illud quidem certè negari non potest antiquissimi Christianismi temporibus, multò ante Concilium Nicænum, easque omnes Synodos, quarum canones in universalis Ecclesiæ codice habentur, usu receptum apud Christianos fuisse, ut Eucharistia etiam infantibus baptizatis administraretur, quod constat ex Cypriano; eamque consuetudinem Augustini, & Innocentij sæculo vehementer probatam, & ab omnibus admissam, diutissimè, etiam in Occidente ultra decimum sæculum servatam, tandem, sed serò, exstinctam esse. Atqui hunc usum divini juris fuisse nemo, opinor, tam stultus est, qui contendere velit. Falsa ergo est illa Bellarmini propositio, ex quâ id tamen, si ea valeret, necessariò consequens esset. Itaque si, quod assumit adversarius, id ego concederem, *confessionem* (qualem isti scilicet defendunt, *auricularem, sacramentalem* absoluteque *necessariam*) ante omnia Conciliorum, aut Episcoporum decreta in Ecclesiæ Christianæ usu fuisse, responderem non ideò tamen legitimè concludi eam divini juris esse: quod nimirum fieri potuerit, ut ea perinde ac infantium Eucharistia, licet neque à Christo instituta, neque ab Apostolis tradita, solo quorundam usu, atque consuetudine commendata paulatim ab omnibus reciperetur. Atque hac ipsa solutione jampridem usus est Ioannes Major contra eandem Bellarminianam rationem à Scotô pro confessione allatam. Cum enim Scotus eam contra Glossatoris sententiam juris esse non humani sed divini inde argueret, *quod non inveniatur, ubi ab Ecclesia imponatur istud* confessionis scilicet jugum, *quin ante reputaretur hoc de confessione preceptum obligare*; Ioannes Major doctè certè, & acutè, *Sed huic* (inquit) *obiicitur, nescis ostendere, ubi primò introductum est jejunium quadragesimæ, nec ubi Sabbatum diei Dominico cessit, & tamen sunt de jure Ecclesiæ*, id est ut liquet, humano. Sed & secundò nego verè à Bellarmino assumptum esse *confessionem*, Innocentianam nimirum (de eâ enim solâ controvertitur) in Ecclesia fuisse ante omnia Conciliorum, Pontificumque decreta & quidem jam inde ab Irenæi temporibus. Id verò quàm falsum sit, nos infrà luculentè cum bonô Deo demonstrabimus; quo locô disquiremus, quid veteres Christiani de toto hoc confessionis negotiô senserint. Nunc ad reliquas Bellarmini rationes pergamus.

Cap. xx.

in 4.d. 17.q. 1. can. 5.

CAPUT XXI.

Refellitur secunda à Bellarmino allata pro auriculari confessione ratio; ab ejus difficultate petita.

SECUNDA (inquit) *sumitur à difficultate confessionis. Nam si qua res est in Ecclesia Catholicâ, quæ gravis ac difficilis videatur, sine dubitatione ulla confessio est. Quid enim molestius, quid onerosius, quàm ut cogantur etiam Viri Principes regesque potentissimi, Sacerdotibus, qui & ipsi homines sunt, peccata sua omnia detegere, quamvis arcana, quamvis turpia, quamvis pudenda, quamvis horrorem ipsi etiam pœnitenti afferentia? & eorundem sacerdotum judicio stare, ac mulctam ab iis injunctam subire? Tanta profectò hujus rei difficultas est, ut nullo modo credibile sit, aut Ecclesiæ præsides ausuros fuisse legem hujusmodi ferre, aut populus persuaderi potuisse, ut ejusmodi legem acciperent, & tot jam seculis observarent nisi divinum imperium, divina institutio, divina promissio, accessissent. Igitur divina fuit authoritas, quæ ad obedientiam in confessione faciendâ populorum animos inclinavit, divina promissio. quæ eosdem, ut libenter ad confessionem accederent, invitavit.* Hæc Bellarminus, bellè sanè, ac astutè declamitat, quæ antequam solvo, moneo lectorem hanc ipsam esse rationem, quam Scotus maximè probabilem judicavit; quamque Clavasinus, ut supra diximus, cæteris *meliorem* esse scripsit. Scotus enim hæc habet, *si tertium membrum teneatur, scilicet quod confessio non cadit, nisi sub præcepto Ecclesiæ, non faciliter potest improbari. nisi quia vel Ecclesia non attentasset tam arduum præceptum imponere omnibus Christianis, nisi esset præceptum divinum: vel quia non invenitur, ubi ab Ecclesia imponatur istud, quin ante scilicet reputarent hoc præceptum de confessione obligare.* In his Scoti vides duas priores Bellarmini rationes; quarum hanc, quæ à Scotô secunda, à Bellarmino prima posita est, jam solvimus. Gabriel eadem ferè habet, quæ Scotus; *Non videtur* (inquit) *quod Ecclesia tam onerosum & arduum præceptum imponeret omnibus Christianis contra illud Matth. 11. jugum meum suave est, & onus meum leve) nisi esset præceptum divinum.* Et mox: *Quanti autem oneris, ac servitutis sit humanæ infirmitati secreta sui cordis manifestare contra se ipsum simili mortali, non sine vitæ suæ periculo, quis ignorat?* Sed & Ioannes Major eandem rationem in hac quoque disputatione adhibuit. Nunc ergo videamus, quam illa vim habeat; quæ à cum Bellarmino multo, quàm ab aliis luculentius explicata fuerit, ad ea quæ ab ipsô allata sunt, potissimum attendemus. Respondemus ergo, quod ille imprimis assumit, *non esse*

Summa Aug Confessio
Scot. in 4. d. 17. q. un. §. Et si tertium.

in 4. d. 17. q. 1. §. sed contrahaham.

In 4 d. 17 q. 1. 3. concl.

esse credibile rem difficilem Ecclesiæ præsides vel imponere ausos vel populis persuasuros fuisse, nisi eadem divini juris esset, respondemus inquam id non modo non certum, neque evidens, sed ne probabile quidem esse. Nam quod ad præsides attinet, quis non videt, quam multa illi hominum subjectorum conscientiis imposuerint, quæ divini juris nulla fuerunt? Quis nescit Ethnicorum sacerdotes suis populis multa gravissima præcepisse? multa furilia & ab omni ratione aliena? Liberos idolis mactare, & vivos in ignem mittere multò est, quàm peccata homini confiteri, gravius. Et hunc tamen tam crudelem, tamque intolerabilem ac nefandum ritum Pœnorum & Carthaginensium sacerdotes præcepisse ac instituisse apud suos scimus. Ac ne illa nimis longinqua memorem, notum est Mahumedem suis Arabibus mandare ausum, ut & præputia circumciderent, & à vini potu in perpetuum abstinerent, quod utrumque cùm grave, ac molestum sit, neque divini juris, suis tamen omnibus longè, lateque persuasit. Denique ne plura afferam, notum est ex Evangelio Pharisæos olim *Alligasse onera gravia, & importabilia, & imposuisse in humeros hominum*; quæ tamen nemo, credo, divini ideò juris fuisse concluserit, contra disertam Christi vocem Pharisæis identidem exprobrantis, quod *doctrinas & mandata hominum docerent*. Non ergo si *confessionis* iugum grave ac difficile est, eò fit, ut neminem id populis imponere ausurum fuisse credamus. Iam quod ad ipsos populos attinet, illud quidem fortasse concedi potest nunquam eos gravia, ac difficilia onera subituros fuisse, nisi ea divinâ aliqua authoritate sibi imponi putassent. Nulla autem eos credere sibi divino imperio, ac jussu imponi, nisi quæ eadem divini reverâ sunt juris, quis sanus concesserit? Atqui divinitus præcipi & illa infanda Carthaginenses olim, & hæc tristia & gravia nunc Mahumedani, & *onera importabilia* Iudæi sibi persuasuaserunt: quæ constattamen omnia humana, imo pleraque, ne humani quidem, sed Diabolici potius esse instituti. Cum ergo & hominum credulitas facilè quæ humana sunt, pro divinis accipiat, & quæ semel divina esse animis præcepimus, ea utcunque difficilia sint, libenter subeamus; unde illud est impij Poetæ, tametsi in genere falsissimum, de superstitione tamen, falsáque religione verissimum,

Cap. xxi.

Matth. 23. 4.

Matth. 15. 9. Marc. 7. 7.

Tantum religio potuit suadere malorum!

Mirandum non est, quod confessionis jugum, quantumvis per se durum, ac grave, non detrectarint homines falsò quidem, sed tamen persuasi id à Deo cœlitus esse institutum. Ac licet tum Dei ipsius naturam, tum illam à Biele obiter memoratam, Christi vocem, *Iugum meum suave est*, attendentibus morosa omnis & affectata rerum præceptarum difficultas,

Cap. xxi. cultas, meritò suspecta esse debeat, tamen ex communi & omnibus hominibus pœnè innato errore, planè aliter accidit, ut rerum ipsarum difficultas, ac gravitas religionis instituta potius commendet, quam dehonestet; nosque magis ad ea alliciat; quam ab iis deterreat. Vnde & Paulus noster sapientissimè, ac planè divinitus inter eos colores quibus fucatæ pseudo-Apostolorum doctrinæ hominibus vulgo placebant, honestaque, licet falsa, sapientiæ specie imponebant, τὴν τοῦ σώματος ἀφειδίαν diserte recenset, *quod corpori non parcerent*, neque carnis nllam rationem haberent, sed eam duriter ac inhumanè tractarent. Nimirum plærique omnes naturâ superstitiosi sunt; deique numen ex suô ingenio metientes, eorum, à quibus læsus est, labore, ærumnis, ac suppliciô lætari eum putant, eò facile pro divinis inventis habent, quæ peccatores deiiciunt ac sub jugum mittunt. Quô & illud accedit, quod quæ difficilia sunt eadem omnes ferè præclara, ac suprà humanum ingenium posita esse existimant: Indeque factum est, ut omni memoria horridæ, ac squalidæ, laboriosæque, & immites disciplinæ, non apud Paganos modò, sed etiam apud ipsos Christianos in pretio, & admiratione fuerint, quod vel ex uno hoc seculo satis intelligi potest, quod cum delicatissimum sit, ac in voluptates maximè profusum, dura tamen & horrenda in hoc genere ita amat, ita suspicit, ac divina putat, ut monachorum, & monastica æmulantium omnia plena sint. Ergo ipsam illam confessionis difficultatem, quam nobis adeo magnificè ac inflatis (ut ita dicam) tibiis occinit adversarius, institutum commendasse, eique admirationem ac divinitatis opinionem apud homines conciliasse equidem crediderim, nedum ut ab eô suspiciendô vulgus deterruerit. Nam ut hæc quæ in genere diximus, nunc propius ad confessionis negotium applicemus; quinam quæso isti sunt *præsides*, quos Bellarminus rem tam arduam, tamque gravem, nisi ea divini juris fuisset, imponere ausuros negat? Equidem si doctos, ac juris omnis divini, humanique peritos, si probos ac modestos, quales primis Christianismi temporibus exstitisse non inficior, intelligit; concedam haud facilè fieri potuisse, ut hujusmodi *præsides* rem humani juris pro divinâ, absoluteque necessaria lege lata præceperint, tametsi alioqui & doctis ignorantiam, & probis immodestiam ex humana aliquâ vel infirmitate, vel perturbatione nonnunquam obrepere nimis notum sit. Verum nos quidem de talibus non pugnamus; qui Romanæ Confessionis jugum veteribus ignotum fuisse & nunc affirmamus & clarè, ut spero, postea demonstrabimus. Sin de iis Romæ Pontificibus Bellarminus loquitur, qui his quatuor aut quinque retrò seculis sederunt, quosque nos diræ hujus confitendi necessitatis auctores fuisse, ac institutores putamus; frustrà ac ridiculè obiicit incredibile esse eos rem hujus-

Col. 2. 23

huiusmodi, nisi ea divini juris esset, lege latâ omnibus imposituros. CAP.XXI.
Primò enim plærique, publica miserrimorum temporum calamitate, rudes, jurisque divini imperitissimi fuere, ut facile fuerit eos rem, & aliqua utilitatis specie, & multorum neque ignobilium in Ecclesia virorum usu commendatam, adhæc suis commodis, suoque imperio admodum conducibilem, pro vera divinaque habere, eoque mentis errore in præceps actos, cæteris porrò velut divinam, commendandam atque imponendam putare. Fit enim plerumque, ut nos ea vera esse, quæ cupimus, facile nobis persuadeamus; quæ verò nobis usui esse existimamus, ea ipsa, ut vera sint, ferè cupimus. Sed & ea fuit penè omnium, qui postremis hisce sæculis vixere, Pontificum, & immodestia & potestas, ut nihil ferè sit adeo difficile, quod non isti & animo capere, & aggredi, atque perficere facile potuisse videantur. Bellarminus Principum, & Regum potentissimorum Majestatem hic commemorat; quos scilicet nihil est difficilius, quàm in ordinem cogere. Nihil-ne ergo in istos ausi sunt tui Bellarmine, Pontifices? Atqui vos ipsi summos Monarchas ab iis solio deiectos, pedibusque proculcatos non modo narratis, sed pœnè etiam gloriamini: Et notum est fuisse ex isto numero Hildebrandos, qui non unum aut alterum, sed omnes omninò Christianos principes sibi subiicere ausi sunt: Omnes verò tam sunt modesti, ut pedem quibusvis Christianis, etiam nobilissimis, atque florentissimis, Principibus, veluti totidem mancipiis osculandum porrigant, neque se aliter proh pudor! conveniri aut salutari patiantur. Quid memorem, quid sibi in omnes episcopos, in Synodos, in Ecclesiam universam, Christi Domini sponsam, quid in religionem ac conscientias hominum? quid in ipsas Dei Scripturas iuris, ac potestatis tribuant? ut non erubescant sua decreta pro totidem oraculis, suam fidem pro unica Ecclesiæ normâ, suam sedem pro summo atque ἀνυπευθύνῳ Christi tribunali, se denique ipsos pro Christiani Orbis iudicibus, principibus, Monarchis Ecclesiæque supremis Dominis, ac sponsis venditare? Qui ista *ausi* sunt, non *ausi* fuerint scilicet suæ confessionis jugo fideles submittere? Sed hoc inquit, isti ausi fuerint, populos certè tam indignum jugum passuros fuisse, non sit credibile, nisi divinâ authoritate impositum scivissent. Quos verò, mihi *populos* narras, ô bone? An suæ in Christo libertatis, dominicæque voluntatis conscios? An rerum divinarum peritos? an in Scripturis cœlestibus, unde illa omnis cognitio hauritur, versatos? Ego verò istis fateor etiam vaferrimos ac improbissimos præsides haud facile jugum ullum humanum imponere posse. Sed neque cum huiusmodi essent, primis scilicet temporibus, Christiani, quisquam fuit qui iis confessionis tuæ onus vel imponere tentaverit. Istud sequiorum sæculorum inventum fuit, cum densissima ignorantia orbi toti, velut

Cap. xxi. crassa quædam caligo, aut nox illunis incumberet, cum amotâ Scripturarum & litterarum luce, unum Romæ præsulem paverent, omnia eius dictata, velut Christi ipsius voces, exciperent, tantaque Vaticanum illum, cui iste insidet, verticem veneratione colerent, ut si quis non dico adversari, aut palàm obsistere, sed vel mutire in eum auderet, actum de eius salute boni homines putarent: Nihil igitur mirum, quod quorum erat tam servilis, tamque ad omnia abiecta patientia, ii sibi confessionem à Papa imponi æquis animis passi fuerint, qui ante Lutheri tubam, sic erant animis comparati, ut quod facere à nescio quo Abbate olim dictum fuisse accepimus, etiam fœnum si iussisset Papa esturi fuisse videantur. Huc accedebant varii colores, variæque artes, quibus res per se absurda, ac dura, fucabatur, ac molliebatur apud incautos, & instituto humano aliqua divinitatis species conciliabatur. Affirmabant enim ii, quibus de omnibus simpliciter habebatur fides, *confessionem* à Christo institutam, ab Apostolis traditam, & ab omni retrò Ecclesia usurpatam ac observatam fuisse. Multa in medium afferebant, tum è Scripturis, tum ex Patribus, quæ per se vana, facile tamen credulis, & una Pontificum authoritate nitentibus animis inani veri specie imponebant, qualia illa sunt quæ nuper de Scripturarum penu obiecta expendimus, quæque mox è Patrum monumentis deprompta dissolvemus. Ad hæc illa utilitatis, quam mox Bellarminus afferet, honesta species obtendebatur, & ficta ostenta, atque prodigia obiiciebantur, ut difficile esset, etiam suspicacibus & eruditis ingeniis, nedum credulis & rudibus, fraudem olfacere, & verum liquido ab umbris secernere. Denique duo potentissimi mentium humanarum stimuli admovebantur, spes & metus. Nam unà quidem ex parte quorumvis scelerum, ac flagitiorũ reis venia ac impunitas cõfitentibus promittebatur, non confitentibus etiã levissimorum delictorũ certa, & inexpiabilis pœna intentabatur, ut illa taceam, quæ id officij vel aspernantes, vel observantes, etiam apud ipsos homines consequebantur: Illi nimirum infames erant, atque intestabiles, vivique à sacris, & ipso Ecclesiarum aditu arcebantur; mortui Christianâ sepulturâ privabantur, quod ex Innocentiô, primo huius legislatore audivimus. Contrà qui confessionem sedulo frequentabant, hi in pretio erant, soli Catholici, soli Christiani audiebant. Quis igitur miretur populos tot modis deceptos, hinc amplissima spe tractos, illinc dirô metu territos, rem licet non divinam, pro divinâ habuisse, & jugum per se quidem durum, & immane, cæterum multiplici arte, ac fuco commendatum, admisisse? Huc postremò accedit, quod neque tanta est, quantam Bellarminus fingit, Romanæ confessionis difficultas. *Quid* (inquit) ***molestius, atque onerosius, quàm ut cogantur viri principes, regesque potentissimi, sacerdotibus, qui & ipsi homines sunt, peccata sua omnia de-***

nia detegere, & eorum judicio stare, ac mulctam eis injunctam subire? CAP. XXI.
Duo sunt, ut intelligo, quæ gravia in hoc negotiô videntur; *subjectio & pudor.* Nam cuivis homini nedum Principi, aut regi, durum & insuave est, se alteri homuncioni, etiam haud rarò deteriori, summittere, anteque eum procumbere, & ab ejus tanquam judicis, ôre, de se suisque fortunis sententiam exspectare. Enimverò rem per se gravem levat, ac mitigat Dei respectus, cujus hic, quantumvis despectus homuncio, vices fungi putatur; ita ut non ipsi, sed Deo omnis hic honos delatus existimetur. Vt in vita communi nemo vel sibi ipsi vel alij contumeliæ ducit, quod Regis potentissimi legato decesserit, aut se submiserit, qualiscumque de cæterô legati persona fuerit; quod scilicet non ipsi propriè, sed Regi, cujus ille legatus est, id quicquid est officij, exhibitum fuisse intelligitur. Cum ergo summa sit Dei Optimi Maximi in omnes majestas, ac potestas, eique nemo quantumvis excelsus, accidere, ac sese subiicere, turpe, aut indecorum putet, eò fit, ut ne reges quidem, aut monarchæ potentissimi quicquam sibi de dignitate, ac existimatione decedere existiment, si *confessario*, etiam abjectissimo, tantum honoris deferant; quod sciant omnes intelligere, id à se non homini, sed Deo tribui, cujus homo legatus, ac Vicarius in toto hoc negotiô habetur. Iam & illud concedo, nisi quis sit summe impudens, grave omninò ac molestum esse, sua crimina, etiam maxime pudenda, & quæ latere ipso naturæ sensu omnes fere cupimus, ea alij nudare, ac revelare. Sed & huic ingentio nobis à natura pudori, atque timori diligentissime ab istis cautum ac consultum est. Nam cum non aliud in hac criminum confessione extimescant homines, nisi hoc unum, ne sibi peccata, si ad aliorum cognitionem dimanent, vel pœnam, vel certe infamiam & opprobrium arcessant, ita confessionis suæ mysterium undique clauserunt, ac muniverunt adversarii, ut nihil huiusmodi ab eâ timere quisquam vel debeat, vel possit: quod Bellarminus in hoc ipsô opere disertissime profitetur, dum scribit; *publicationem & improperium longe à sua confessione abesse.* Illi enim, ut notum est, quodam taciturnitatis, ac silentij (ut vocant) sigillô, tam sacrô, tamque horribili, rem hanc omnem obsignarunt, ut quicquam ex iis, quæ confessarius à confitente didicit, efferri aut prodi immane nefas putent; adeò ut nullâ lege, nullo periculo sigillum hoc resignari vel posse, vel debere pronuntient; non *si agatur totius orbis salus*, non *si ipsius pœnitentis utilitas*, non *si cujusvis innocentis conservatio*, non *si totius orbis conflagratio*, *non si religionis & sacramentorum omnium perversio, non denique si ipsius Christi in terris versantis, nedum ullius principis, aut Monarchæ vita atque incolumitas.* Quæ cum ita se habeant, omnes vident crimen sacerdoti confiteri tantundem esse, acsi nemini id mortalium confiteatis; nullum adeò vel pœnæ

L. 3 de pœn. c. 10. §. sed non potest.

Henric. Henriq. summ. Theol. Mor. L. 6. de pœnit. L. 3. cap. 9. §. 52.

Cap. xxi. vel opprobrii, aut infamiæ metum subesse: quo cum unò maxime pudor omnis humanus contineatur, & à revelandis arcanis flagitiis deterreatur, apparet in hac istorum confessione nihil fere inesse, quod hominum pudori grave ac molestum videri debeat, & verò si quid supersit, id confessarij arte imminui, variis illecebris peccatorem ex illis (ut sic dicam) verecundiæ latebris educentis, & proposita remissionis spe facile superari. Ex quibus liquet omnem illam *confessionariæ difficultatis* obiectam à Bellarmino larvam, licet primâ fronte horribilem, nihil aliud esse, quam inane spectrum, ac terriculamentum, in quo si cominus spectes, nihil propemodum grave, aut molestum deprehendes. Ergo, ut rem in pauca conferam, neque hæc difficultas, quæ vel nulla vel certè admodum exigua est, quicquam conficit, neque si quicquam conficeret, id conficeret, quod vult adversarius, confessionem scilicet esse divini juris; sed id tantum quod nos ultro concedimus, eam *divini juris* esse, & qui imposuerunt jactasse, & qui susceperunt, credidisse, falsò utrosque, & vel improbe, vel certè imperitè; ut ex iis constat, quæ de Scripturis nuper diximus.

CAPUT

Caput XXII.

Expenditur tertia ratio Bellarminiana; à multiplici confessionis auricularis utilitate ducta, tum in iis quæ ad Deum spectant, tum in iis quæ ad Pastores, & ad Ecclesiam totam, & ad singulos confitentes pertinent. Ostenditur hos usus vel vanos esse vel alienos, quin & confessionem periculosam, ac damnosam esse.

DEinceps ergo de ea utilitate dicamus, quæ confessioni tribuitur. Hinc enim tertiam rationem ducit Bellarminus, *quod* (inquit) *confessio tot pariat utilitates, ut planè divino consilio instituta videri possit, etiamsi id ita esse non aliundè constaret. Nam sive Deum consideremus, sive sacerdotes, qui Dei authoritate Ecclesiam regunt, sive Ecclesiam ipsam Vniversam, sive fideles singulos, undique insignis confessionis utilitas se ostendit. Elucet inprimis in hoc opere admirabilis Dei misericordia, qui confessionem non extorquet more judicum hujus sæculi, ut confessos damnet, sed potiùs instar medici, ut patefacta vulnera continuò sanet. Elucet nihilominus etiam justitia, quæ superbiam peccatoris confessionis humilitate comprimit, & eos qui turpia impudenter admiserunt, confessionis ruborem tolerare voluit. Ad pastores animarum magna utilitas redit, dum per confessionem morbos ovium suarum intelligunt, & eô modô tum singulis seorsim convenientia remedia adhibere possunt; tum in publicis concionibus generatim ea vitia potissimum reprehendere, quibus gregem suum generatim obnoxium esse sciunt. Ad Ecclesiam Vniversam, atque ad ipsam rempublicam, multiplex utilitas ex confessione accedit. Multa enim, quæ per judices, in externo foro emendari nunquam potuissent, nullo negotiô per sacerdotes in foro conscientiæ emendantur, dum restituuntur ablata, dimittuntur injuriæ, conciliantur paces, dissolvuntur contractus injusti, dissociantur malè icta fœdera, aliaque id genus plurima privatim perficiuntur, ex quibus scandala publica removentur, & pax, ac tranquillitas Reipubl. redditur. Sed præcipua utilitas eorum est, qui confessionem integrè, sicut oportet, & fideliter obeunt. Nam ut omittam, quod eis peccata remittuntur, & in gratiam cum Deo redeunt, qui est communis fructus omnium sacramentorum, referunt ii, si volunt, ex confessione, consilium, instructionem, consolationem, animæ quietem ob præterita, remedium contra futura: Ille ipse rubor, quem inter confitendum patimur, & pars quædam est satisfactionis pro admissu, & frænum cohibens ne deinceps talia ad-*

L. 3. de pœnit. c. 11. §. Tertia ratio.

CAP. XXII. *mittantur. Et denique perexigua confusione, quam coram uno ex conser-*
vis nostris patimur dum illi peccata nostra detegimus, redimimus ingentem il-
lam confusionem, quam alioqui in die judicij coram omnibus Angelis, & ho-
minibus pateremur quando juxta Apostolum 1. *Corinth.* 4. *illuminabuntur*
abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium. Atque hæc
quidem Bellarminus. Egò verò de hac ejus ratione primum in genere
dicam; mox singulas ejus partes expendam. Quam ergo futilis sit
hæc ratio, vel ipsæ Bellarmini voces docent, qui confessionem à Deo
institutam ex eâ non *demonstrari* ait, sed *videri posse*. Atqui *rem esse,*
atque *ita habere.* conficit vera ratio;. *vid ri posse*, etiam dialectica, sive
probabilis, etiam *sophistica*, id est *falsa* & *inanis* ratio efficit. Et sanè me-
ritò de hac suâ ratione ita dilute loquitur adversarius, quæ reverâ ina-
nis est, & sophistica. Non enim Deus ea, quæ nos, qui sæpius falli-
mur, utilia esse judicamus in religione instituit, sed quæ ipse pro sum-
mâ suâ sapientiâ verè utilia esse novit. Nobis verò interdum; etiam
quæ noxia sunt, utilia esse videntur. De iis ergo, quæ divini sunt ju-
ris ac instituti ex ipsius Dei clara. & testata in sacris litteris voluntate,
non autem (quod periculosum est, & fallax) ex nostra opinione judi-
Col. 2. candum est. Illa Angelorum Θρησκεία, & à certis cibis abstinentia
quam ipsis Apostolorum temporibus Pseudo-Apostoli invehebant,
suas habebat utilitates, quod animum deiicere, carnemque domare
ac macerare videbatur; neque id negat, sed ultrò concedit Paulus.
L. de jejun. c. 11. & passim. Montani de jejuniis, ac Xerophagiis leges suos item habuisse ad pie-
tatem usus jactat Tertullianus. Neque tamen vel Paulus Pseud-Aposto-
lorum, vel Ecclesia Catholica Montani disciplinas à Deo institutas fuis-
se concedunt. Eucharistiam infantibus baptizatis dari non tantum uti-
le, sed etiam necessarium Augustino visum est. Publicæ veteris pœni-
tentiæ exomologeses quin magni fuerint usus, vix dubitari potest. Cer-
te quo tempore istæ obtinebant, Christianorum mores multò castiga-
tiores, ac meliores fuisse. quàm nunc sunt, cum obtinet privatæ confes-
sionis disciplina, nemo nisi impudens, negaverit. Non tamen vel vete-
rum exomologeses, vel Eucharistiæ infantibus dandæ consuetudinem
divini juris fuisse, concedunt adversarij Ergo neque ipsi contendere
vel possunt, vel debent efficacem esse hanc Bellarmini rationem, quæ
confessionem divini juris esse inde concludit, quod ea sit utilis. Sed &
hinc apparet nihil istam rationem valere, quod si valeret, concluderet,
confessionem à Deo tum sub naturæ, tum sub Moysis lege institui de-
buisse. Nam & divinam misericordiam, ac justitiam patefieri, & popu-
lorum præsides ovium morbos curare; & ab Ecclesia, & republicâ scan-
dala removeri, pacemq; in iis, ac tranquillitatem foveri. & singulos fideles
peccatorum remissionem à Deo, à Pastoribus consilium, instructionem,
consolationem, auxiliũ, &c. obtinere, non istis temporibus minùs, quàm
nunc,

nunc erat necessarium. Itaque si isti confessionis usus efficiunt, ut ea sit à Deo instituta, conficiunt profectò ut ea quoque Naturæ, legisque temporibus fuerit à Domino instituta; Atqui non fuisse tum à Deo, sed longe postea à Christo resuscitatô institutam adversarij docent. Ergo necesse est fateri neque nunc quidem divinitus institutam concludi ex istis, quæ ei tribuuntur, utilitatibus. Nam si Ecclesiæ isti à Bellarmino commemorati usus per quatuor ferè annorum millia sacramentali illa confessione carenti minime tamen defuerunt; quis non videt, neque nunc eosdem Ecclesiæ futuros, etiamsi confessione illa caruerit? neque adeò eam divitus nunc institutam fuisse inde concludi, quod istas utilitates continere dicatur? Atque hæc quidem in genere dicta satis sunt ad evertendam Bellarminianam rationem: Sed nequid tamen desideretur, quod illas suæ confessionis utilitates jactent adversarii, eas nunc sigillatim expendamus. Quô locô est inprimis observandum, ut ab iis ducta à Bellarmino ratio aliquam habeat probabilitatis speciem, necessario *supponendum* esse (ut vulgo in scholis loquuntur) eos, qui confessioni tribuuntur, usus, esse hujusmodi, qui & ad salutem obtinendam requirantur, & aliundè, quàm ex confessione haberi nequeant. Nam si ii vel ad salutem non requiruntur, vel aliundè, satis haberi possunt, nemo non videt ex eô, quod *confessio* hujusmodi usus contineat, minimè sequi, ut eam diuinitus institutam fuisse credamus. Prima *confessionis* utilitas erat, quod per eam elucet Dei in remittendo peccato misericordia, & justitia; illa, dum Deus peccata confitentis non punit, ut judices sæculi, sed sanat, ut medici; hæc, dum superbia peccatoris confessionis humilitate comprimitur, sed si valet hinc ducta ratio; Ergo debuit *confessio* in baptismo quoque & in venialium remissione adhiberi, in quibus misericordiam quoque & justitiam divinam elucere necesse est. Atqui non adhibetur, & sine eâ in utraque remissione nihilosecius patefit, utraque Dei illa virtus; Ergo neque confessionem in cæteris adhiberi necesse est, ad hocquidem ut Dei tum misericordia, tum justitia elucescat. Tum totum hunc usum ex interiori, quæ soli Deo fit, confessione haberi clarum est; nisi quis putet, aut eum, qui peccata apud Deum confitetur, nullo pudore, ac rubore suffundi debere, aut cui peccata apud Deum, unum confesso remittuntur, eum divinam misericordiam minùs experiri, quam quis apud hominem insuper confessus idem beneficium obtinuit. Certè uni medico, cui Deum Adversarius in hoc negotiô comparat, ægrotus morbum aperire cogitur, non etiam alii. Tertiò, *Sacramentali* istorum *confessione* Dei & *Misericordiam* & *Iustitiam*, non quod isti volunt, *elucessere ac manifestari*, sed *obscurari* contendo. Ac *misericordiam* quidem, eò quod nulli ea patere fingitur, quantumvis contrito, nisi qui peccata minutatim apud hominé confessus fuerit. Nam nemo non videt luculentius misericordiæ specimen, esse peccatum contrito, & apud te unum confitenti remittere, quam hoc etiam exigere, ut is peccatum

CAP. XXII. apud hominem præterea confiteatur; Neque de *justitiá* res est obscurior. Quod enim fingunt justitiæ divinæ in confessione suâ specimen, id reverâ justitiæ, nnn specimen est, sed merum ludibrium. Quis enim judicis alicuius *justitiam* ex eô elucescere dixerit, quod hanc gravissimis criminibus pœnam statuat, ut ea reus uni homini in aurem confiteatur, & quidem hac lege, ne quæ ille à sonte audivit cuiqnam ea mortalium revelet? Ludere verò istum, potius quam justitiam exercere nemo non putaverit. Non ergo utilis, sed planè noxia & pestilens est istorum confessio, quæ talia de Deo miseris hominibus persuadet ludibria, eorumq; adeò animos stultâ, & ridiculâ superbia inflat, velut crimen suum apud unum hominem confitendo verè, atque ex jure alicui divinæ justitiæ parti satisfecerint. Itaque hæc ratio *confessionem* istorum *auricularem* non modo à Deo institutam non probat; sed etiam non fuisse à Deo institutam efficit, qui nullius nisi boni, & salutaris, instituti auctor est; cum hanc confessionem noxiam, & pestilentem esse appareat. In sola peccatorum remissione Evangelicâ Dei misericordia, ac justitia verè elucet; illa quidem quod sonti gratis, nullô planè acceptô ab eô pretio, & gravissima & omnia crimina pœnitenti remittit; hæc verò quod nullum ei crimen remittit, pro quo non sit ipsi à Domino Christo, vade ac sponsore nostro, non ludicrâ ac joculari satisfactione, sed cruentâ & infiniti pretij morte in cruce satisfactum. Hæc vero demum unaque ratio est, quâ admirabile illud divinæ justitiæ misericordiæque in salute nostra temperamentum clarissime elucet.

Altera confessionis utilitas Bellarmino erat, quod per eam Ecclesiæ præsides ovium suarum morbos accuratè intelligunt, ut & singulis seorsim, & omnibus universim remedinm adhibere possint, ea vitia, quibus gregem maxime laborare sciunt, in publicis concionibus potissimum infectando. Sed primò ille nobis nimium secure illudit, dum hæc fingit. Notum enim est apud istos, qui ad plebem concionantur plerumque alios esse ab iis, qui confessiones audiunt; nihil adeo illis prodesse, quod hi de maximè communibus plebis vitiis per confessionem resciverunt. Tum nego requiri, ut Pastores ovium suarum peccata omnia sigillatim teneant, quo iis congruam medicinam adhibere possint. Non minus quam nunc hoc olim erat sub Veteri Testamento pastorum officium; quibus tamen temporibus nullam fuisse sacramentalem confessionem institutam etiam ipsi concedunt. Neque sanè Paulus dum explicat, quomodo sibi à Deo impositum pascendi munus ad Ephesios gesserit ait se scrutatum esse quid, & quoties, & ubi quisque eorum deliquisset, vel adseruenda hujusmodi arcana mysticæ confessionis fidiculas

Act. 20. 20. 21. cuiquam admovisse. Ait *tantum se nihil subtraxisse utilium, quo minus annunciaret iis, & doceret eos publicè & per domos testificando Iudæis, atque Gentilibus in Deum pænitentiam & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum*; Sed morbos quis (inquit) ignotos curare valebit? Quasi non in baptismo

baptiſmo miniſtri ſibi ignota peccata quotidie remittant; eoſque planè ſanent quorum morbos ſigillatim neſciunt. Deus quidem, qui unus totius hujus medicinæ verus autor eſt, perſpecta & explorata habet omnia peccatorum mala, Paſtorem, qui Dei miniſter eſt, ſatis eſt ad hoc ut partes ſuas tueatur, in genere ſcire ovium ſuarum & morbos, & potiſſimum pœnitentiam. Iam ſi gregi ſibi commiſſo fideliter, ac ſtudioſè attendat, fieri non poteſt, ut eum vitia, ſi qua in grege graſſentur, lateant; cum ſint, quod præclarè dixit Paulus, *manifeſta carnis opera*. Quod ſiquis ſit, cui paſtore priuatim conſultô opus ſit, nemo accedere prohibet, & eum eô de morbo ſuo deque remediis ad eum curandū neceſſariis, quantum ſatis eſt, communicare; neque ad id neceſſe erat confeſſionis ſacramentalis jugum omnibus imponere. Denique ſi Paſtor ut gregis morbos curet, omnia ſingulorum peccata particulatim cognoſcere debet; certè & proprias omnium ærumnas, jacturas, ſingula poſtremò adverſa ſcire minutatim debebit: ut ſcilicet eos conſolari poſſit, quod ad ejus munus, non minus quam peccatorum medicina pertinet. Ergo & hujus generis confeſſio à Deo inſtitui debuit, in qua ſcilicet paſtori ſua quiſque adverſa, ſub mortis æternæ pœnâ, narrare, ac exponere ſigillatim debeat; ne hac ille cognitione ſibi ad officium faciendum neceſſariâ careat. Quod ſi hoc abſurdum eſſe concedant, profectò clarum eſt nullam majorem veri ſpeciem habere illud ipſorum de ſingulôrum peccatorum confeſſione figmentum. Breviter cum Paſtoribus ſatis eſſe cujuſque peccata in genere cognoſcere & ad communem medicinam, quæ publicè concionando adhibetur omnes norint, & ad privatam, qua ſingulis remiſſio peccatorum confertur, nos ſuprà oſtenderimus; apparet nullum aut perexiguum eſſe hujus ſpecialis, quæ per confeſſionem quæritur, cognitionis uſum; ut ob eum neceſſe fuerit iſtud tormentum omnibus & ſingulis imponi. Sed ſi quis rem attentius conſideret, deprehendet Paſtoribus non modò non utilem, verum etiam noxiam ac periculoſam eſſe hujuſmodi accuratam ſingulorum peccatorum confeſſionem. Primò enim cum & recta ratio & ipſe naturæ ſenſus doceat, & Paulus disertè admoneat turpia omnia, ac inhoneſta, qualis eſt *fornicatio & immunditia* aut *avaritia* cætera ejus generis procul à mente, memoria, ac ſenſibus honeſtorum, ac ſanctorum eſſe debere, ſic ut inter eos ne nominentur quidem; quis non videt, quàm turpe, ac indecorum, indignumque ſit non unum modo aliquem, ſed omnes omninò gregis cujuſque viros, ac mulieres ſigillatim ſua quemque dedecora, flagitia, & ſcelera cum omnibus eorum circumſtantiis apud gregis præſidem recitare, ac enarrare? & quorum quicquam à quoquam honeſtô audiri fas non eſt, ea univerſa in paſtoris aures, quas imprimis verecundas, ac ſanctas eſſe decet, quotidie deponi ac immitti, velut in communem totius Eccleſiæ ſentinam, aut cloacam? Vix quicquam poteſt fingi fœdius, aut à miniſtri pudore, ac dignitate magis alienum. Neque eſt quod ſuum illud tra-

Cap. XXIII.

Gal. 5. 19.

Cap. xxii. latitium regerant, non esse flagitium medicum ægroti morbos, quô eos curet, audire, inspicere, ac contrectare. Nam quod sæpe jam negavi, illud etiam nunc nego, necesse esse scilicet ad peccati remissionem, hoc est medicinam, peccatum ipsum à Pastore in specie ac particulatim cognosci. Satis est si reus se peccatorem profiteatur, ac pœnitentem. Medici alia ratio est; qui malum nisi in specie teneat, quod sit ejus ingenium. quæ causa, quæ symptomata, curare non potest, Itaque isti pastorum suorum verecundiam frustra fatigant, eorumque aures infici, tantaque tot sordium colluuie, contaminari gratis, ac sine ullo operæpretio contrà disertum Pauli mandatum volunt. Huc accedit, quod præter aures, linguam quoque ministrorum polluit, hujus confessionis administratio. Cum enim nullum à confitente peccatum omitti velint, irrita alioqui futura confessione, nequid ab eo imprudente omittatur; solent, & certè ex hypothesi debent, pœnitentem de peccatis interrogare, & summa istarum impuritatum capita enarrare, imò etiam ubi cum crassis ac rudibus res est, describere. Quod in genere horrenda est multorum ex istis diligentia, qui nullum pretermittunt tam arcanum flagitium, quod non prodant, nullum tam obscœnum, at nefarium, quod non explicent. Quin & eò processit turpis quorundam sedulitas, ut quædam inhonesta, ac infanda, quibus publicus pudor, nulla in communi hominum sermone, nomina imposuerat, longo verborum ambitu describere, ipsi ne ignota essent, non dubitarent: qualia sunt illa Burchardi,

L.19.decret. fane spurcissima, *Fecisti quod quædam mulieres facere solent*; & cætera, quæ me neque meus, neque lectoris pudor recitare patitur. Neque verò honestiora sunt, quæ Iesuita Sanctius & alii flagitiosissima subtilitate de hoc argumentô etiam in libris publicè editis agitarunt. Quid autem Christi ministro gravius accidere potest, quàm ut linguam divinæ veritati, & laudi consecratam in iis vel memorandis vel describendis contaminet, quæ etiam profligati pudoris homines vix eloqui ausint? Paulus vetat

Eph.4.29. ne cujusquam ex ore Christiani *sermo malus procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*. Si hæc Christiano cuilibet præstanda sunt, quanto magis Pastoribus: quorum os sibi Dominus peculariter ad gravia, honesta, ac *bona* verba depositum ac dedicatum esse voluit? Sed & illud præterea hæc confessio habet incommodi, quod cùm colloquia huiusmodi mores suapte naturâ inficiant, phantasiam ac memoriam turpibus & improbis imaginibus repleant, affectus pravos excitent, mentem ipsam interdum pervertant: sæpe contingit, certè (quæ humani ingenij est infirmitas) contingere potest, ut ea vitium aliquod confessariis offerant. Notum est, quàm ad polluendum animum vim habet obscœnarum, & inhonestarum vel Scripturarum lectio vel picturarum aspectus; His auditus multo etiam est ad vitiandum animum potentior. Primò qui tam multas sordes assiduè audit, ac pœnè contrectat, paulatim fit inverecundior; & flagitiosis, ac nefandis segniùs

gnius irritari assuescit. Tum nequitiæ, ac vitiorum exempla, maximè si quid habent singular, movent, ac si non assensum, delectationem interdum eliciunt. Quid occasiones, & opportunitates dicam, quæ ex alienorum peccatorum ac ingeniorum cognitione se offerunt, & sæpe etiam non malos in præceps agunt? Quid auditum: Quid aspectum? quid tutum, & arcanum & crebrò repetitum colloquium? Scio ministrorum Christi præcipuam esse debere gravitatem, ac sanctimoniam. Sed cum & ipsi communis infirmitatis sint consortes, cavere sibi debent, neque se facile tam periculoso negotio dedere. Neque hæc frustra vel à nobis timeri, vel obiici, (ut istorum conscientiam nunc mittam) satis ea docent, quæ in ipsorum libris de hoc argumento leguntur; quale illud est Toleti, ubi *casus* eos recensens, quibus peccatum aliquod in confessione tacere sine noxâ licet hunc inter cæteros commemorat; *commisit quis* (inquit) *peccatum carnale. Probabiliter cognoscit, quod ex illius confessione confessarius peccabit mortaliter (maxime si est fœmina, quæ confitetur) quia nimirum Confessarius illam sollicitabit: debet dissimulare tale peccatum.* Talis etiam est spurcissima illa Caietani quæstio. *Vtrum confessor cognoscens ex his, quæ audit in confessione sequi in seipso emissionem seminis sibi displicentem, peccet mortaliter audiendo, vel prosequendo tales confessiones*, & quæ de ea in utramque partem exquisitissima obscœnitate, disputat. Toletus de his pollutionibus tractans breviter rem definit. *Confessarius* (inquit) *si fortè dum audit confessiones, in tales incidit pollutiones non ob id tenetur non audire alios, nisi sit periculum complacentiæ in pollutione. Tunc enim tenetur, relinquere confessiones & auferre peccati occasionem; secus, non tenetur.* Hæc illi, ex quibus (nam plura afferre & piget & pudet) satis videre est, quam gravi, quamque periculosę tentationi pastores obiiciat hæc istorum confessio. Sed & alio præterea peccati genere, nimirum curiositate ac πολυπραγμοσύνη eos facilè ac tantum non necessariò involuit. Quod enim peccata in omni actionum politicarum & domesticarum genere locum habeant, coguntur isti, ut cuiusque delicta accuratè intelligant, multa audire, non pauca etiam scrutari, quæ ad singulorum negotia, arcanásque curas pertinent; eoque in id incidere, quod & suapte naturâ pravum, ac indecorum est & à Petro disertè in iis quæ à nostris moribus abesse debent, notatum, nimirum τὰ ἀλλότρια ἐπισκοπεῖν *aliena inspicere.* Quod quam turpe sit, ac probrosum, ministroque Evangelico in primis indignum, vel illud Poetæ ostendit, quod plærisque confessariis ad unguem congruit,

Cap. xxii.

Instr. Sacer d. l 3. c 8. § 6.

T I. Opusc. tract. 21.

Instr. Sacr. L 5. c. 13. § 19.

1. Petr 4. 15.

Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.

Denique ne plura congeram, hæc istorum confessio Pastores sæpè in periculosissimos laqueos induit; dum eos scilicet cum reipublicæ magistratibus committit. Nam cum ea crimina, quæ ad salutem principis, ac rei-

Cap.xxii. ac reipublicæ pertinent, cives omnes aversari, atque exhorrescere deceat, omnemque vim, ac industriam conferre, ut de iis, qui talia agitant, supplicium sumatur, quid faciet is Pastor, cui hujus generis scelera aliquis peccator confessus fuerit? Prodet-ne confitentem? At grave est hominem tuam fidem secutum in certissimam perniciem dedere. Servabit-ne arcanum, ut isti jubent? At scelus est, & parricidium ciuitatis salutem unius latronis incolumitati posthabere. Et si te id scivisse postea, quod sæpè fit, intelligatur, magnum in discrimen venies, & toti ordini magnam invidiam, atque infamiam conciliabis. Vnde ut se explicaret notissimus quondam Iesuita, cui se Alartor, optimi, maximique Principis parricida, nefandum hoc concilium in confessione aperuisse dictitabat, coactus est apud judices mentiri se singulari miraculô nihil eorum meminisse quæcunque à confitentibus intellexisset. Quæ techna, ut quivis videt, infamiam & periculum, non tam imminuisset, quàm geminasset, si res acta esset apud judices non jam dico à Christiana religione alienos, sed paulò minus benevolos, istiusque confessariorum ordinis minus amantes. Sed hæc satis sunt, ut quivis intelligat mysticam istorum confessionem Ecclesiæ præsidibus, non (quod ait adversarius) *utilem*, sed noxiam, ac periculosam esse.

Iam ad eas utilitates procedamus, quas iste ex ea ad Ecclesiam ac rempubl. universam redundare affirmat; *quod multa* scilicet, *quæ per judices in externô foro emendari nunquam potuissent, nullo negotio in foro conscientiæ per sacerdotes emendantur, dum restituuntur ablata, dimittuntur injuriæ, conciliantur paces, dissolvuntur contractus injusti, dissociantur malè icta fœdera, aliaque id genus plurima privatim perficiuntur, ex quibus scandala publica removentur, & pax ac tranquillitas reipub redditur.* Hæc ille sanè magnificè, & apud plebem imperitam speciose. Nam si istum audimus, quis non videt nullam unquam sine hoc mysticæ confessionis tribunali fuisse, vel esse potuisse beatam, ac benè sapienterque constitutam, vel Ecclesiam vel Rempublicam? Misera, ac infœlix si isti credis, fuit omnis quæ ante Moysem in mundô; ac post Moysem in Israële ad Christum usque floruit Ecclesia; Miseræ fuerunt non Atheniensium modò, vel Lacedæmoniorum, aut Romanorum, aliorumque Ethnicorum licet admirabilibus præconiis à veteribus laudatæ civitates: sed & ipsa Israëlitarum, quamquam à Deo ipso constituta, atque ordinata respublica, infœlix tamen, mutilaque & ipsa fuit: quæ scilicet omnes beato isto confessariorum tribunali, uno pacis ac tranquillitatis publicæ fundamentô, caruerunt. Neque ego Bellarminum dubitare existimo, quin omnes illæ Græcorum, Romanorumque & Hebræorum famosæ clades inde potissimum ortæ fuerint, quod apud istas gentes nulli olim fuerint confessarii; neque Romæ suæ prospera, in quibus ille alibi triumphat, eaque velut certissimam veræ Ecclesiæ notam jactat, aliò eum referre crediderim, quam quod beata illa civitas confessariis abundat. Ac tametsi difficile sit, putare

tam

tam multos, tamque sapientes ac ingeniosos, vel legislatores, vel rei politicæ autores, tamdiu hoc ingens arcanum potuisse latere, ut per quatuor annorum millia penitus in orbe inauditum fuisse, ac ne Aristotelem quidem, aut Platonem in ideali illa suâ republ. mentionem ejus ullam fecisse ipsi adversarij concedere cogantur; tametsi & illud etiam haud paulò sit incredibilius Deum Optimum Maximum & Patriarchis & dilectissimis Israëlitarum, sive Ecclesiæ sive Reipublicæ tantum bonum, quô scilicet universæ civitatis pax, & salus continetur, tamdiu invidisse; Bellarmino tamen multi fortasse non inviti assentirentur hæc tam præclara de sua confessione declamitanti, nisi experientia, quæ vel stultos veris cedere cogit, rem aliter habere demonstraret. Roma enim verbi gratiâ, vel si qua alia est civitas, in qua confessariorum tribunalia plurimum ferveant, nihilò est iis urbibus ac Reb. publicis beatior, quæ isto tanto (ut adversarij quidem volunt) præsidio carent. Non pauciora, aut minora illic, quàm hic scandala; non pax, non concordia magis viget. Eadem, ubique latrociniorum, furtorum, cædium, stuprorum, ac libidinum grassatur infamia. Ac tametsi magnam esse morum nostrorum labem confitear; ausim tamen spondere, eas civitates apud quas nostra religio obtinet, minus hac in parte laborare; publiceque vitia, ac crimina severius à nostris, quam ab adversariis castigari. Sed hæc quidem inter se accurate contendere nihil opus est. Satis est, quod ne ipsi quidem confessionarij negare possunt suas civitates nostris hactenus minimè præstare. Quod magno argumento est, ad pompam magis, quàm ex verò jactari illas, quas hic Bellarminus explicat, confessionis utilitates. Et sanè ita esse, si rem propius spectaveris, facile deprehendes. Nam confessio apud sceleratos, in peccato obduratos nihil valet, à quibus maximum est paci, ac tranquilitati periculum. Hujusmodi ingenia, non pudore quô carent, non nudis confessariorum minis, aut pollicitationibus, quas pro jocô, ac ludô habent, sed legum, ac magistratuum securibus, ac virgis domanda, atque coërcenda sunt. Fateor aliquam esse confessionis vim in eos homines, qui dociles sunt, ac ingenui. Sed & apud eos non minus valent, tum civitatis leges, tum etiam in Ecclesiâ, & publicæ exhortationes, & privatæ correptiones, quales à Christo Matth. 18. Capite illis verbis institutæ sunt, *Dic Ecclesiæ*, & illa denique arbitraria judicia, de quibus Apostolus in 1. ad Corinth. epist. capite 6. Apud quos hæc disciplina viget, ij ad procurandam publicam, tum civitatis tum Ecclesiæ pacem, scandalaque removenda *confessionem* non desiderabunt. Ergo nulla fuit ratio, cur Deus, qui & in civitatibus leges, magistratusque, & in Ecclesiâ disciplinam instituit, confessionis insuper jugum Christianis omnibus imponeret. Sed etsi penitius rem introspiciamus, reperiemus id institutum utrique illi societati, non modo non prodesse, sed præterea multùm nocere. Nam cum scandalorum seges, quæ publicam utriusq; pacem conturbant, non aliundè enascatur, quàm ex pri-

Cap. xxii.

Matth. 18.17.

1. Cor 6.1.

Cap. XXII. ex privatorum pravis cupiditatibus, atque libidinibus: has autem, ut mox dicemus plurimum alat, ac foveat *mystica* confessionis institutum; non est obscurum, quantoperè id publicæ tum Ecclesiæ, tum civitatis paci adversetur. Præterea nulla est via ad disseminanda, ac propaganda in hominum animos quæcunque tætra sunt, & inhonesta, facilior, ac tutior, quam ista confessionis disciplina. Quæ sunt enim hujusmodi publicam ferè lucem refugiunt, neque in suggestibus, aut cathedris comparere audent; quod satis intelligant sibi si fecerint paratam esse perniciem. In surdo hoc & mutô confessionis tribunali, nihil tale reformidant; Tutò istic exponuntur, ac in hominum obnoxiorum aures, cordaque insinuantur. Primò qui hæc protrudere cupiunt, iis cum omni securitate licet hominum animos pertentare, atque experiri, diligenterque quale sit eorum ingenium antè explorare; quàm se iis credant: tum quicquid libuerit, in illo arcano, nemine obsistente, iis commendare, quos quidem ad talia capienda idoneos deprehenderint; spe, metu, illecebris, autoritate, exemplô infirma ingenia labefactare, ac pervertere; quod primo conatu non successit, iterum atque iterum nova aliquâ ratione aggredi. Quid fingi potest vel in Rempubl. vel in Ecclesiam adeò perniciosum, ac pestilens, quod hac viâ perfici non possit? Cum enim cæteri, qui in utriusque societatis leges peccant, facilè aut deprehendantur, aut in ipso conatu opprimantur. His solis tutò & impunè peccare licet. Ac ego quidem concederem nihil mali Reip. & Ecclesiæ rectoribus à confessione timendum esse, si nulli essent, nisi absolutæ, & (ut sic dicam) Angelicæ pietatis, ac virtutis confessarij. Nunc cum isti non ex alio furfure fingantur, quàm ex quo reliqui mortales, errori, perturbationi, affectibus, vitiis æque ac quivis de plebe obnoxij sint; quis non videt, quam sit periculosum omne hoc istorum institutum, quô si velint, tam facilè ad publicam perniciem abuti possint? Quid enim istos vetabit si ita libeat, hæreseos in Ecclesiam, seditionis ac rebellionis in Rempubl. vires per occultos illos confessionis suæ cuniculos clam & sensim spargere neque prius in lucem emittere, quàm malum vires collegisse animadverterint? Quis vetabit venenum in hominum animis conceptû in illo arcanô fovere, alere, confirmare, unde tandem aliquandò in omnium, vel certè multorum perniciem erumpat ac profundatur? Tum serò ac inutiliter confugitur ad remedia; quæ si res in apertô tentata esset, maturè adhiberi, vimque mali facilè comprimere potuissent. Huc pertinet, quod nuper vir amplissimus, Fœlix, Cabilonensis Episcopus ac Comes de perniciosis quorumdam (ut vocant) *Casuistarum* Theologorum opinionibus ac doctrinis prudenter observabat, quas scribit sensim in animos hominum eo faciliùs induci ac diffundi, quod eæ in sacro, atque inviolabili *Confessionis* arcano applicentur; quo fit (inquit) ut contra quam fere solent alia tætra ac turpia, hæc suos fœtus nullo fere strepitu aut scandalo, in illis latebris edant. Cæterorum de eodem genere eadem

* Felix Cabil Censura Apol. Casuist a D.1659 d.22. Mart.p.5.

quoque

quoque ratio est. Illa verbi gratiâ de Papæ Romani in Christianos Principes potestate, deque jure eos proscribendi ac interficiendi, funesta & execranda dogmata, nisi *confessione* & arcanis *colloquiis foverentur*, ipsa per se in nostris quidem certè Galliis, jampridem concidissent, in quibus palàm, & in publicam hominum lucem prodire; aut caput attollere vix audent; sed ista, quæ nemo negaverit & Reipublicæ & Ecclesiæ esse perniciosa, aliaque hujusmodi non pauca in hujus potissimùm disciplinæ tenebris, à quibusdam aluntur. In eo etiam mysticum hoc institutum, cum Reipub. rationibus vehementer pugnat, quod à magistratuum cognitione, ac potestate solutum ac liberum esse fingitur. Nullum aliud est tam arcanum ciuium inter se colloquium, de quo non liceat Principis ministris cognoscere, siquid contra ejus caput, aut majestatem actum fuisse putetur. Hoc unum unius sacerdotis cum omnibus ferè, sed singulis ciuibus pænè quotidianum colloquium, sacrosanctum, ac inviolabile esse volunt; neque in id inquiri, fas putant, si vel principis, totiusque unà cum eô reipublicæ salus agatur. Quid est legitimam principum authoritatem, qua res humanæ maximè continentur, conuellere ac mutilare, si hoc non est? Denique cum nemo sit civium, qui non ipso naturæ jure teneatur quicquid in Principis caput, aut majestatem cudi intelligit, id pro virili sua amoliri, atque depellere, ita ut meritò reus ac nocens habeatur, qui cum aliquid hujusmodi à quoquam audiverit, non id statim, ad Magistratum defert, quo parricidarum furori maturè occurratur; Confessarij hæc scelera & parricidia sibi solis impune audire fas esse volunt; nescio quod sacramentum suum tam pernicioso in principem, ac patriam silentio obtendentes. Itaque cùm illa hominum monstra, quæ hujus generis impietatem agitant, ab aliis omnibus excludantur, neque apud eos habeant quo vel ipsam animi nefariam cogitationem deponant: Confessarios tutò adeunt; in eorum sinu, velut in quodam Asylo, conquiescunt; soli sunt isti in tota Republ. qui revelandi officium neque Principi, neque Patriæ se debere existiment: Atqui ab hoc officio pendet, primo ipsius principis vita, tum totius Reipubl. quæ ejus vita continetur, salus. Potest confessarius utrique consulere; potest principis viri nefariam cædem, potest totius ciuitatis, imò plurimarum ciuitatum turbas, clades, internecionem antevertere ac prohibere revelatô unius sicarij, cujus conscius est, scelere. Non faciam, inquit, Pereat princeps, subvertatur tota ejus domus; pessum eat tota respublica, totus orbis in certissimum exitium mittatur, potius quam ego sacrum confessionis sigillum resolvam. O vocem immanem, & impiam! O pestilens & exitiosum sacramentum! quô lingua civis ita vincitur, ac constringitur, ut ad ejus, cui omnia debemus, Reip. salutem ne vocem quidem mittere queat! Quid verò fingi potest aut tali institutô civitatibus, & Principibus nocentius, aut eo viro impudentius, qui id universæ Reipubl. utilissimum esse affirmat? vel hæc una ratio satis

Cap. xxii.

CAP. XIII. docet non fuisse unquam à Christo mysticam illam confessionem inventam, aut traditam, qui principum ac magistratuum sanctissimum atque à se ipso in hominum genere institutum ordinem suis omnibus carissimum esse, neque ab iis ulla in parte violari, vel imminui, sed conservari, augeri, omnibus iis officiis atque obsequiis excoli voluit, quæ à nobis proficisci possunt.

Superest ultima eaque (ut vult Bellarminus) præcipua, ac multiplex confessionis utilitas, quæ ad confitentes ipsos pertinet; quos iste ait *peccatorum remissionem impetrare, tum Deo reconciliari, & si volunt consilium, instructionem, consolationem referre, & quietem animæ, ob præterita, & remedium contra futura.* Sed iste confessionem suam, ut Æsopus corniculam, alienis plumis exornavit, quæ si ei detrahantur, & suis quæque avibus reddantur, ipsa inornata & inutilis remanebit. Primò enim non esse peccatorum remissionem & nostram cum Deo reconciliationem hujus sacramentalis (ut vocant) confessionis fructum ex eo apparet, quod etiamsi quis millies peccata sacerdoti sigillatim & accuratissimè numeret atque explicet, non ideo tamen ullam eorum remissionem à Deo consequetur, si nullâ eorum pœnitentiâ ducatur. Tum idem inde patet quod peccatorum remissio sine vocali illâ confessione & olim sub Vet. Testam. ab omnibus semper fidelibus impetrata fuerit, & nunc sub novo in baptismô. & in aliis ex adversariorum hypothesi sacramentis impetretur; ut *venialia* omittam quæ isti etiam non confitentibus remitti concedunt. Ergo totum illud Dei beneficium, non *vocalis & sacramentalis*, sed *interioris confessionis* fructus est; quâ quis verò

Ps 32 (lat 31) 5. cordis sensu sua apud Deum peccata & confitetur, & deflet. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ita Christus suos instituit peccatorum veniam à Deo ipso quærere; *Dimitte nobis debita nostra.* Ita ipse Petro turpissimum abnegationis peccatum flenti, ac pœnitenti dimisit. Iam eodem quoque pertinet illa *animæ* quies, quæ acceptam à Deo veniam necessariò consequitur. *Consilium* verò, *instructionem, consolationem, remedium contra futura* non *confessionis mysticæ*, sed prædicationis Evangelicæ, & consultationis etiam privatæ fructus esse nemo non videt. Nam etiamsi nulla sit in Ecclesia sacramentalis confessio, nunquam tamen in ea deest Evangelium, uberrimus, atque inexhaustus omnium bonorum fons; è quo vel lectione, vel auditu, eoque vel publico, vel privato *consilia, instructiones, consolationes, remedia omnis generis*, cuivis fideli haurire licet: Evangelium enim & domi legentibus patet & publice audientibus in concionibus sacris explicatur, & privatim pastores suos, consulentibus communicatur: Atque hanc quidem fidelium cum suis pastoribus consultationem per me licet, ut cum Estio *confessionem* voces, *quæ fit* (inquit) *viro docto, ac sapienti, qui peccatorem instruere, & peccati salutare remedium monstrare possit*: dum eam cum eodem à *tua sacramentali* diversam esse confitearis.

Nam

Nam tua quidem *juris* (ut loquuntur) *positivi* est, à Christo, ut tu quidem vis, præcepta ac tradita. Illa verò plane est iuris naturalis; quo scilicet & semper & cuivis licuit consilium à sapientiore, à potentiore auxilium, à medico remedium expetere. Itaque hanc nos, qui tuam oppugnamus, atque aversamur, admittimus, & laudamus, & ad ejus, quoties expedit, usum nostros cohortamur. Atque ita satis patet nullam istarum utilitatum ad confessionem Romanam propriè pertinere, ut nulla propter eas fuerit illius instituendæ ratio. Reliqua nunc expendamus, quæ ejus magis propria esse videntur. *Ille ipse rubor* (inquit Bellarminus) *quem inter confitendum patimur & pars quadam est satisfactionis pro admissis, & frænum cohibens ne talia deinceps admittamus. Et denique perexigua confessione, quam coram uno ex conservis nostris patimur, dum illi peccata nostra detegimus, redimimus ingentem illam confusionem, quam alioqui in die judicij coram omnibus Angelis, & hominibus pateremur, quando juxta Apostolum* illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium. Ego verò respondeo hunc sanè esse, & quidem, si bene reputes, unum Romanæ confessionis usum, ut impios ac cæteros peccatores (quod scitè alicubi dicit noster Calvinus) *cogat semel quotannis erubescere*. Quanquam & pudor, quo tum istos suffundi par est, admodum levis, ac dilutus est; cum absit omnis vel infamiæ, vel pœnæ, vel periculi metus, quod me jam supra observasse memini; ut Bellarmini hoc loco ingenuitatem laudem, qui eam *confusionem*, quam apud suos sacrificulos confitentes patiuntur, *perexiguam* vocat. Planè enim *perexiguus* pudor est te apud eum peccasse confiteri, quem certus es peccatum neque tibi unquam exprobraturum, neque cuiquam mortalium revelaturum, sed vel tormenta mortemque ipsam acerbissimam potius perpessurum, quam ut arcani tui fidem unquam prodat. Tum hæc ipsa quantulacumque erubescentia apud eos solos vim habet aliquam, qui honesti & boni sunt, apud homines inverecundos, ac impudentes, nihil valet; quos non modò non pudet, sed etiam juvat scelera sua ac flagitia aliis recitare. Sed & qui boni & verecundi per se erant, equidem vereor ne in illa confessionis schola pudorem paulatim, ac verecundiam exuere assuescant, dum isthic toties tam multa pudenda & loquuntur, & audiunt. Videamus tamen quid ille prosit tam miro, tamque inaudito confessionis hujus mysticæ tormento quæsitus pudor. Ad duo eum valere vult Bellarminus, quod sit & *pars* aliqua *satisfactionis* pro peccatis, & veluti *frænum* quoddam, quo utiliter cohibemur, *ne talia deinceps admittamus*. Ac prius illud usque adeo verbis extollit, *ut perexigua illa confusione redimi à nobis dicat ingentem illam confusionem, quam alioqui in die judicij pateremur*. Nos verò hoc totum quantumcunque est, vehementer negamus, quin & velut blasphemum exhorrescimus, qui satisfactionis pro peccatis præstitæ, redemptionisque nostræ, uni sanctissimo Domini Christi sanguini debitam gloriam ferre non

Lib. de vera Eccl. ref. ratione.

CAP. XXII. possumus in ullum omninò aliud piaculum, nedum in levem illam, nulliusque planè pretij erubescentiam vel ex asse, vel ex uncia transcribi: quâ de re quia in proprio opere disputatum est, non est quod hic pluribus agamus. Expunctâ ergo hac de confessionalis pudoris censu utilitate, altera superest, in qua isti suaviter se jactare solent; quod scilicet isto pudore, veluti injectô fræno, à repetendis peccatis cohibeamur. Sed primò hoc ipsum parvi est in pietate momenti. Non enim quem hominis metus, & pudor à peccando deterrent, is bonus, & apud Deum probatus; sed quem ipsius peccati odium, Deique reverentia, & Christi ac veræ sanctitatis amor in officio continent; juxta illud vulgo jactatum:

Oderunt peccare boni, virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Qualis quæso Christianus est, quem unius hominis conscientia terret; non terret Dei ubique præsentis majestas, non Christi, & Spiritus S. reverentia, non Angelorũ cœlestiũ oculi, ac sensus, eorũ quæ agimus testes? Illa ergo apud hominem confitentis erubescentia cum neque iis, qui Deum verè reverentur, sit necessaria, neque iis, qui non reverentur, quicquam prosit, eaque & isti tutò careant, neque hi ad salutem juventur; nemo non videt, quam inutilis sit in Ecclesia, quamque frustra confessioni instituendæ obtendatur. Sed neque hoc ipsum, tametsi tam exigui, ac pœne nullius momenti, revera præstat confessio. Quale sit hoc frænum, & quam ad cohibendas humani animi libidines infirmum testatur istorum, qui id tam magnificè laudant, experientia, apud quos quis non videt sceleratissimè & flagitiosissimè etiam eos interdum vivere, qui confessione plurimùm utuntur, & in eâ pænè sunt assidui? Quantum iis confessio conferat Arnaldus Sorbonæ Doctor nuper fusè quidem & facundè, sed frustrà tamen exequutus est; *Crimina* (inquit) *hodiè omnia confitentur; cras in eadem relabentur: nihiloque est eorum vita post confessionem emendatior, aut Evangelij regulis conformior, quam ante fuit; qui se peccatorum pœnitere, non alio argumento significant, quam quod ea apud sacerdotem recitant.* Ideoque non minus verè, quam falsè & eleganter istorum confessiones & cõmuniones ait esse *quasdam veluti vitæ parentheses: quod ut hæ in oratione sermonis cursum suspendunt quidem, non tamen abrumpunt, neque prohibent, quin verba sequentia cum antecedentibus cohæreant; ita illæ vitiorum impetum, ac cursum ad aliquot quidem dies nonnihil retardant, ac sufflaminant non tamen planè sistunt, neque torrentem illum sic cohibent, aut exhauriunt, ut non continuo prorumpat, neque denique efficiunt, ut posteriora prioribus ad amussim respondeant, omninoque sint ejusdem ingenij, ac naturæ.* Tum breves illas, quas sui dum confessioni operantur, cum Deo & Christo, in unum aut alterum diem veluti paciscuntur inducias, *dilucidis febricitantium intervallis* comparat; *quæ vim mali non*

De la freq. comm part. 2. ch 39 pag. 150. 331.

non repressam aut fractam sed dilatam significant; ac de hujusmodi ephemeris conversionibus licere appositè, sed in contrario sensu, ea ταυτὰ ἐν, quæ Christus de Lazari morbo dixisse legitur. Vt enim ille in illo argumento dixit, *Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei, ut glorificetur filius Dei per eam* ita vicissim de istis dici verè posse. *Hæc conversio non est ad vitam, sed ad mortem ut glorificetur Diabolus per eam.* Eadem sensisse alibi refert quemdam magni nominis Episcopum, publiceq; in concione conquestum, quod *ex pœnitentiæ sacramento confessionis sacramentum facere vellent*; & alium nescio quem Sorbonæ Doctorem veteranum dicere solitum, *Versamur his temporibus in enumeratione peccatorum*, non in *detestatione*. Acutè profectò ac sapienter. Ergo quam futile sit ac inefficax Bellarminianum illud Romanæ confessionis frænum, vel ex his istorum easdem partes sequentium, testimoniis constat. Quid? Quod confitentibus non modò non utile, sed etiam noxium, ac multipliciter periculosum esse deprehenditur totum hoc institutum? Mitto quod in confessariis jam notavi, æquè confitentibus necesse esse multa inhonesta, ac dictu turpia & loqui & audire. Illud verò confitentium proprium est periculum, quod dum anxiè de peccatis interrogantur, multa discunt, quæ meliùs eos laterent: præcipuè à nonnullis istorum magistris, qui quæcunque sunt in unoquoque peccati genere singularia, aut vulgò ignota, tantâ subtilitate persecuti sunt, ut multa quorum ne tenuem quidem imaginem quisquam unquam mortalium fando, vel cogitando usurpaverat, isti in lucē perniciosissima sagacitate protraxerint. Quid labyrinthos dicam in quos tota de hoc mysteriô doctrina miseros hominū animos inducit? quid dubitationes? pavores? inanes religiones, quibus eorum conscientias implicat? Quid vel desperationem, quam quibusdam, vel securitatem quam plærisque affert? qui dum hoc veluti confessionis emeticô quicquid inest in ventriculo sordium, ac impuritatum uno nisu simul ac semel eiicere, ac effundere, animumque ab omni illa peccatorum fæce planè liberare se posse putant, eo impensius atque impotentius, libidinibus, vitiisque suis indulgent, quod sciant omnium, quæ peccaverint, in confessionario tribunali, facilem se, paratamque remissionem nacturos? sed hujus confessionarij instituti pericula, absurda, & incommoda fusius alibi dicenda, sigillatimque exequenda erunt. Hæc quæ breviter attigimus, plus satis sunt ad confutandam Bellarmini probationē ex confessionis utilitate ductam. Nunc enim clarissimè, nisi fallor, apparet, ejus non modo non esse eos, quos iste ipsi tribuit, tam varios tamque multiplices usus, & apud Deum, & apud Pastores, & apud universam Ecclesiam & apud ipsos denique confitentes; sed & insuper multa, eaque gravissima ejus esse in omnibus istis partibus incommoda; Vnde videre est ex his sequi, non ut eam (quod iste vult) à Deo vel institutam fuisse, vel institui debuisse, putemus; sed planè contra. ut

Cap. xxii.

ibid ch. 10. p. 101. 102.

quem-

Cap xxiii. admodum eam nunquam à Domino institutam ex Scripturis divinis deprehendimus, ita neque instituendam fuisse certò nobis persuadeamus.

Capvt XXIII.

Refellitur quarta ratio pro confessione à Bellarmino allata, quæ à miraculis ducta est.

Svperest ultima Bellarmini pro confessione ex miraculis petita ratio; quorum quædam exempla ex Ioanne cognomentô Climacô, Bedâ, Antoninô, Petro Damiani, Petro Cluniacensi, vitâ Bernhardi, Bonaventurâ, & Iaponensium Iesuitarum relationibus profert; eaque vult ad commendandam confessionem suam edita fuisse. Ego respondeo primum in genere, admodum anceps, atque dubium esse id probationis genus. Nam & Paulus testatur Antichristum sua mendacia *secundum operationem Satanæ, in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus* commendaturum; & constat tum ex Tertulliano Montanum novam suam disciplinam Paracleto & revelationibus tribuisse, & ex Augustino Donatistas ad statuendum errorem de Baptismo suum visiones, & ostenta jactasse; cum tamen certum sit neque Antichristi doctrinam, neq; Montani disciplinam, neque Donatistarum hæresim divini, vel juris, vel instituti esse. Neque est quod respondeant falsa esse istorum miracula; sua vera. Nam & isti sua vera esse affirmant: æque ac adversarij ea de quibus gloriantur. Itaque cum omnis legitima probatio ex iis duci debeat, quæ certa sunt, & evidenter vera; ista verò quæ proferunt miracula, obscura, dubia, ac incerta sint; nemo non videt, quam sit futilis omnis, quæ ab iis ducitur, probatio. Secundò, Sed neque certum est, utrum ea ipsa, quæ hic afferuntur, (qualiacumque sint de cætero) ad hodiernam istorum confessionem pertineant. Nondum enim constat an ea Bedæ, multò minus an Ioannis Climaci temporibus, usu recepta fuerit; eoque videntur, quæ ex iis afferuntur in alteram operis partem reiicienda, in qua disquiremus, quæ veterum in hoc argumento praxis, ac sententia fuerit. Confessionem quidem illam, ob quam neglectam ait Beda, damnatum fuisse militem illum, de quo narrat, ex omni ejus sermone apparet, fuisse peccatorum, non enumerationem, sed emendationem, non jejunam istorum apud unum sacrificulum testificationem, sed veram pœnitentiam. Refert enim Beda militem illum à Rege Coenredo monitum, non simpliciter, *ut confiteretur*, sed ut *confiteretur & emendaret ac relinqueret scelera sua*. Et mox *confessionis* nomine *pœnitentiam* à se intellectam satis ostendit, dum in extrema narratione ait perditissimum illum virum fato functum *pœnitentiam, quam ad breve tempus*

[Margin notes: 2. Thess. 2. 9. — Tert. l. de jejun. c. 1. 11. — L. 5. hist. Angl. c. 13.]

tempus cum fructu veniæ facere neglexerat, in æternum sine fructu pœnis subditum facere. Si miles ille vita ad Dei verbum emendata raptus esset ad pœnas, equidem non negarem confessionis, ex hoc exemplo necessitatem adstrui posse. Sed cum testetur Beda illum spretis Regis optime monentis consiliis *pœnitentiam* in aliud tempus distulisse, hoc est in peccatis animum obstinasse; liquet non *confessionis*, sed *pœnitentiæ* & emendationis neglectæ mercedem fuisse pœnam misero justissimo Dei judicio inflictam. Quanquam neque hoc negare velim delictorum istius partem quoque fuisse, quod peccata sua apud Ecclesiæ præpositos confiteri, & ab iis pœnitentiam poscere, datam implere, atque ita fidelibus, quos pravis vitæ sceleratæ exemplis offenderat, satisfacere neglexisset. Scelerosum enim fuisse apparet & flagitiis ac delictis manifestis coopertum; cujus generis peccatores concedimus ex Christi disciplinâ apud Ecclesiam, suæ pœnitentiæ confessionem ac testificationem edere debere. Sed hæc nihil ad Innocentianam Bellarmini confessionem, Petri Damiani, Antonini, Cluniacensis, Bonaventuræ, ac ejus qui Bernhardi vitam scripsit, nulla aut sanè exigua authoritas est, cum ii in ultima sæculorum fæce, omnes post annum 1050. quidam etiam infra 1250. imò 1450. vixerint; quibus temporibus, superstitio, ignorantia, ambitio, cæcaque dominandi cupido, omnia fabulis inundaverant. Iaponensia verò prodigia cum nulla alij narrent, quam Iesuitæ, quorum projectissimam esse ad omnia pro commodis suis fingenda audaciam ex ipsis adversariis consentiunt non pauci, neque ignobiles viri, mirum est Bellarminum ea nobis hoc in loco obiicere non dubitasse. CAP. XXIII.

LIBER



DE

CONFESSIONE AVRICVLARI,

LIBER SECVNDVS.

Capvt I.

Argumentum ex divinis litteris contra arcanam confessionem I. inde ductum, quod neque Paulus, neque cæteri Apostoli eam vel à quoquam fideli exegisse & audivisse ipsi, vel ministris, cum de eorum munere atque officiis agunt, ut exigant & audiant, præcepisse uspiam reperiuntur.



X his ergo satis, superque constat, neque usquam vel à Domino in S. litteris institutam esse Romanam confessionem, vel ab Apostolis traditam, vel ab illius nascentis Ecclesiæ fidelibus usurpatam; neque ullum esse rationis vestigium, ex quo suspicemur tale aliquid à Deo vel revera institutum fuisse, vel etiam institui oportuisse. Nunc antequam ad alia progredior, pauca quædam, quibus id ipsum probatur, ex Scripturis afferenda sunt, & ab Adversariorum cavillationibus vindicanda.

Quorum primum hoc esto. Cum inter omnia Pastorum Evangelicorum officia nullum sit, si istos audimus, hoc confessionem fidelium exigendi, atque audiendi, vel præstantius (est enim cum summâ autoritate ex eorum hypothesi conjunctum) vel ad animarum salutem magis necessarium, sine quo scilicet neque quisquam, quantumvis pœnitens, peccati remissionem consequi, neque ullus minister impositum munus implere potest; si quid hujusmodi Christus instituisset, dubitandum non est, quin Apostoli pro summâ suâ sapientiâ id officij & accuratè ipsi præstituri & pastoribus atque fidelibus suas singulis in eo obeundo partes diligentissime commendaturi fuerint. Impii enim est animi suspicari rem tantam ab iis negligi, aut prætermitti potuisse. Atqui neutrum

neutrum eos fecisse constat, in tam multis eorum quæ extant operibus. Eorum quidem actus & Lucas singulari libello diligenter est executus, & ipsi in epistolis suis crebrò pro data occasione commemorant. Nusquam tam multis in locis vel quemquam fidelem ad confessionem peccatorũ apud se edendam compulisse vel cujusquam confessionem in arcano audivisse reperiuntur. Evangelium prædicasse, baptizasse, sacram Cœnam administrasse sive *panem fregisse*, universos, & singulos docuisse, ad pietatem, & sanctimoniam assiduè cohortati esse, leguntur, in confessionibus vel exigendis, vel audiendis, quod Romanorum sacerdotum præcipuum ac pœnè vnicum est opus, versati esse non leguntur. Istorum quidem in Iaponia, & apud alias gentes barbaras, actus si legas, quas è Paganismo ad Papæ sui communionem traducere conantur; nihil crebrius occurret, quam mystica illa confessio, ubique ad fastidium inculcata. Cur in Apostolorum Actibus nihil simile reperitur? Nimirum his planè ignotum erat præclarum illud sacramentum, in quo uno nunc illi salutis proram puppimque (quod dicitur) collocant. Paulus ab Ephesiorum presbyteris digressurus iis (quod supra me jam attigisse memini) suam in gerendo suo munere diligentiam totô trienniô, quô apud ipsos hæserat, sedulò in memoriam revocat; & hanc illis velut officij apud gregem formam ac normam tradit. Ait se *nihil subtraxisse utilium, quo minus annuntiaret ipsis; docuisse publicè ac per domos; testificatum esse Iudæis, atque gentilibus pœnitentiam in Deum, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum*; Testatur *se non subterfugisse, quò minus omne consilium Dei annunciaret iis, neque cessasse nocte & die cum lachrymis unumquemque monentem*; neque denique *ullius argentum, aurum, aut vestem concupivisse, sed quæ vel sibi, vel suis opus erant, manuum labore quæsivisse*. De confessionali illo labore nullum fecit verbum. Idem in epistolis identidem eadem commemorat, Ac in 1. ad Corinth. quicquid sui erat officij uno verbo complectitur, cum ait se à Christo *missum esse ad Evangelizandum*; quo vocabulo mirum erit, si quis id quoque significatum putet, ut ille omnia singulorum, injustè, turpiter, crudeliter, aut nequiter facta in arcano audire debuerit. Iam Apostoli ut confessionem illam arcanam à nullo ipsi exegisse, vel audivisse reperiuntur, ita neque aliis ministris, ut eam à fidelibus exigerent, imposuisse usquam leguntur. Cætera quæ ad Pastorum munus pertinent, omnia diligentissimè & præcepta sunt in novi fœderis libris, & exemplis illustrata. Nam docere, prædicare, baptizare, Eucharistiam facere, similiaque gerere & Christus ipse Apostolos, & Apostoli cæteros ministros jubent. De hoc arcanas confessiones exigendi, & audiendi officiô, nihil vel à Christo, vel ab Apostolis in toto Novo Testamento invenitur. Multa sunt loca, in quibus Paulus de Pastorum ministerio ejusque partibus, & actibus præclarè, ac copiosè præcipit. Hæc in illis ubique desideratur confessionatij officij pars. Extat verbi gratia luculenta ejus ad Timotheum cohortatio, in qua fide-

Cap. 1.

Act. 20. ℣ 20. 21. 27. 31. 33. 34.

1. Cor. 1. 17.

CAP. I. lium Christi servorum omnia ministeria fusè proponit. Timotheum
1. Tim. 1.18. primo jubet in genere *militare bonam militiam, habentem fidem, & bonam*
ibid. c 2.1. *conscientiam*. Tum ad singula descendens obsecrat, ut *Orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus fiant*, & explicatis præcipuis, tum
ibid c.4.6. virorum tum mulierum officiis, & veris Episcoporum conditionibus, prædictisque futurorum impostorum dogmatis præcipit Timotheo, ut *illa proponat fratribus*, ineptas *autem & aniles fabulas devitet, seque ipsum ad*
ibid. c 4. 6. *pietatem exerceat, & sit exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate*; *utque attendat lectioni, exhortationi, & doctrinæ,*
℣. 15.16. *ut hæc meditetur & in his sit, ut sibi attendat, & doctrinæ, vt in illis instet.*
ibid c.5.1. Tum ad censuras transit, *Seniorem* (inquit) *ne increpaveris, sed obsecra, ut patrem; juvenes, ut fratres; anus, ut matres, juvenculas, vt sorores*; Et postquam obiter de viduarum electione ad ministeria quædam Ecclesiæ præ-
ibid. ℣. 19. scripsit, vetat *accusationem contra presbyterum recipi, nisi sub duobus aut tribus testibus*; jubet *ut peccantes coram omnibus arguat quo & cæteri timorem habeant, hæcque sine præjudicio custodiat, neque quicquam in alteram partem*
ibid ℣. 22. *declinando faciat*; mox præcipit *ne manus cuiquam cito imponat neque peccatis alienis communicet*. Denique multa de herorum & servorum offi-
ibid. c. 6. ℣ 1. ciis, de avaritiâ, de divitiis interserens *Hæc doce* (inquit) *& exhortare; ju-*
11. 12. *stitiam sectare, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei*, &c. *serva mandatum sine maculâ irreprehensibile,*
14. 20. &c. *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Hæc in priore Epistolâ. In posteriore multa mis-
2 Tim. cet, eodem pertinentia; ut *formam habeat sanorum verborum, quæ ab ipso audivit, in fide, & dilectione, in Iesu Christo*; *ut bonum depositum cu-*
11 c.4. *stodiat per Spiritum Sanctum*; *ut quæ à se audivit per multos testes, hæc com-*
ibid 2 2.3 *mendet fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere*; *ut laboret, sicut bonus miles Iesu Christi*; ut *recte tractet verbum veritatis*, ut *permaneat in iis*
ibid c.3.14.15. *quæ didicit & credita sunt ipsi* & *in sacris litteris, quas ab infantia novit, quæ ipsum possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu*; ut *prædi-*
ibid c.4. 2.5. *cet verbum, instet opportunè, importunè arguat, obsecret, increpet, in omni patientia & doctrina*; ut *vigilet, in omnibus laboret, opus faciat Evangelistæ, ministeriumque suum impleat.* Et in genere *servum Dei* (hoc est ministrum
ibid. c 2.24. Evangelij) ait non *oportere litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati,* & paulò post non aliud ministro perfectionis in suô munere consequendæ instrumentum proponit, quam sacram Scripturam, in qua de confessione illa Sa-
ibid. c. 3. cramentali nihil extat: *Omnis* (inquit) *Scriptura divinitus inspirata, uti-*
℣. 6..7. *lis est ad docendum, ad arguendum ad corripiendum, ad erudiendum in justitia ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Mitto, quod veteratorum, & impostorum, quos devitari vult, malas artes describens,
Ibid. ℣. 5.6.7. ea dicit quæ istis adversariorum confessariis ad amussim congruunt. *Ex his* (inquit) *sunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas*

pecca-

peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Plena est similibus documentis ejusdem ad Titum discipulum Epistola. Inprimis enim ea fusè explicans quibus instructum esse decet presbyterum, siue Episcopum in Ecclesia constituendum, nihil omninò eorum commemorat, quæ ad confessarium propriè pertinent, quale est quod isti tantopere urgent, ut sit arcanorum tenax, & alia hujusmodi; disertè verò id requirit, cujus isti nullam ferè habent rationem, ut *amplectatur eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, potensque sit exhortari in doctrina sanâ, & eos qui contradicunt arguere.* Ipsum verò Titum jubet Cretenses suos *increpare durè, ut sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, aversantium se à veritate.* Iubet *loqui quæ decent sanam doctrinam; omne genus fideles, senes, anus, juuenes, servos, liberos, cives sedulò docere de omnibus pietatis, caritatis, & sanctimoniæ Christianæ officiis;* quę fusè ipse exequutus, *hæc* (inquit) *loquere, & exhortare, & argue cum omni imperiô.* Neque aliter Petrus suos conseniores sive sympresbyteros (sic enim eos vocat) in priore Epistolâ instituit; paucis rem totam complectens, dum eos obsecrat, *ut pascant, qui apud ipsos est, gregem Dei, providentes, non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariò, neque ut dominantes in cleris,* (quod non video quomodo cum prætoriâ illâ potestate consistere queat, quam confessionarij tribunalis præsides sibi in cõfitentes arrogant.) Hæc ut alia complura mittam, satis arguunt, quam ignotum sanctissimis Apostolis fuerit totum hoc confessionarium istorum negotium. Isti quidem in eâ ministerii sui (ut putant) parte euehendâ, commendandâ, inculcandâ toti sunt, nullaque de re sacerdotes suos studiosius, fusiùs, atque accuratiùs monent quàm de ista. Et meritò sane facerent, si ea divini re verâ iuris esset, eamque non utilitatem modò, sed etiam necessitatem haberet, quam isti ei tribuunt. Nemo nescit quam spissa sint, quæ apud eos circumferuntur, de hoc unô officiô volumina, ut nullum ferè sit argumentum, quod ab iis tantâ cum diligentiâ, ac curâ fuerit pertractatum. neque temerè ullum istorum de pastoris munere librum, vel tractatum reperias, in quô de confessionali judiciô non accuratè præcipiatur. Quid caussæ est cur Paulus, qui sapientissimus fuit, cum tam multis, quorum nos quædam attulimus, locis disertè, ac ex professô ministrũ Evangelij instruit, ac effingit, omniaq; ferè ejus commemorat, hoc tantum scilicet, tamque necessariũ, confessiones exigendi & audiendi officium, constanter ubique prætermittit neque de eô vel unam usquiam litterulam scribit? In promptu caussa est, Quod isti tanti faciunt, id Paulus penitùs nesciuit, si sciuisset haud dubie præsertim in tantis locis, non prætermissurus.

Marginal notes: Cap. 1. Tit. 1.5. — Tit. 1. v. 9. — Ibid. v. 13. 14. — ibid c. 2. v. 1. 2. 3. & seqq. — ibid. v. 15. — 1 Pet. 5. c. 1. 2.

Capvt II.

Secundum contra confeßionem auricularem argumentum; inde sumptum, quod nusquam Apôstoli eam fidelibus præcipiunt aut commendant.

Iam de ipsis fidelibus, quid dicam, quos de hoc arcanæ confessionis apud presbyteros officiô tantò impensius doceri atque moneri decebat, quod cùm id, & nouum, & per se, ut vel adversarij testantur, difficillimum, molestissimumque, & maximè onerosum esset, est tamen ad singulorum salutem, si istis credis, ita necessarium, ut qui vel unum annum sine eô vixerit, à Christianorum cœtu viuus, mortuus ab eorumdem cœmeteriô arcendus ac prohibendus sit. Atqui ne semel quidem Apôstoli fideles uspiam ad id officij suis presbyteris præstandum non dico urgent, sed ne cohortantur quidem, vel monent: vel denique unâ voculâ de eô significant: cum iidem tamen cætera omnia vel pietatis in Deum, vel caritatis in homines, vel reverentiæ in pastores nostræ officia studiosissimè, atque accuratissimè persequantur, totasque neque paucas de istis Epistolas cônscribant. Inspice quæso, Romanorum Theologorum volumina, in quibus fideles officia pietatis docent, vel ad ea cohortantur. qualia sunt apud eos propemodum innumerabilia scripta. Contende ea cum libris Apostolorum. Nihil hac in parte simile reperies. Nam confitendi in arcano officium, quod hi, ut dixi, constanter prætermittunt, de quô ne unum quidem verbum faciunt, illi ita studiosè, ita accuratè ubique præcipiunt, deque eô tot regulas, tamque multas observationes tradunt, ut eô ipsô nihil habuisse antiquius, sanctius, aut in religione Christianâ præclarius singulisque ac universis salutarius videantur: De Eucharistiæ quidem communione nunquam præcipiunt, quin, quod est à Tridentinâ Synodô diserte decretum, commemorent, nunquam ad Domini mensam quemquam fidelem accedere debere, qui non prius arcana hac apud sacerdotem confessione conscientiam suam purgarit ac procurarit. Non quæro si istæc vera sunt cur Dominus Christus arcanam hujusmodi peccatorum confessionem à discipulis ipse suis minimè exegerit, cum eos Eucharistiæ suæ communione dedicare atque initiare primum voluit; ad quod officium eo impensius vrgeri debuisse videntur, quod inter eos unus delitesceret horrendum scelus animo iam parturiens. Atqui ne eum quidem Christus à sanctissima sua mensa absterruit, quem dirum nefas animo agitare sciebat: cum ex Innocentiana disciplina necesse esset tantum parricidam per confessionis mysterium conuentum vel emendare, vel in scelere & amentia obfirmatum sacris arcere. Neutrum fecit Christus; sed hominem palam, si quid

si quid ei superfuisset vel fidei vel pudoris, non obscuris documentis ad pœnitentiam invitatum, ad sanctas dapes admisit, pulcherrimo & plane admirando exemplo sanciens non esse temere & inverecunde in alienas conscientias irrumpendum, sed peccatores si qui sint, Evangelica prædicatione, monitisque & adhortationibus ad meliora palam & in luce cohortandos; non resipiscentes, ferendos, donec eos sua improbitas manifestis experimentis detecta ac comprobata, sanctorum consortio indignos esse demonstraverit. Hæc inquam, tametsi, ut mihi quidem videtur, magna observatione, digna, non urgeo tamen; quod quo tempore sacra cœna à Domino celebrata est, nondum ex adversariorum rationibus institutum esset confessionale tribunal: tametsi Christus id mysterium si verè instituere decreverat, omnino videtur tam opportuna data occasione antecapere, & maturè designare debuisse, quo suorum animos iam tum ad hanc novæ disciplinæ formam muniret. Sed ut hoc Domini exemplum prætereamus, quid est quæso, quod Paulus sanctissimus eius Apostolus non modò nusquam alibi istud tam sanctum, tamque necessarium officium fidelibus vel imponit, vel in memoriam revocat, sed ne tum quidem meminit ejus, cum præcipit, quô pacto nos ad sacrum illud Christi epulum parare atque accingere debeamus? Locus extat in priore ad Corinthios, capite undecimô; in quô multis de eorum ad quos scribit, in hoc celebrando Sacramento, negligentia atque contemptu graviter conqueritur; Testatur qui panem, vel calicem illum indignè sumit, eum judicium sibi ipsi manducare, & bibere; & apud istos quod hæc negligerentur, multos ait esse infirmos, & imbecilles, & dormire multos. Quis non videt, ac sentit in tali locô Paulum, si confessionarium adversariorum mysterium cognitum habuisset, omninò præcepturum fuisse, ut isti eô se diligenter munirent, ac præpararent, antequam ad Domini mensam accederent? neque id à sapienti virô, qualis Paulus imprimis fuit, sine flagitiô istic omitti potuisse, siquidem res ita habet, ut isti docent? Atqui ne hoc quidem locô, quicquam hujusmodi vel dixit, vel cogitavit Paulus. Contrà verò, id ibi præcipit, quod unum omnem istorum confessionariæ religionis necessitatem liquidò solvit, atque evertit, *probet*, (inquit) *se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Vides ut cuique fideli sui ipsius probandi jus, ac provinciam imponat: post probationem illam ab unoquoque factam Dominici panis calicisque sumendi potestatem faciat: nullam apud alios confessionem, nihil denique inter duos illos actus, medium interponat. Ergo vel hinc liquet alia tunc quam nunc lege Eucharistiam sumpsisse fideles, in Christianorum communione viventes. Nunc enim nulli ad sacram mensam accedere licet, nisi qui apud sacerdotem in arcanô confessus fuerit; Tunc non aliud requirebat Paulus, quam ut se ipsum unusquisque probaret. Quod verò Tridentini recitatô hoc Pauli locô subiiciunt *Ecclesiasticam consuetudinem declarare eam probationem ne-*

Marginal notes: CAP. II. — 1. Cor 11.20. 21.27.29.30. — ibid. v. 28. — Sess. 13. c. 7.

Cap. II. *cessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat,* faciunt illi pro imperiô, quod sibi sponte in hominum conscientias, atque animos sumpserunt. Scio nunc apud eos ab Innocentij tertij temporibus hanc obtinere, quam commemorant, quamque Ecclesiasticam vocant, consuetudinem, eô fieri, vel ut Ecclesiæ Paulinæ (hoc est ejus, quæ temporibus Pauli vixit) ea quoque fuerit consuetudo, vel (quod etiam absurdius est) ut ea Pauli ipsius mens in iis quæ recitant, verbis fuerit, nescio an quisquam sit admissurus; Ego quidem utrumque vehementer nego. Quis enim quæso, tam hebes est, atque obtusus, ut eô quod jubet Apostolus *hominem* (id est ex Hebraïsmo sacris Scriptoribus familiari *unumquemque*) *se ipsum probare. & sic de pane illo edere*, significari putet omnem fidelem antequam ad Eucharistiam accedat. Sacerdotem convenire, eique in confessionali tribunali sedenti accidere. omniaque sua peccata mortalia sigillatim enumerare. ac confiteri debere? Nemo non videt quàm crassum, quamque absurdum sit hoc interpretationis portentum; id certè apud veteres, imo apud omnes Christianos, antequam edita essent istorum mysteria, plane ignotum, ac inauditum fuit, ut postea demonstrabimus. Sed clara est Pauli oratio, unumquemque eorum, qui Ecclesiæ communione fruuntur, antequam se Christo apud sacram mensam sistat, debere in suam ipsum conscientiam diligenter inquirere, seque probare ac experiri, an is sit scilicet, qui sanctô pane ac calice dignè vesci ac frui possit; Probationis officium, non alij quod necesse erat, si hodiernum confessionis arcanum scivisset, sed ipsi (ut loquuntur) *communicaturo* demandat Apostolus, *probet* (inquit) *seipsum homo*. Non alius est qui probat, alius qui probatur, sed unus idemque, nisi fortè isti novum nobis vocabularium procudant, ex quô seipsum probasse nemo dici possit, nisi qui ab aliô, & quidem non sui, sed diversi ordinis homine probatus fuerit; volunt enim in suâ confessione probantis planè aliam esse, quàm probati (ut sic dicam) personam; illum judicem, hunc reum esse statuunt illum prætoriâ auctoritate eminere, hunc obsequendi ac parendi necessitate subiici: planè ac siquis contenderet in republica neminem seipsum probare dici posse, nisi qui apud prætoris tribunal interrogatus; & in ipso equuleô fuerit. Est & alius apud Apostolum locus, in quo hujus confessionalis muneris, omnino mentionem facturus fuisse videtur, siquid hujusmodi in Ecclesia jam tum exstitisset. Ex eorum Corinthiorum numero qui Christo nomen dederant unus gravissimum scandalum & Christianis & exteris obiecerat. ducta palam noverca, quod neque Dei, neque ipsarum gentium legibus fas est, adeoque torpebant illius Ecclesiæ animi, ut scelus tantum impune homini esset: indignatur Paulus tantam fœditatem nulla correptione notatam, nulla excommunicatione vel ejectione expiatam. Nemo non videt Confessariorum si qui fuerunt apud Corinthios, hoc

1. Cor. 5. 1. 2.

præsertim

præsertim flagitium & hanc labem fuisse: qui disciplinam Ecclesiasticam cujus se unicos ministros esse profitentur, tam turpiter negligerent, ut hominem singulari scelere contaminatum promiscuè cum fidelibus censeri, in eorum cætibus alacrem adesse, cœlesti cibo ad mensam Domini frui; paterentur. Hos maxime petere; in hos potissimum suæ censuræ atque objurgationis fulmina dirigere debuit Apostolus. Atqui nullos totò illo loco, qui ardentissimus est, confessarios nominat vel innuit. Totam in genere Ecclesiam obiurgat, quòd de medio sui talem ac tantum peccatorem eiiei vel sui luctus, suarumque lacrymarum invidia non curarit. Ergo ut hoc caput concludamus, cum neque Apostoli fideles in arcano confitentes, vel audivisse ipsi, vel aliis ministris ut audirent, etiam cum de eorum officiô ac munere agunt, mandasse usquam legantur; neque verò fidelibus, ut id officii suis presbyteris & Episcopis præstent, in ullo novi fœderis loco præcipiatur, etiam ubi sermo est de eorum ad sacram mensam præparatione, nemo non intelligit Apostolicis temporibus planè ignotum & inauditum fuisse totum hoc confessionale negotium, quale apud adversarios hodie in usu est.

Cap. III. 1 Cor. v. 1. 2. 6. 7.

Capvt III.

Argumentum contrà Innocentianam confessionem tertium, inde sumptum, quod sacræ literæ passim omni fideli contrito & verè pœnitenti remissionem peccatorum pollicentur absque ulla apud hominem prævia confessione; refelluntur Bellarmini cavillationes.

Sed & inane esse hoc adversariorum mysterium clare ex eo patet, quod id totum hac hypothesi nititur, scilicet quod nullum fideli post baptismum lapso peccatum (saltem mortale) remittitur, nisi qui id apud presbyterum fuerit confessus. Hanc vero hypothesin, prȩter Scripturarum quod hactenus obiecimus silentium, multa insuper in ipsis sacris literis disertè tradita, evertunt. Primò enim Deus in veteri instrumentô passim profitetur se peccata omni fideli verè pœnitenti è vestigiò remissurum. Ita apud Isaiam, *si quis se lavet, & mundet, auferatq́, malum cogitationũ suarũ ab ipsius oculis, & quiescat agere perversè, & discat benefacere, quærat judiciũ, subveniat oppresso, jus dicat pupillo, deffendat viduã*, pollicetur *peccatã ejus si fuerint ut coccinũ, quasi nivem dealbatũ iri, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lanã alba fore.* Verbis posterioribus absolutissimã ac plenissimam peccatorũ remissionẽ; prioribus verã pœnitentiã describi, ac significari clarum est. Ergo cum Deus veracissimus sit, qui priora præstiterit, ei peccata quævis antecedentia planè remittentur; priora Isa. 1. 16. 17. 18.

autem

CAP. III. autem præstare nihil, ut liquet, etiam eum vetat, qui nulli homini peccata sua confessus est (nulla enim penitus hujusmodi officij mentio fit in verbis prophetæ) ergo neque eum, qui peccata nulli homini confessus est, quicquam vetat à Domino plenam atque absolutam eorum remissionem consequi. Neque aliam Deus Israëlitis legem fert apud Ezechielem, vt veniam admissorum impetrent; *si impius* (inquit) *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & justitiam, vitâ vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*. Mox; *conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Eadem apud eundem alibi repetit; *Si impius* (inquit) *egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam injustum, viuet, & non morietur: omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.* Hæc quæ à peccatoribus exigit, etiam is implere potest, qui nulli sacrificulo apud confessionale tribunal prostratus sua delicta in aurem immurmurat, ergo uel Deus (quod absit) mendacij tenebitur, vel etiam isti nulla peccata imputabuntur. Huc pertinet illa sententia, quæ & vulgo à Theologis, & hic ab ipso Bellarminô velut ex Ezechielis capite tricesimô tertiô laudatur; *quotiescunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor*; quæ tametsi revera neque in illo capite, neque usquam alibi apud Ezechielem his verbis expressa inveniatur, tamen & ex illis ejus dictis, quæ nos modò recitauimus, quod ad sensum, & rem ipsam pertinet, evidenter colligitur, & apud Isaiam in Græca septuaginta seniorum editione pœnè ad verbum legitur, quod ego à reverendo doctissimoque virô D. Blondellô, fratre ac collegâ obseruandissimo, didici: ubi enim Latinus ex Hebræo habet, *si revertimini, & quiescatis, salvi eritis, in silentio & in spe erit fortitudo vestra*, apud septuaginta ita legitur, ὅτ' ἂν ἀποςραφεὶς ςενάξῃς, τότε σωθήσῃ: *cum conversus ingemueris, tunc salvus eris*; ex quibus verbis, & his quæ apud Ezechielem extant, *omnium iniquitatum ejus non recordabor*, conflata videtur illa in Theologorum & veterum & recentiorum libris vulgaris gnome, *quotiescunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Huc etiam referenda sunt, quæ Propheta de se ipso commemorat, *Dixi, Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ea enim suæ injustitiæ confessione quam apud Dominum se edidisse ait, vera pœnitentia, hoc est, peccati admissi detestatio, & melioris atque sanctioris vitæ studium ac propositum continentur. Itaque cùm hac sibi lege remissum statim à Dominô peccatum testetur, vel ex hoc ejus exemplo constat, peccata etiam ei, qui illa homini in aurem non est confessus, à Deo tamen remitti, si quis ea ipsi Deo cum verâ pœnitentiâ confessus fuerit. Alia ejusdem generis non pauca afferre possem. Sed hæc satis sunt ad demonstrandum, quam falsa illa

Ezech. 18. 21.

Ezech. 33. 15. 16.

Isa. 30. 15.

Ps. 32. (lat. 31) 5

illa sacramentalis (ut vocant) confessionis hypothesis, quâ statuitur nullum peccatum mortale fideli lapso remitti, nisi quod ministro in arcano, certè vocaliter confessus fuerit. Bellarminus ad hæc ita respondet ut concedat (certè concedere videatur) sub Veteri Testamentô, ex cujus libris ista desumpta sunt, confessionem auricularem minimè obtinuisse; adeò ut non sit mirandum iis temporibus peccata fidelibus pœnitentibus, licèt minimè homini confessis, remissa fuisse, neget verò inde sequi nunc quoque talibus sub Novo Testamentô peccata remitti: Negationis suæ hanc adfert rationem, quod *illa argumentatio si quid valeret, non solum confessionem sed etiam ipsum baptismum in discrimen adduceret, Nam ut confessio* (inquit) *ita etiam baptismus non semper fuit, & tamen scriptum legimus Ioan.3. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ,& Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum, quæ tempore legis veteris nusquam legebantur: Quare si nunc est remissio peccatorum qua semper fuit, aut baptismus nunc necessarius non est, & Christus(quod absit)mentitur, aut ab initio sæculi baptismus ex aquâ & Spiritu sancto necessarius fuit; quod nemo sanæ mentis dicere potest. Quemadmodum autem ex Evangelio demonstramus, nunc baptismum ad remissionem peccatorum requiri, qui in lege veteri non requirebatur, quia scriptum est, nisi quis renatus fuerit, &c. sic etiam ex Evangelio demonstramus confessionem peccatorum ad justificationem hoc tempore necessariam esse, quæ tempore patrum Testamenti veteris necessaria non erat, quia scriptum est Ioan.20.* Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt, *quod in lege veteri scriptum non erat.* Hæc ille; sed omnis hæc ejus cavillatio frigida est, & inefficax. Primò quod sumit ex illis Domini apud Ioannem verbis, *Quorum remiseritis*, &c. demonstrari confessionem homini factam ad justificationem hoc tempore necessariam esse, id quam falsum sit, quum neque ex vi verborum, aut sensus, neque vel ex ipsâ multorum nobilissimorum Ecclesiæ Romanæ & Theologorum & Canonistarum, sententia sequatur id, quod inde concludit Bellarminus, suprà satis superque ostendimus. Itaque etiamsi, quod iste vult, ex Christi verbis Ioannis 3. sequeretur baptismum ad salutem absolutè necessarium esse, adeoque sine eô nemini peccata nunc remitti, quæ tamen olim sine eô remissa fuisse constat; non ideo tamen consequens esset, ut quæ olim sine confessione auriculari remissa sunt peccata, nunc sine eâ nulla remittantur; quia nimirum non ut baptismum sic etiam confessionem, nunc ad peccatorum remissionem necessariò requiri usquam vel Christus, vel Apostoli docent. Secundò Id etiam falsum est, quod ait Bellarminus, ex Ioann. 3. concludi illum externum aquæ baptismum ad salutem absolutè esse necessarium, & nisi ita sit, Christum (quod absit) mentitum fuisse. Neque enim istic Christus negat quemquam salutis fore participem, nisi qui à ministris suis aqua baptizatus fuerit; quod si dixisset, non video quâ ratione hujusmodi ejus dictum vel ex ipso adversariorum dogmate defendi posset, qui conce-

Cap. III.

L. 3. de pœnit. c. 17. § hæc sect. §. sed si hæc.

CAP III. dunt Spiritu, & martyrio id est (ut vulgo loquuntur) *flamine vel flamma* baptizatos servari. etsi à nullo ministro aqua externa tinctos. Sed, quod clarum est, Christus ait non alios salutis participes fore, quàm qui vi Spiritus sancti regeniti ac renouati fuerint in novam vitam, & ex veteri Adamo in nouum insiti; quam divinam vim, quæ hujus regenerationis caussa ac principium est, eleganter & more suô, cœlestia terrenis adumbrans, *aquam & spiritum* vocat. id est aquam spiritualem; per eum tropum quem Grammatici vulgo hendyadyn appellant, quale est illud poëtæ nobilissimi,

------ pateris libamus, & auro

id est, pateris aureis. Itaque cum hæc, ex quibus Bellarminus remissionis sub Veteri Testamentô ab eâ quæ sub nouo obtinet, disparitatem argumentatur, falsa sint, & à nobis negentur, apparet nullam vim habere totam ejus ratiocinationem; In quâ præterea tertiò obseruanda est ejus fraus insignis. Nam cùm hic agatur de eâ peccatorum remissione, quæ fidelibus, id est hominibus initiatis quidem, & in fœdus Dei ascitis, sed tamen lapsis datur, adversarius callidè quæstionem mutat, fingitque de iis agi, qui infideles sunt, necdum divinæ religionis sacramentis ullis initiati; quales ii sunt, qui baptismũ suscipientes peccatorũ antea actorum veniam eadem operâ impetrant. Itaque tota ejus responsio nihil ad rem facit. Nam & ii quos Deus apud Isaiam alloquitur, & ii de quibus apud Ezechielem in utroque à nobis laudatô locô sermo est, & David denique, cujus è Psalmis exemplum attulimus, omnes Israëlitæ erant, circumcisione, id est veteris fœderis sigillô, ac sacramentô insigniti. Ergo ut instituta comparatio benè procedat, iis sub nouo fœdere opponendi sunt, non qui baptismum primùm suscipiunt, sed qui jam antea baptizati fuerunt. Cùm igitur illi, ut patuit, sub veteri fœdere remissionem peccatorum per solam pœnitentiam sine confessione auriculari à Domino acciperent, sequitur hos pariter quoque eam impetrare; omninoque ridiculè facit Bellarminus, qui huic nostro argumento obiicit per baptismum nunc dari remissionem peccatorum. Datur enim, sed iis qui infideles antea erant; quomodo & olim iisdem per circumcisionem, cui baptismus noster respondet: baptizatis verò, sed lapsis, non magis nunc baptismus ad veniam consequendam iteratur, quàm circumcisis olim circumcisio. Certè nostra nunc conditio deterior non est, (ut parcissimè dicam) quam Iudæorum olim erat sub lege. Atqui deterior erit, si illis quidem sola apud unum Deum peccati confessio veniam obtinuit, nobis verò idem consequi non liceat, nisi homini insuper confessi fuerimus. Huc accedit, quod cùm veteris fœderis seruitus, noui libertas propria sit; omninò peruersum, ac præposterum est, ut confessionale jugum, quod isti longè gravissimum, ac molestissimum esse ajunt, nobis quidem sub nouô imponatur; Iudæis verò sub veteri degentibus nullum impositum fuerit. Denique cùm illud tempus cæremonia-

remoniarum fuerit, hoc sit veritatis,& ipsius (ut sic dicam)*corporis*, absurdissimum est peccatorum remissionem veteribus purè ac simpliciter, & sinè ullô circuitu datam esse; eandem nobis sine illâ sinuosâ confessionis auricularis cæremoniâ non dari. Cùm igitur fateatur adversarius remissionem olim à Deo sine confessione auriculari datam fuisse pœnitentibus fidelibus; necesse est eum vel omnem utriusque fœderis naturam turbare ac pervertere, vel certè, quod nos volumus, concedere, etiam nunc verè pœnitenti fideli, quamquam apud hominem minimè confesso, peccatorum remissionem à Deo juxta veteres illas, quæ in divinis litteris extant, promissiones dari. Mitto quod cùm æterna sit verbi divini veritas, earum promissionum fides etiam hodie manet inconcussa. Fateor, quædam vel olim usitata nunc nullo, ut Levitica sacrificia, esse in usu, vel olim ignota nunc observari, ut baptismum, & sacram cœnam. Sed de utrisque disertissima extat Domini Christi lex; illa quidem abrogantis, hæc autem instituentis. Promissionum quas è Prophetis, recitauimus plane dispar est ratio; quas nusquam vel Christus vel Apostoli refixerunt, vel novâ aliquâ additâ conditione restrinxerunt. Quæ enim pro confessionis suæ institutione afferunt adversarij, ea (quod suprà demonstravimus) vana & absurda sunt omnia. Ergo & hodiè veræ sunt illæ promissiones; neque adeò quisquam fidelis dubitare debet, quin si eam, quam Deus exigit veram pœnitentiam præstiterit, omnium retrò delictorum, quam illę pollicentur, remissionem statim sit accepturus. Et certè ad gratiam illam, & benignitatem immensam, quæ Christo ubique tribuitur, manifestè pertinebat, ne Dei in condonandis peccatis lenitas, ac facilitas novâ, durâ, atque acerbâ ista confessionis auricularis addita lege imminueretur; quasi scilicet Dominus facilius ac promptius sub Moyse, quàm sub Christo peccata suis pœnitentibus condonaverit; quod quàm sit absonum nemo non videt. Igitur firmum & invictum manet nostrum hoc ex veteris fœderis libris petitum argumentum. Neque hilum valet altera Bellarmini ad illud tanquàm ex Ezechiële laudatum responsio, *Quotiescunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* *Nemo est* (inquit) *qui ut oportet ingemiscat, qui non cupiat ea remedia animæ suæ vulneribus applicari, quæ Deus pro temporum varietate instituit. Alioqui si simpliciter gemitus quicumque sufficeret ad salutem, non solùm confessio, sed etiam baptismus necessarius non esset. Addo etiam sinè fide, spe, & caritate homines justificandos. Quis enim prohibet, quominùs ob solum temporale damnum aliquis ingemiscat? Quemadmodum igitur in eô gemitu, cui salus à Deo promittitur, includitur fides, spes, caritas, peccati detestatio, & propositum vitæ melioris; ita etiam baptismi, aut confessionis votum; & propositum continetur; & sicut non addit ad verba Domini, sed illa congruēnter exponit, qui ad justificationem, præter gemitum, fidem, spem, caritatem, & alia, quæ diximus, exigit, sic etiam non addit, sed exponit, qui præter gemitum, votum baptismi, aut confes-* L.1.de pœnit. c 17.§ sed hoc argumentum.

Cap. III. *sionis requirit.* Hæc ille, sed primò frustra fingit in hac Prophetæ sententiâ necessariò subintelligi baptismi votum. Loquitur enim de Israëlitis, & ad Israëlitas, ut ex toto capite liquet; qui cùm essent omnes circumcisi, stultum & absurdum est hanc ad eos Dei promissionem, *Quoties ingemuerit peccator*, scilicet apud vos vel ex vobis, ita accipere, ac si præter gemitum peccator ille circumcisionis votum in animô habere debuerit. Cùm enim is peccator iam esset circumcisus, neque verò circumcisio iterari sine scelere potuerit tale votum in huiusmodi homine exigere nihil aliud est quam insanire. Iam cùm baptismi apud nos eadem sit, quæ circumcisionis apud veteres fuit ratio, apparet cùm hic locus ad nos traducitur, eum similiter de baptizatis esse accipiendum ut apud veteres de circumcisis; eoque planè alienum esse à re propositâ illud baptismi uotum, quod hic infulcit adversarius, cùm non baptismus magis, quàm circumcisio, iterari vel debeat, vel possit. Et sanè clarum est in illis Prophetæ verbis nullo modo baptismi, vel circumcisionis significationem contineri. Quis enim illotum verborum *ingemuerit peccator*, hunc esse sensum putauerit, si pecator *circumcidatur*, aut *baptizetur*? hoc verò verbum Dei non est interpretari, sed pervertere, & hominum ludibrio exponere. An autem vel olim non circumcisus vel nunc non baptizatus, si illa quæ Propheta intelligit, omnia præstiterit, peccatorum veniam à Domino eo ipso consequuturus sit, non est quidem, ut reor, investigatu difficile, sed id tamen, quod ad præsentem quæstionem nihil pertineat, indiscussum nunc prætereo, cùm certum, ac evidens sit utrumque Prophetam, Isaiam scilicet & Ezechielem, de circumcisis, adeoque analogice de baptizatis loqui, de quibus solis nos quoque nunc disputamus. Ergo iis, quotiescumque in peccata lapsi ad Deum ingemiscunt, certa & parata est ex divina pollicitatione remissio. Reiectis igitur istis de baptismi votô Bellarminianis nugis quæ nihil ad rem faciunt, videamus iam an Prophetæ verbis confessio comprehendi, ac contineri possit. In primis fateor Prophetam non quemvis simpliciter, & absolutè gemitum intelligere; (alioqui dicendum esset etiam diabolis, & damnatis, qui in gehennâ gemunt, peccata remitti) sed eum, qui à peccati sensu, & detestatione, gratiæque divinæ desideriô proficiscitur, estque adeò cum fide, caritate, ac spe coniunctus. Primò ipsa Prophetæ verba id significant. Non enim ait, *Quoties damnatus, aut damnum passus aliquod ingemuerit*, sed quotiescumque *peccator* ingemuerit, satis eô innuens eum se intelligere, quem peccati non autem damni, aut iacturæ sensus urit, & ad ingemiscendum compellit. Sed & disertè omnem illam animi dispositionem, quæ in verâ pœnitentiâ requiritur, in citatô locô describit. Non enim (quod fingit adversarius simpliciter ait Propheta, *Quotiescumque ingemuerit peccator* (imò ne hæc quidem verba, ut diximus, uspiam apud eum sic leguntur) sed illa quæ suprà descripsimus, fusè expliciteque enarrat, *Si peccator egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque*

ceritque judicium & justitiam, & *pignus restituerit, rapinamque reddiderit, & in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum*; undè liquet quàm proterve suis lectoribus illudat Bellarminus, qui ex Prophetæ verbis, si ea simpliciter sumantur, conclusum iri ait sine fide, spe, & caritate homines justificari posse. Quasi quis possit sine fide, spe, & caritate, & pœnitentiam à peccatis suis agere & iustitiam facere, & in mandatis vitæ ambulare; vel qui hæc requirit in peccatore ad hoc, ut justificetur, is non etiam necessariò, ac evidenter in illò fidem, spem, & caritatem requirat. Quod si confessio apud hominem edenda illis quoque contineretur, quæ Propheta à nobis requirit, equidem faterer eum illam quoque à nobis exigere, ut à Deo peccatorum remissionem obtineamus. Sed eam non contineri primò ipsa Prophetæ verba ostendunt. Quis enim fando unquam audivit illis verbis *pœnitentiam de peccato agere, facere judicium, & justitiam, in mandatis Dei ambulare*, &c. significari; ad sacrificuli pedes procumbere, & sua ei peccata in aurem insusurrare? De Scripturis Dei actum est, si eas prodigiosis hujusmodi glossis, & ab omni usitata verborum significatione alienis corrumpere licet, neque jam miror, quod divina oracula quorum hoc esse ingenium putant, naso cereo comparent adversarij, qui in quamlibet partem inflecti queat, cùm hac interpretandi admissâ lege, nihil adeò absurdum sit, quod Scripturis non possit affingi. Sed & ipsi adversarij coguntur fateri illis Prophetarum verbis nihil de confessione significatum esse; cum quo tempore illa pronunciata sunt, nondum extitisse suæ confessionis legem concedant, adeoque iis verbis hoc unum à Iudæis ad obtinendam peccatorum remissionem exegisse Dominum, ut vera peccatorum anteactorum pœnitentiâ ducti sanctè & justè in posterum viverent, non autem ut ullâ apud sacrificulos auriculari confessione fungerentur. Cùm igitur una, immutabilis, constans, atque æterna sit divinorum oraculorum mens, atque significatio, nunc quoque necesse est, vel ista ad nos minimè pertinere, vel non alia à nobis quàm olim à veteribus exigere. Quod verò de remediis pro temporum varietate institutis miscet adversarius, id à re, quam agimus, planè alienum est; verum enim remedium Deus his locis peccatoribus promittit, nempe remissionem, & eas conditiones ab iis exigit, quæ ad id, quod pollicetur, obtinendum remedium satis sunt, pœnitentiam scilicet, & vitæ emendationem. Confessionem verò auricularem his remediis veluti necessariò à peccatore adhibendam, Deum ullo umquam tempore vel olim, vel nunc instituisse, neque hactenùs probavit adversarius, neque (ut ex iis quæ suprà disputavimus, apparet) in æternum probabit.

Cap. III.

Cap. IV.

Caput IV.

Argumentum quartum, ex locis Nov. Testam. ductum, in quibus significatur fidelium lapsorum peccata remissum iri, si ij pœnitentiam egerint. Quid sit μετανοεῖν pœnitentiam agere, iis verbis confessionem apud hominem minimè significari.

Sed quid ego in istis veteribus immoror? Clarum est ex novi fœderis libris non aliam nunc, fidelibus lapsis, quam olim veteribus, remissionis obtinendæ legem à Domino latam esse. Christus in Apocalypsi Ephesios, Sardenses, Pergamenos, Laodicenses, tum Episcopum, tuus etiam cæteros fideles, gravissimorum criminum arguit; Neque tamen his, ut admissorum veniam consequantur, & in suam gratiam restituantur, aliud præcipit, nisi hoc unum, ut pœnitentiam agant, planè, ut olim sub veteri testamentô. *Memor esto itaque* (inquit ad Ephesium Angelum) *unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Sic Pergamenum quoque monet; *similiter pœnitentiam age.* Sardensem itidem, *In mente ergo habe* (inquit) *qualiter acceperis, & audieris, & serva, & pœnitentiam age.* Neque denique aliter Laodicenum; *Æmulare ergo, & pœnitentiam age.* Ita cùm eos, qui apud Thyatirenses pseudo-prophetissæ mulieri Iesabel dabant operam, de suorum scelerum gravitate ac pœnis admonuit, non aliud ab iis exigit, quo paratam perniciem antevertant, nisi ut pœnitentiam ab operibus suis agant. Quò & illa Pauli ad Corinthios pertinent verentis, ne ii *sibi lugendi sint, qui ante peccavissent, neque pœnitentiam egissent super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserant,* unde liquet Apostolo satis futurum fuisse, si ii pœnitentiam peccatorum egissent. Ergo ex his constat non sub veteri modo, sed etiam sub Novo Testamento, iis fidelibus paratam esse apud Deum peccatorum remissionem, qui pœnitentiam de iis egerint. Neque enim quisquam, credo, dixerit Dominum Christum ea servis suis ad peccatorum, in quæ inciderant, remedium præcepisse, quibus ii si usi essent, nullam tamen inde eorum remissionem consequuturi fuerint. Atqui ea, quæ præcipit, omnia hujusmodi sunt, quæ plenè, planeque præstare potest, etiam is, qui sua peccata nulli sacrificulo enumeraverit. Quæso enim an non lapsus poterit & unè excidit meminisse, & agere pœnitentiam, & prima opera facere, quód Christus Ephesinæ Ecclesiæ & aliis præcipit, etiamsi nullum ex delictis suis sacerdoti in aurem immurmuret? Ergo nisi Christum suos inanibus verbis deludere (quod absit) putemus, & nihil profutura remedia præscribere, fateri necesse est etiam hujusmodi hominem, licet nulli sacerdoti peccata sua confessum, eorum tamen remissionem à Domino consequuturum. Quod si dicant adversarij (neque

Apoc. 2. 5. 16.

Apoc. 3. 3. 19.

Ibid. c. 2. 21.

2. Corinth. 12. 21.

que enim occurrit quid aliud respondere queant) ipsis illis verbis *pœnitentiam agere* & Christum, & Paulum auricularem suam confessionem complexos esse; quis illis tam audax, tamque absurdum commentum concesserit? Primò enim vox ipsa, quâ & Christus, & Paulus his locis & divini Scriptores alibi in hoc negotio passim utuntur, cum hac glossa vehementer pugnat, ea autem est μετανοεῖν *pœnitere*, vel ut (alij malunt) *resipiscere*; propriè & ex Etymô *mentem mutare*,& quæ ante probaveras, ea jam respuere, ac refutare. Iam quis Græcè peritus eum μετανοεῖν negaverit, qui admissum à se peccatum ex animo dolens,&ab eo totamente refugiens, benè sanctèque, & contra quàm hactenus egerat, vitam instituit; nisi idem quoque de suo illo peccato apud unum aliquem de sacrificulorum grege nudam & disertam confessionem ediderit? Ista verò tam sunt stulta, & ridicula, ut ea ne in ullius quidem sani hominis mentem venire posse credam. Τὸ μετανοεῖν ipsum animi ac mentis interiorem statum atque habitum significat: oris verba, & clancularia linguæ in aurem unius hominis murmura per se nō magis profectò significat, quam ambulationem, aut saltationem, aut quemvis alium externum corporis motum. Mitto veteres linguæ Græcæ de sæculo scriptores; de quorum in hac voce sensu, controversia nulla est. Ad sacrarum litterarum Græcos vel interpretes, vel auctores veniamus. Nullus profectò ex iis locus afferri potest, in quo illi verbo μετανοεῖν insolenti illo sensu usi sint, ut scilicet id non modò animum & mentem mutare, sed etiam prætereà peccatum homini in aurem confiteri, per se & necessario significet. Scio apud adversarios neminem vulgo dici *pœnitentiam egisse*, nisi qui peccata sua sacerdoti confessus fuerit, & aliquam insuper (ut loquuntur) satisfactionem præstiterit, & quidē hoc posterius iilis verbis potissimum apud eos significari. Nimirum error, & prava ex errore consuetudo vocabulorum apud eos usum hic, ut in plærisque aliis, invertit, ac immutavit; sed eum esse in sacris scriptoribus, de quibus nunc agitur, verbi μετανοεῖν, aut (quod ei apud Latinum respondet) *pœnitere*, vel *pœnitentiam agere* usum, & sensum; Nemo in iis versatus dixerit. Memini Bellarminum contendere pœnitentiæ vocem; non solam mentis mutationem aut erroris agnitionem, sed etiam detestationem peccati, & vindictam sponte assumptam significare; Eam verò, non id tantum, sed prætereà errati, aut peccati vocalem in aures alicujus sacerdotis confessionem ac declarationem significare; neque Bellarminus, neque alius quisquam, quod sciam, affirmavit. Ac ut res minimè per se obscura, clarius elucescat, aliquā de sacris literis exempla afferamus, in quibus voces illæ τοῦ μετανοεῖν,& τῆς μετανοίας à Spiritu sancto usurpatæ sunt, hoc est, ut reddit Latinus, *pœnitere* & *pœnitentiam agere*. Ac ex veteri quidem Testamentô immunerabilia pœnè loca, in quibus hæ voces reperiuntur, nihil opus est referre, quod ipsi adversarij concedant nullā in iis confessionem significari auricularem; quæ scilicet nondum in Ecclesiâ instituta, aut

Cap. IV.

L. 1 de pœnit. 7. toto. & 3. vlt

CAP. IV. aut nota erat. Quôd ipſum jam magno argumento eſt non aliter ea vocabula in Novo Teſtamento ſumi; cujus Scriptores ut notum eſt, veterum librorum verba, phraſes, ac ſermonem totum ſtudioſiſſimè imitantur. Matth.3.11. Luc.3.3 & 5.32. Ioannes certè, cùm ſe ait *in pænitentiam baptizare*, & *pænitentiam agere* jubet, & Lucas cùm ejus baptiſmum *pænitentiæ baptiſmum* vocat; & Chriſtus dum ſe miſſum ait *vocare peccatores ad pænitentiam*, & dum Matth.4.17. Marc.1.15. & 6.12. clamat, *pænitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum; pænitemini, & credite Evangelio*; & Apoſtoli dum prædicabant, *ut pænitentiam agerent*, nullam auricularem confeſſionem (quæ ſcilicet nondum obtinebat) præcipiebant, ac ut breviter dicam, nullus eſt in quatuor Evangeliis locus, in quo hæc vocabula ita ſumantur, ut etiam arcanam illam adverſariorum confeſſionem ſignificent, aut complectantur. Sed neque aliter uſurpata inueniuntur, poſtquam Chriſtus in cœlos ſubvectus fuit. Petrus verbi gratiâ dum Iudæos jubet *pænitentiam agere, & baptizari in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*; & dum eoſdem Act.2.38. poſteà ſic affatur, μετανοήσατε οὖν *pænitemini igitur, & convertimini*; & Act.3.19. Paulus dum apud Athenienſes ait, *Deum nunc annuntiare hominibus, ut omnes ubique pænitentiam agant*; & dum Agrippæ narrat ſe Damaſcenis Act.17.30. primùm, & Hieroſolymitanis, & in omnem regionem Iudææ, & Gentibus *annunciaſſe ut pænitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna* Act.26.20. *pænitentiæ opera facientes*; hi inquam, iis *pænitentiæ*, & *pænitere* vocabulis ſacramentalem confeſſionem nulli ſignificant, quam ne adverſarij quidem à nondum baptizatis, quales iſti erant, apud quos verba faciebant Apoſtoli, exigendam putant; ſed ſolam anteactorum peccatorum deteſtationem cum totius vitæ in melius commutatione. Ergo & Chriſtus in Apocalypſi eadem illa verba eodem quoque ſenſu uſurpavit, neque adeò aliud ab illis, quos iſtic alloquitur, fidelibus lapſis exigit, niſi ut animi, vitæque totius ſtudia, affectus, curas, & opera in melius commutent; ut ſua delicta alicui mortalium in aurem inſuſurrent, non ſignificat. Sed & ipſa quâ iſtic utitur, oratio clariſſimè oſtendit hanc fuiſſe eius mentem. Nam veluti explicans, quæ ſit illa pœnitentia quam Apoc.2.5.& 3.17.18. à ſervis ſuis requirit, jubet *iſtos meminiſſe unde exciderint, & prima opera facere, & ſuam miſeriam, paupertatẽ, cæcitatem, ac nuditatem agnoſcere & ab ipſo aurum ignitum, probatum emere, & collyrio oculos inungere*; quòd quivis videt nihil aliud eſſe, quàm depulſa à ſe vitiorum turpitudine, ac caligine verâ ſanctimoniâ vitam ornare, & pietatis, atq; caritatis Chriſtianæ operibus ſedulò incumbere. Cum igitur nefas ſit putare peccatorem ea, quæ ipſe Chriſtus præcipit, præſtantem peccatorum remiſſione fraudari, ea verò præcipiat Chriſtus, quæ nullam auricularis confeſſionis ſignificationem habent; concluſum eſto fidelem lapſum, etiam ſine ea, quorumvis peccatorum veniam à Domino per veram pœnitentiam impetrare poſſe.

Capvt V.

Argumentum contra confeſſ. V. ex oratione Dominica petitum, in qua remiſſionem peccatorum à Deo poſcimus, cum certa ſpe nos exauditum iri.

Sed hoc idem clariſſimè quoque ex eo conficitur, quod fideles ſingulos Dominus Chriſtus iubet peccatorum remiſſionem, à Deo Patre cœleſti petere; *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Matth. 6.12. Iam idem Chriſtus fideles, quicquid cum fide, & in nomine ipſius à Patre petiuerint; accepturos non minus diſertè promiſit, *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filiô. Si quid petieritis patrem in nomine meo hoc faciam. Amen, amen, dico vobis, Si quid petieritis in nomine meo dabitur vobis.* Matth. 21. 22. Marc. 11. 24. Ioan. 14. 13. 14. & 16. 23. Ergo peccatorum remiſſionem, quam & ipſe naturæ ſenſus, & Chriſti inſuper auctoritas, atque doctrina petere nos iubent; fideles à Deo, quoties petunt, obtinent. Petere autem quotidiè, atque aſſiduè, adeoque etiam tum cùm peccata nulli ſacrificulo in aurem reuelarunt, Chriſtus præcipit. Ergo & abſque præcedente apud ſacerdotem confeſſione, remiſſionem peccatorum à Deo accipiunt fideles. Neque reſponderi poteſt venialium tantùm delictorum veniam nos à Deo in oratione Dominicâ exorare. Chriſtus enim fideles in ſuo nomine patrem rogantes, quicquid petiverint impetraturos affirmat. Itaque ſi verax eſt, & conſtans criminum etiam mortalium remiſſionem nemo in fide, Chriſtique nomine petit, qui non eam impetret. Cur enim qui venialia nobis condonari petimus, mortalia remitti non precemur? Quin & mortalium remiſſionem vel præcipuè in oratione Dominica intelligi ex eo conſtat, quod ſic nobis debita noſtra dimitti petimus, ſicut nos debitoribus dimittimus. Atqui non levia tantum, ſed etiam gravia, & quidem mortalia peccata proximis ex Chriſti diſciplinâ dimittimus. Ergo & quæcumque commiſimus in Deum, etiam graviſſima & letalia, pariter quoque nobis ab ipſo condonari petimus; adeoque Chriſto teſte & auctore impetramus.

Caput VI.

Argumentum contrà Innocentianam confeßionem vi. *inde ductum quod Deus nobis peccata sic remittere in sacris litteris dicitur, ut nos proximis, qui in nos peccaverunt, remittimus.*

EADEM orationis Dominicæ nuper laudata verba rem eandem aliter conficiunt. Iis enim significatur *Deum peccata nobis sic dimittere, ut nos debitoribus nostris dimittimus.* Et Paulus idem docet, cùm jubet *nos invicem benignos, & misericordes esse, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit nobis.* Atqui nos iis, qui nos læserunt, aut in nos aliquid peccarunt, minimè hanc legem ferimus, ut quod in nos admiserunt non aliter iis dimittamus, nisi id se admisisse alij alicui confiteantur. Hæc durities à Christi disciplinâ planè aliena est, cujus illa extat de hoc negotio diserta lex; *si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Vides ut Christus, quoties frater tibi peccatum in te suum confitebitur, toties te ei dimittere jubeat. Ergo & Deus multò magis fidelibus suis quoties ii apud ipsum se peccasse confitentur, peccatum iis dimittet. Aliter neque quod docet Christus, is nobis sic dimittet, ut nos debitoribus nostris dimittimus; neque quod vult Paulus, ita condonat nobis in Christo, ut nos fratribus condonare debemus. Tu enim etiam ei, qui tibi se in te, peccasse confitetur, statim ex Christi disciplinâ, dimittis. Deus verò ex adversariorum hypothesi, non prius fideli lapso ignoscit, quàm se peccasse, non apud ipsum modò, sed apud alium, nempè sacerdotem, confessus fuerit. Quod quàm absurdum sit, nemo non videt. Sic enim statuitur maiorem & promptiorem esse sancti hominis, quàm Dei in condonandis peccatis facilitatem, ac lenitatem, quod & ab illis Christi & Pauli memoratis dictis, & ab omni divinorum Scriptorum doctrinâ, & à communi piorum omnium sensu alienum est, qui Dei in dimittendis peccatis benignitatem in infinitum suprà omnem humanam bonitatem ac misericordiam evehunt. Atque ex his omnibus patet, quàm falsa sit illa confessionariorum hypothesis, quâ statuunt fideli lapso nulla peccata remitti, nisi quæ non Deo soli, sed insuper sacerdoti in aurem confessus fuerit. Eâ autem eversâ una quoque corruit vocalis confessionis necessitas. Quando enim demonstratum est, eam esse Dei bonitatem, quæ fidelibus pœnitentibus, & ad se verè conversis, peccataque apud ipsum seriò confitentibus, & detestantibus delicta quævis condonat, apparet nihil necesse esse eos, quævis peccata ministris particula-

Eph. 4. 32. Col. 3. 13.

Luc. 17. 3. 4.

ticulatim, enumerare, ac explicare, ut eorum remissionem à Deo impetrent. CAP. VII.

CAPVT VII.

Argumentum septimum, ex parabolis filij nepotis, & publicani, Luc. 15. 11. 12. & 18. 13.

HVC etiam accedit, quod Christus duabus, iisque admodum insignibus parabolis, clarissimè expressit fideli, quantumvis lapso, statim paratam esse apud Deum veniam & reconciliationem, quoties is suscepta de peccatis suis vera pœnitentia ad ipsum conversus fuerit; etiamsi peccata sua nullũ apud sacerdotem vocali confessione enumerauerit. Vtraque habetur apud Lucam; ac prior quidem est, filij illius, qui cùm accepta à patre bona nequiter, ac flagitiosè prodegisset, atque dilapidasset, postremò in se reversus ad patrem flens, & delicta sua confitens venit, *Pater*, (inquit) *peccavi in cœlum & coram te jam non sum dignus vocari filius tuus.* Pater autem misericordia motus benigne eum excepit, dimissisq; preteritis peccatis, osculô stolâ, & annulô miserũ hominem dignatus est. Hac imagine & res ipsa demonstrat, & Lucas initio capitis testatur, adumbratam esse à Christo Dei in peccatores misericordiam, qui familia suâ primò libidinibus victi excesserunt, mox pœnitentes conuertuntur. Ergo ut nepotem illum suum pater iste obuiis ulnis pœnitentem excepit, peccata apud se confitenti ultrò dimisit, neq; eum ad aliquem ex famulis eadem ex ipsius ore auditurum ablegauit, pariter quoque statuendum est Deum fideles in aliquod peccatum lapsos, si ii ad ipsum convertantur, admissaque apud eum confiteantur, illicò summa benignitate excepturum, delicta iis sua dimissurum, neque ut sibi reconcilientur, requisiturum, ut uni alicui de suis ministris vitæ omnes, etiam arcanas, & ignotas labes denudent, atque in aurem sigillatim immurmurent. Nisi hæc ita se habere concedas, falsa erit & vana hæc omnis suavissima imago, neque ad rem ipsam congruet, eamque benignitatem & misericordiam Deo affinget, quæ tota ipsi re verà non inesse deprehendetur, quod quàm sit absurdum, & in Christi sapientiam contumeliosum, omnes intelligunt. Altera parabola in rem nostram multò etiam clarior & disertior est, in qua Dominus publicanum quemdam multis peccatis coopertum in templo Hierosolymitanô statuit; cæterum haud perfunctoriè pœnitentem, à longè stantem, neque oculos præ pudore ad cœlum attollentem; pectus percutientem, & apud Deum peccata humillimè his verbis confitentem; *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Denique significat hunc descendisse *justificatum in domum*

Luc. 15. 11. 18. 21.

Luc. 18. 13. 14.

Cap.viii. *suam*. Profectò vel ista (quod absit) inania sunt, nosque vana imagine deludunt, vel si quid verè significant, illud omninò significant etiam eum fidelem, qui peccatá, in quæ prolapsus est, soli Deo ex vero conscientiæ sensu confitetur, veniam ab Optimô Deô accipere, & cum eô reconciliari.

Caput VIII.

Argumentum viii. *ex Matth.* 6. 17. 18. *in quo j junium adeoque pœnitentia solô Deô consciô fieri jubetur, nullo homine teste.*

Sed inde videre est non fuisse hanc à Christo fidelibus pœnitentiæ legem impositam, quam docent adversarij, quod ille pœnitentiam nostram, non secus ac alia caritatis, ac pietatis opera, in arcanô, soloque Deo conscio fieri disertissimè apud Matthæum præcipit. Eô enim locô postquàm nos jussit eleemosynam ita facere, ut ne sinistra quidem nostra sciat, quid faciat dextra, promisitque Deum eleemosynam, quam in abscondito videt, redditurum nobis; similiterque orandum esse præscripsit in abscondito, etiam clauso cubiculi ostio; postremo etiam de jejunio, (quô indubiè pœnitentia, cujus jejunium vel pars, vel adjunctum est, synecdochicè, vel metonymicè significatur) paria tradit, *Tu autem* (inquit) *cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo qui est in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Primò ex superioribus patet Christum jejunium, quod in abscondito pater cœlestis videt, id intelligere, quod nemine penitùs homine conscio apud unum Deum fit. Eodem modo quô eleemosynam à patre in abscondito visam intelligit eam, quæ nullo prorsus homine, sive laïco, sive sacerdote conscio, sed uno Deo teste facta est; similiterque orationem, quam à patre in abscondito videri ait, eam indubiè significat, cujus nemo mortalium, sed unus duntaxat Deus nobis conscius est. Neque enim fas est suspicari, vel eleemosynam, vel orationem non valere, nisi quæ sub alicujus sacrificuli conscientia, facta est. Secundò observandū est hujúsmodi pœnitentiæ, sive jejunio (cujus scilicet nobis unus tantùm Dominus conscius est) Christum mercedem apud Deum promittere; *Pater tuus* (inquit) *qui videt in abscondito reddet tibi.* Atqui vera & propria pœnitentiæ apud Deum merces est peccati, ob quam ea suscipitur, venia, ac remissio. Ergo Christo teste, ac auctore, etiam ei, qui extra ullius hominis, adeoque & sacerdotis, conscientiam apud Deum jejunat, vel pœnitentiam agit, remittuntur à Domino peccata; quó nihil dici potest insano istorum errori magis

Matth. 6. 3.
ibid. ℣. 6.
ibid. ℣. 17. 18.

magis adversum, qui scilicet nullum statuunt fidelibus à Deo peccatum remitti, quod non confessi fuerint apud sacerdotem. Tertiò denique non modò Christus non docet jejunii & pœnitentiæ nostræ sacerdotem necessariò conscium esse debere, si quam ejus à Deo retributionem optemus (quod adversariorum dogma est) sed planè contrà, eam maximè pœnitentiam probat, maximeque apud Deum valere docet, cuius nobis nemo prorsus præter unum Deum conscius est. Itaque apparet hoc velle Dominum Christum ut nostra de peccatis admissis pœnitentia occultissima, atq; ab omnium omninò hominum oculis, ac conscientia remotissima sit, quoad quidem id arcanum à nobis servari vel decet, vel licet, hoc est nisi vel nostra ipsorum consolatio alterius opem requirat adeoque flagitet ut æstum animi nostrum cum aliquo fratre communicemus; vel ad communem fratrum ædificationem pœnitentiæ nostræ conscientia, vel etiam publicatio necessaria sit: quod tum usu venit, cùm peccata nostra publica, certè manifesta, & cum multorum scandalò conjuncta fuerunt. Extrà has species, clarum est ex hoc Christi præceptò occultam esse debere pœnitentiam nostrâm; sacerdotisque & cujusvis alterius hominis conscientiam non modo non requirere, sed etiam respuere ac refutare.

Cap. IX.

Capvt IX.

Argum. IX. *ductum ab eorum exemplis qui in Nov. Testam. remissionem peccatorum sine prævia apud hominem confessione acceperunt.*

Postremò cum ne unum quidem ex omnibus novi fœderis libris exemplum afferant adversarii alicuius fidelis, qui cùm lapsus esset non antè reconciliatus fuerit, quam ministro sua sigillatim peccata vel confessus, vel confiteri iussus esset, nos non unum, sed multa eorum exempla adducimus, qui cùm peccassent à Deo peccatorum remissionem ita acceperunt, ut ea sacerdoti alicui particulatim neque cōfessi, neque confiteri jussi fuerint. Refert Lucas mulieri peccatrici Christū ad suos pedes procumbenti, & vitæ labes deflenti, pœnitentiamque lacrymis testanti, remissionem illico repræsentasse. Confessam esse particulatim omnia sua crimina vel confiteri jussam esse, non refert. *Remittuntur tibi peccata*, inquit, Dominus ad mulierem. *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Ergo si quis eō exemplo peccator fidem & pœnitentiam suam Christo Domino testatus fuerit, & re ipsa æstimaverit; dubitandum nō est, quin is pariter remissionem & pacem impetraturus sit, etiamsi nullius sacerdotis confessionale tribunal adierit. Non enim Luc. 7. 37. 38. 48. 50.

CAP. IX. Christus à quô in cœlis sedet, inclementior aut durior factus est, quàm dum in terris versaretur. Ita & idem paralyticum dimittit apud Matthæum, *Confide tibi* (inquit) *remittuntur tibi peccata tua.* Neque Zachæum publicanum peccata vel apud se vel apud aliquem è ministris suis, confiteri jussit; sed perspecta ejus pœnitentiâ statim absolvit. *Stans Zacchæus, ecce inquit Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum; Quia hodie salus huic domui facta est, eò quod & ipse filius sit Abrahæ.* Ergo & ex hoc exemplô patet Christum à peccatore pœnitentiam, ac resipiscentiam duntaxat exigere, ut peccatorum veniam obtineat; non & confessionem auricularem. Denique Petro nemo dubitat, remissum fuisse ingens, quô se Christum abnegando obstrinxerat, crimen. Neque tamen hujus confessio, sed fletus & pœnitentia tantum leguntur. Ex his primò constat remissionem peccatorum iis dari, qui verâ delictorum pœnitentiâ compuncti ad Deum convertuntur; neque sub novô aliam esse remissionis legem, quàm sub Veteri Testamento. Tria respondet Bellarminus, sed quæ ad argumentum solvendum nullam vim habent. Primò ait, *quo tempore Christus propriæ vocis hominibus ministerio justificabat, nondũ eum confessionis sacramentum instituisse, proindè nihil esse mirum, si absque confessione peccatores reconciliavit.* Sed ille primò ridiculè supponit imaginarium illud sacramentum posteà fuisse institutum; quod quàm falsum sit, suprà demonstravimus, omnesque eas quibus id probare conatus est, rationes confutavimus. Tum sacramenti istius, etiamsi nondum instituti, si tamen id instituendum erat, decebat Christum specimina aliqua & figuras edere, eò impensiùs quod id novum & planè in Ecclesia inauditum erat. Neque Bellarminus fictitij hujus sacramenti figuras & umbras tum in Moyse, tum in Baptistæ, & Christi ipsius in terris versantis ministerio ideo scrutatus non est, quod id illis temporibus nondum esset institutum. Cùm ergo Dominus in tam præclaris occasionibus nullum istius (quod adversarij tuentur) sacramenti specimen ediderit, sed peccatores eadem ipse lege, quâ olim in Ecclesia reconciliari solebant, reconciliarit; apparet nunquam eum in animo habuisse quicquam hac in parte innovare; sed peccatores pœnitentes sub gratia eodem modo reconciliari voluisse, quô anteà sub naturæ & legis œconomia reconciliabantur, nimirum per fidem & pœnitentiam. Tum ait Bellarminus *Christum, auctorem sacramentorum, a sacramentis suis minimè pependisse, & ideo non modò sine confessione, sed etiam sine baptismo interdum remisisse.* Sed hæc solutio primò pugnat cum præcedenti. Supponit enim iam tum obtinuisse confessionem, neque sine ea ministros absolvere potuisse; quod præcedens negabat. Nam si aliter fuit, si nondum quisquam confessione cum tenebatur; quorsum iste nobis occinit Christum à suis sacramentis non pependisse? vel quid hoc ad rem facit! De baptismo quod affert, alienum est à proposito. Isti enim quos Christus dum in terris

Matth. 9. 2.
Luc. 19. 8. 9.
Matth. 26. 75.
L. 3. de pœnit. c. 17. § sed facilè.

terris essent, absolvit, si non baptizati, certè circumcisi erant, adeoque initiati, & Ecclesiæ insiti. Tum baptismus extra pœnitentiam est, de qua nunc agitur. Non enim ut confessionem, ita & baptismum, pœnitentiæ partem esse volunt aduersarii. Itaque valet argumentum nostrum. Ea enim pœnitentia, quæ remissionem peccatorum à Christo Domino consecuta est, vera & integra pœnitentia est. At pœnitentia sine confessione auriculari veniam à Christo, ut ex allatis exemplis patet, consecuta est. Ergo pœnitentia, etiam sine confessione arcana, vera & integra pœnitentia est; Integra porro non erit, si sit pars ejus integrans confessio auricularis; ergo fatendum est confessionem hanc partem pœnitentiæ integrantem (quod volunt adversarii) nequaquam esse. Postremò respondet Bellarminus *Christum Deum fuisse, & ideò peccata contra se suamque legem facta simpliciter donare potuisse.* Quasi verò quisquam conqueratur; aut Christum id jure suo fecisse neget. Nos verò, ex eô, quod peccata simpliciter donaverit, argumentamur ipsum & nunc quoque peccata pœnitentibus simpliciter donare. Adversarius, ait Deum illum fuisse: nos regerimus, & etiamnum Deum esse, eoque cùm idem sit, non alia nunc quàm olim, ratione, peccata suis pœnitentibus remittere. *Nos verò* (inquit) *ministri sumus, neque ut Domini sed ut judices à Domino constituti; vel solvimus, vel ligamus.* Primò hæc præter rem dicuntur, Quæritur enim num Deus peccata fidelibus nulla dimittat, quæ ii sacerdoti sigillatim confessi non fuerint? Ita dimisit Christus, & quidem, quod tu vis, quia Deus, neque alia, quàm pœnitens apud hominem confessus non erat, dimisisse Christum, ex Evangeliis quidem scimus. Ergo inquam & nunc Christus peccata pœnitentibus, etiam apud homines non confessis, dimittit, nulla adeo est ista immanis, quam tu statuis, confessionis apud sacerdotem edendæ necessitas. Quid tu mihi hic te, tuosque collegas narras, quasi de vobis, non de Deo & Christo sermo sit? Nos (inquis) peccata, nisi quæ cognita per confessionem habemus, dimittere non possumus. Esto, inquam, ut libet. Sed quando Christus pœnitentibus peccata ipse dimittit, ut ex allatis exemplis constat, frustrà nobis quæ tuæ tuorumque sint leges, hîc occinis: quando peccatoribus vestrô hîc ministerio carere, & ad Christi Domini clementiam confugere, atque ab ea peccatorum remissionem consequi licet; nisi tu fortè excipias, quæ à Christo sine vobis datur remissio, eam vitio dari, adeoque inanem esse: quod si cæteris persuadere possis, nobis tu quidem nunquam persuadebis. Quamquam & falsa sunt ea ipsa quæ iste hîc præter rem attulit; Ait se suosque judices esse, non dominos. Imò, inquam, ne judices quidem estis, si propriè loquendum est. *Quare* (inquit) *necesse habemus caussas diligenter expendere; & ex ipsa reorum confessione dijudicare, quid in re tanta sit nobis agendum ne [illegible] te peroeram ligemus, aut solvamus, & dum hominibus peccata rem[illegible] dominum offendamus.* Sed nos veterem hanc istius cantilenam ab[illegible] refutavimus; ostendimus

Cap. ix. dimusque nihil aliud esse, quàm meros logos, & inanes prætextus; neque ad hoc ministerium ritè obeundum necesse esse, ut minister accuratè, & ad unguem teneat, quoties quis, & ubi, & quando, & quibuscũ peccauerit; satis esse ut intelligat nũ qui peccavisse fatetur, verè eũ peccati pœniteat, quod ei scilicet & Christo mandatũ sit, nõ ut peccata pro singulorũ caussis, ac meritis vel puniat, vel impunita dimittat, sed ut peccatorem cujuscũq; sit generis, vel absolvat pœnitentẽ, vel liget impœnitentẽ. Ergo stat adhuc nostra ex istis remissionũ à Christo peccatoribus concessarum exemplis ducta prior ratio. Sed & ex iis aliter argumentari licet. Cùm enim Christus non tantùm Mediator noster fuerit, sed & Episcoporum princeps, circumcisionisque minister, dubitandum non est, quin sacri ejus in hoc genere actus absolutissimum quoddam exemplar constituant, quod & Apostolos, & omnes alios Evangelij ministros imitari decuit, nihilque in sanctissimô illô, quô cohonestati sunt, munere audere, in quô Christus ipsis non præiverit. Itaque cùm Apostolos in hanc Ioan. 20. 21. veluti provinciam mitteret, *sicut* (inquit) *misit me pater, & ego mitto vos*: significans ministerium, quod illis imponebat, quadantenus idem esse cum eô, quod ipse in terris ex patris mandatô, & voluntate gesserat, quatenus scilicet Apostoli ad salutis à se mortis pretiô partæ possessionem homines prædicatione Evangelij, aliisque à se institutis mediis, itidem ut ipse dum in terris versaretur, vocaturi erant. Vt ergo in celebranda (verbi gratiâ) Eucharistiâ id ipsum facere debent Ministri, quod à Christo in hoc genere factum narrant Evangelistæ; ita in remissione peccatorum dispensanda non aliam regulam sequi debent, quàm Magistri exemplum. Vnde sequitur, cùm testentur divini scriptores Christum pœnitentibus peccata simpliciter remisisse, neq; ullam apud se auricularem singulorum delictorum enumerationem à quoquam exegisse, debere ministros eodem se modo cum fidelibus lapsis gerere, & ab iis solam pœnitentiam, non autem morosam illam & accuratam peccatorũ enumerationẽ ad hoc exigere, ut delicta iis Dei nomine remittant. Respondet Bellarminus verba illa, *sicut misit me pater, &c. non ita accipienda esse, quasi eodem modo debuerint Apostoli omnia facere, quæ a Christo ipso fiebant.* Sed neque ego de omnibus simpliciter hæc intelligo; non verbi gratiâ de iis, quæ extra ordinem & per miraculum gessit, propriè qua Deus erat aut Christus; sed de iis tantùm quæ ad prædicandi & Evangelizandi ministerium pertinent, quod Apostolis quadamtenus cum Christo commune fuit, in quo genere est peccata pœnitentibus remittendi potestas. Sed si ita est, inquit adversarius, *non debuissent Apostoli* Actor. 2. *baptizare in remissionem peccatorum, quia Christus sine baptismo peccata remisit Magdalenæ, & paralytico: nec debuissent*, Actor. 8. *per impositionem manuum Spiritum Sanctum dare, quia Christus non manus imponendo, sed insufflando Spiritum Sanctum dedit*: Ioannis 20. Ego verò nego hæc quæ iste colligit, ex iis sequi quæ sunt à nobis posita. Baptismi quidem enim ratio

L. 1 de pœn. c. 18. §. Respondeo verba illa.

alia

alia fuit Christo resuscitato & in cœlos subvecto: alia eodem ante mortem adhuc in terris versante. Cùm enim Christo in terris versante, valeret adhuc circumcisio, quicumq; circumcisi erant pro fidelibus habebantur, neque adeò baptismo necessariò indigebant. Christo verò in cœlos subvecto, cum abolita esset Mosaïca disciplina, circumcisionis adeò nulla amplius vis esset, baptizari omnes in Christi nomen decuit, etiam eos qui circumcisi erant. Itaq; mirandum nō est, quod Apostoli baptizarint, Christus nō baptizarit eos quibus peccata remittebant. De impositione verò manuum quod affert, nihil ad rem præsentem pertinet. Primò enim illud, quod à Christo Apostolis insufflando collatum est Spiritus donum aliud fuit, quàm quod ab Apostolis iis dabatur, quibus manus imponebant. Illud ad Apostolicum munus pertinebat: hoc ad miracula, & ad confirmandam extraordinariis illis donis Ecclesiæ nascentis fidem. Peccatorum verò & à Christo, & ab Apostolis data remissio eadem utraque est, & eodem pertinet. Tum insufflatio, & manuum impositio rem si eadem esset, non mutarent; illa vero, quam isti exigunt, Christus non exegit, peccatorum singulorum enumeratio totum hoc negotiū ita penitus immutat, ut nihil amplius sit simile. Et ipsi volunt quod ipsi gerunt, sacramentum esse; quod fecit Christus Sacramentum fuisse negant. Denique quod subiicit Bellarminus *Christum Apostolos misisse, sicut ipse à patre missus fuerat, primò quia potestatem eis ligandi, & solvendi dedit, ut ipse à patre acceperat; secundò quia ad id eos misit, ad quod ipse fuerat missus, videlicet ad reconciliandos homines Deo, ad Evangelium prædicandum, ad Ecclesiam propagandam; denique quia misit eos non ad delicias, sed ad crucem,* id inquam totum admittimus; neque sane reiicimus quod idem observat, Christum, ut filium, potestatem multò maiorem, quàm Apostolos accepisse, talem, scilicet, ac tantam, ut posset etiam sine Sacramentis iustificare. Tantùm quod cum nullo istorum pugnat, contendimus, cùm Christus velut Dei minister peccata hominibus in illis, quæ attulimus ex Evangelio, locis remiserit, debere quotquot ad simile ministerium vocati sunt, Christum in eo gerendo imitari, idque facere ac sequi, quod ille præivit; nullam adeò peccatorum singulorum enumerationem à fidelibus lapsis exigere, à quibus scilicet nullam ille exegit, solam ab iis pœnitentiam requirere, quam unam Christus in iis, quos ipse reconciliavit, fidelibus requisivit. Quod verò obiter innuit Bellarminus hoc confessionarium negotium Sacramentum esse; id falsissimum est, sed ad aliam controversiam pertinet. Remissio peccatorum, quam ministri pœnitentibus conferunt, pars est illius Evangelij, cujus prædicatio ipsis commissa est, estque mera divinæ per Christum gratiæ, ex muneris iure ac potestate annuntiatio; Sacramenti propriè dicti nulla pars est.

CAP. 15.

Capvt X.

Deinceps contrà confess. Innocent. rationibus pugnatur. Ratio I: inde ducta, quod ipsi adversarij fateantur & venialia, & mortalia, quorum reus non meminit, citrà confessionem dimitti: quo demonstratur eorum de confessione dogma multis absurdis involui.

Atqve ex his patet Romanæ confessionis mysterium cum divinis litteris pugnare. Sed quoniam pro eô Bellarminus aliquot rationes attulit, quas nos suprà dissolvimus. nunc breviter ostendendum hoc istorum dogma rectæ quoque rationi adversari.

Quod in primis ex eô videre est, quod cùm isti, velut totius negotij fundamentum ponant, nullius peccati à Deo remissionem haberi, nisi quod reus apud Sacerdotem confessus fuerit, mox coguntur id ipsum negare, nobisque concedere duo peccatorum genera, quæ latissimè patent, remitti etiam minimè confessis; prius eorum, quæ ipsi venialia vocant; alterum eorum quorum reus non meminit. Atqui ratio dici non potest, si ista absque vocali confessione remittuntur, cur non & cætera omnia eadém quoque ratione, id est sinè confessione, remittantur. Primò enim Christus iis verbis, in quibus isti confessionem institutam, ac præceptam esse volunt; nempe Ioannis capite vicesimo, peccata simpliciter dicit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis retenta sunt.* Non dicit, Quæ mortalia remiseritis, remittuntur; vel, Quorum quis meminit, si ea remiseritis, remittuntur; sed purè, ac simpliciter, *Quorum peccata remiseritis.* Ergo si, quod isti volunt, iis verbis & sequentibus significatur, nulla Apostolos, & sacerdotes, nisi vocaliter confessa, remittere debere; neque cuiquam à Deo remitti, nisi quæ ab Apostolis & sacerdotibus fuerint remissa; profectò nemo non videt consequens esse, neque venialia quæ confessi non fuerimus, neque ea, quorum obliti fuerimus, quæ scilicet confiteri etiamsi velimus, non possumus tamen, nobis à Deo ex istorum principiis remitti. Idque hinc eo validiùs concludendum est, quod Bellarminus de loco quodam ex Actis Apostolicis disputans, hanc nobis legem tulit, *Scripturam. cum ea absolute de peccatis loquitur, ubique de omnibus peccatis intelligi & solere & debere, & si liceret exponere de quibusdam, non autem de omnibus, absurdissimas sententias in divinis litteris inventum iri.* Tum hæc exempla ex Scripturis affert; *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Confide fili, remittuntur tibi peccata; dimitte nobis debita nostra. Ecce qui tollit peccata mundi,* &c. Atqui in his clarum est omnia omninò pec-

Ioan 20. 23.

L. 4. de pœni. c. 4. 5. Altera solutio.

Matth. 1.
Math 9.
Luc. 7.
Ioan. 1.

nò peccata intelligi, non tantùm mortalia, sed etiam venialia; neque ea tantùm, quorum rei meminerunt, sed etiam ea quorum sunt obliti. Ergo Bellarminus, si huicà se ipso latæ legi stare velit, necessariò confiteri debet in illis Christi verbis, *Quorũ peccata remiseritis, remittuntur eis; quorũ retinueritis, retenta sunt*, in quibus ut patet, de peccatis absolutè Dominus loquitur, peccata omninò omnia intelligi, nõ modò mortalia, sed etiã venialia, neq; modò ea quorũ reus meminit, sed etiã ea, quorũ non meminit. Cũ igitur adversarii velint Christũ iisdẽ illis verbis significasse, primò nullum nobis eorũ peccatorũ, de quibus intelligit, remitti à Deo, nisi quod idem remissum fuerit à sacerdote (ut suprà disertè contendebat Bellarminus) secundò nullum eorum de quibus loquitur à sacerdote remitti debere, nisi quod reus ipsi vocaliter confessus fuerit; evidenter sequitur peccata neque venialia, quæ confessi non fuerimus, neque ipsa mortalia, quorum, cum confiteremur, non meminimus, ea nobis à Domino remitti; quæ scilicet à sacerdote ideò remitti nobis non potuerunt, quod is ex hypothesi nulla, nisi apud se confessa, dimittere potest. Atqui utrumque negant aduersarii; (concedunt enim & venialia, & quorum solo memoriæ vitio, obliti sumus, utraque licet non confessa remitti.) Ergo hoc eorum dogma manifesta contradictione implicitum & involutum tenetur; ex quâ non aliter licet emergere, nisi confitendo, quod res est, quodque nos defendimus; nimirum & ministrum, etiam quæ reus vocaliter & particulatim confessus non est, peccata dimittere posse, si modo pœnitentem eum viderit; & Deum, etiam quæ à ministro non sunt remissa, remittere ipsum reo, si modò is verè contritus, veraque pœnitentiâ apud Deum functus fuerit; neque quicquam contrà hæc efficere, Christi apud Ioannem verba; quibus si illud utrumque significari, ut antea pertendant, hinc porrò necessariò eò deducuntur, ut fateantur neque venialia non confessa, neque mortalia ipsa obliuioni tradita, à Domino Deo ulli remitti; quod ipsi utrumque absurdissimum, ac falsissimum esse concedunt. Neque verò res ipsa magis, quàm Christi apud Ioannem oratio suadet, ut duo hæc peccatorum genera à cæteris distinguantur, ac excludantur, quæ apud sacerdotem confessa remitti volunt. Nam ut de iis priùs dicam quorum nobis obliuio obrepit, non ideò pœnâ reus afficitur, quod peccati, quod admisit, meminerit, Si modò id eum admisisse, constet, jure plectitur; Siue meminerit, siue non meminerit. Itaque Deus cum is sit judex, quem nihil potest vel fallere, vel latere, omninò pœnas ab eô reposcet, qui peccatum admisit, etiamsi is se admisisse non meminerit; quia nimirum judicium ex cujusque non memoriâ, vel obliuione, sed factis admissisque vel non factis, neque admissis, instituitur. Alioqui nemo esset tam nocens; qui inducta siue fortuitò, siue consultò (ut per aliquam medicatam potionem) rerum præteritarum obliuione evadere, pœnasque debitas effugere non posset. Aduersarij ad hoc ut nocens evadat, hanc unam rationem sup-

Cap. x.

ubi sup. c. 1. §. Tertio colligitur.

Cap. x. petere aiunt, si is peccata sua sigillatim, ac disertè apud sacerdotem confessus fuerit. Qui autem delictum admisit, etiamsi non meminerit, non ideo tamen nocens non est. Ergo & qui non meminit, is quoque peccatum confiteri apud sacerdotem debet, si modò evadere cupit; peccatum verò, qui non meminit confiteri particulatim non potest, ergo neque peccatum ex istorum hypothesi, ei qui non meminit remitti potest. Remitti autem ipsi vi veritatis coacti concedunt. Ergo id quoque, quod ex inde evidenter consequitur, confiteri necessariò debent, etiam peccata sinè vocali confessione remitti posse. Neque verò respondere est ita quidem remitti quæ non meminimus; quæ verò meminimus, non aliter quam per confessionem remitti. Nam ut modò diximus, cùm peccata neque ideò remittantur, quod reus eorum oblitus sit, neque ideò plectantur, quod meminerit; apparet istam reorum vel recordationem, vel oblivionem nihil ad hoc negotium facere; planeque & qui meminit, & qui oblitus est, utriusque quod ad peccati remissionem, vel ultionem attinet, eandem esse rationem; imò si benè res putetur, eius qui oblitus est aliquantò etiam deteriorem; qui eò ipsò, quod se peccasse oblitus est, testatur se leviori peccati sensu affectum fuisse, quàm eum, qui cum peccaverit, se peccasse meminit. Itaque cum reo etiam quod oblitus est crimen à Domino sine explicita apud sacerdotem confessione remitti fateantur; profectò multo magis fateri debent, etiam absque eâ id crimen remitti cujus reus & meminit, & vera apud Deum pœnitentiâ ducitur. Alioqui enim deterior eius erit conditio, cui maior inesse videtur peccati sensus. Caius enim verbi gratiâ, & Sempronius idem uterque peccatum furtum si lubet, vel cædem, vel fornicationem admiserint. Caius vel statim, vel paulò post compunctus peccati aculeos, in memoria, in mente, in animo infixos nocte dieque gerens apud Dominum ingemiscat. Sempronius verò sibi carnique suæ indulgens de suo hoc peccato usque adeo non cogitet, ut etiam peccasse se póstremò obliviscatur. Iam adversarij Sempronium peccati hujus sui remissionem à Deo consequi posse putant, etiamsi id nulli sacerdoti in aurem confessus fuerit. Caium verò sui, cuius meminit, nō aliter à Deo veniam impetrare posse contendunt, nisi id apud sacerdotem disertè confessus fuerit. Ergo eius, qui deterior est, meliorem conditionem, ejus qui melior, deteriorem esse statuunt: nisi vel qui peccasse se & meminit, & doluit, eò deteriorem dicant, qui peccasse se usq; adeò non doluit, ut ne meminerit quidē; vel ejus conditionē meliorē, qui explicitè diserteq; peccatū suum apud hominē confiteri, ac recensere, eoq; erubescere cogitur, quàm ejus qui sinè omni hac apud hominem confessionis, & erubescentiæ sarcinâ, veniam ac remissionem à Deo sola interiori pœnitentia impetrat, quod utrumque cùm absurdum, liquidoque falsum esse constet, concludendum deniq; est stultam, & absurdam esse omnem hanc istorum disciplinam, quæ contra omnem justitiæ, ac æquitatis lucem,

iudicem, eum qui melior est, deteriori, qui deterior, eum meliori loco esse vult: eoque redeundum quod nos docemus; Deum scilicet hominum peccata non ex vocali eorum apud hominem confessione, quod isti volunt, sed ex interiori singulorum pœnitentia, quod & diuinæ litteræ testantur, & nos secundùm eas defendimus, remittere; contrà ea retinere, ac punire non quæ quis apud hominem tacuerit, sed quorum nulla quis apud ipsum pœnitentiâ affectus fuerit. Idem quoque ex venialium consideratione conficitur. Nulla enim ratio vel ab istis affertur, vel rem accuratius intuenti, occurrit, cur si mortalia apud sacerdotem necessariò confitenda sint, venialia quoque pariter confitenda non sint. Non iam urgeo futilem, & inanem, planeque ab hominibus confictam esse istam peccati in Deum admissi in mortale, ac veniale, distinctionem; cùm ex divinis litteris clarum sit nullum in Dei legem adeo leve peccatum admitti, quod non hominem per se efficiat mortis reum. Id enim licet verissimum sit, solumque omnem istorum de confessione doctrinam evertat, tamen quia controversum est neque absque longa à proposito digressione contrà istos constitui, ac defendi posset, in præsentia quidem mitto, alibi suo loco ac titulo seorsum in disputatione de peccati natura ac reatu pertractandum; idque unum nunc contendo, etiamsi, quod non est, verum esset quod isti statuunt, peccatorum scilicet quæ homines in Dei legem admittunt, per se alia esse mortalia. alia venialia, nullam tamen rationem futuram, cur non hæcæque ac illa necessariò confiteri homines debeant, aut cur hæc magis quam illa, absque eâ confessione à Deo remittantur. Aiunt sacerdotem judicem Dei loco apud nos fuisse constitutum; eoque nobis apud ejus tribunal necessariò comparendum esse. Atqui Deus non de venialibus minus quàm de mortalibus judicat. Ergo si suis ipsi placitis stare velint necesse est, ut statuant non minus nos venialia, quàm mortalia, sacerdoti confiteri debere, Dei scilicet vice ac loco judicanti. Ajunt Christum disertè dixisse, quorum peccata sacerdotes retinuerint, (id est non remiserint. Sic enim illi quidem interpretantur) ea apud ipsum quoque Deum retineri, hoc est non dimitti. Atqui Christus hoc in genere de omnibus peccatis dixit. Ergo si sibi constare velint, id quoque necessariò tenere debent, omnia peccata adeoque & venialia; non aliter à Deo remissum iri, nisi ea sacerdoti revelaverimus. Atqui hoc quod ex illâ istorum hypothesi evidenter consequitur, absurdum tamen & falsum esse ipsi confitentur. (Docent enim venialia, ut alibi diximus, multis modis sine confessione apud sacerdotem dimitti) ergo & illam ex quâ hoc consequitur, hypothesin falsam & absurdam ipsam quoque esse confitendum est; scilicet mortalia sine vocali apud presbyterum confessione dimitti non posse. Neque verò quisquam putet hinc istos facile evadere posse, quod dicant venialia mortem non mereri; eoque minimè iis peccatis contineri quæ isti sub mortis æternæ pœnâ necessariò confitenda esse docent. Primò

CAP. X. enim isto effugio confici quidem videtur, eos mortem æternam non mereri, qui venialia confessi non fuerint, non efficitur eos alias pœnas venialibus, citrà mortem, constitutas non mereri. Ergo saltem hinc sequetur nullum veniale peccatum, sine confessione, à Deo remitti; adeoq; quicumq; venialia, quorũ sint rei, apud sacerdotẽ confessi non fuerint, eos legitimas talibus peccatis cõstitutas pœnas, vel hic, vel in purgatorio omninò atque inevitabiliter daturos. Atqui utrumque isti negant; volunt enim plurimis venialia, etiam apud sacerdotem ea minime confessis, plane, penitusque sic remitti, ut nullas unquam eorum pœnas, vel in hac, vel in altera vita, sint daturi. Tum neque ex hoc effugio id revera sequitur, quod ex eo sequi videri diximus, nimirum qui non confitetur venialia, non ideò eum mortis æternæ reum fieri. Si enim hæc lex à Christo omnibus alicuius peccati reis posita est, ut id sacerdoti confiteantur; apparet eum qui peccatum veniale non confitetur, præter ipsum illud veniale delictum, insuper violatæ neglectæque hujus à Christo latæ legis, reum esse; eoque mortem æternam mereri, cùm nemo non videat legem à Domino constitutam citrà mortalem noxam contemni, vel negligi non posse. Ergo peccatorem, licet non ipsum, cujus primò reus est, veniale delictum ad mortem obstringat: obstringit tamen alterum illud, cuius se non confitendo reum constituit, neglectæ scilicet vel contemptæ legis peccatum. Vt etiamsi bubula, vel suilla vesci per se peccatum non sit, nedum ut mortale sit, isti tamen mortale esse censent, quoties ita fit, ut aliqua ab Ecclesia constituta lex violetur. Sic igitur hoc loco, etsi peccatum veniale per se mortale non sit, eum tamen æternæ mortis reum efficit, qui venialiter sic peccat, ut de eô apud sacerdotem non confiteatur; quod ex hypothesi erat à Christo præceptum. Sed & rem ipsam qui apud se expenderit, ita habere comperiet. Nam quantumvis levem esse dicant venialium pœnam, non negant tamen iis aliquam Dei offensam contineri. Iam juris est naturalis, ut superiorem quisquis offendit, deprecetur, & ei de illata iniuria (ut veteres loquebantur) satisfaciat, hoc est testetur se quod fecit, factum nolle, & quisquis alicujus in superiorem offensæ reus, id officij negligit, eo ipso gravi peccato se obstringit, ipsum naturæ jus violando. Esto igitur; qui delictum veniale admisit, mortem æternam eô minimè commeritus fuerit. Meretur tamen, si Deo quem læsit, non conatur satisfacere; si ejus quem pulsavit ac offendit animum sibi conciliare non studet, satisfaciendi autem, & conciliandi non alia est ex hypothesi ratio, quàm si sacerdotem, quem Deus suo loco apud nos esse voluit scilicet, adeat, eique delictum suum, quantumvis alioqui per se leve, confiteatur. Ergo quisquis id facere negligit, mortis reus esse censendus est, qualecumque cæteroqui fuerit ejus peccatum, sive mortale, sive veniale. Quod præter superiora, etiam illud docet, quod Bellarminus disertè tradit etiamsi possint privati homines lites, quas inter se habent, sine publicorum judicum sententia

L.4. de pœn. c. 3. § sed hæc obiectio.

sententia componere, non posse tamen eas lites componere, quas cum Rege ipso habent, nisi illum adeant, quem loco suo Rex judicem esse voluit: porrò peccata omnia causas esse, quas cum Deo ipso habemus, & ideò cum Deus judicium de peccatis, sacerdotibus permiserit in Ecclesiâ sua, non posse qui in Ecclesiâ sunt, si eiusmodi caussas habeant, sine sacerdotum iudicio cum Deo reconciliari. Ergo cùm & venialia caussæ sint, quas cum Deo habemus (iis enim, licet minor, ac levior, quàm mortalibus, aliqua tamen contrahitur Dei offensa, alioqui ea ne peccata quidem essent) profectò neq; de iis Deo satisfacere, vel eorũ remissionẽ impetrare posse ex Bellarminô quidem censendi sunt, nisi qui sacerdotes adierint, eorumque judicium subierint; quibus scilicet ex adversarii hypothesi Deus judicium de peccatis in Ecclesiâ suâ permisit. Atqui hoc absurdissimum esse ipsi adversarii confitentur, quia omnia venialia, etiam absque vocali apud sacerdotem confessione quotidiè expungi, eorumque nos remissionem à Domino impetrare concedunt, ac docent. Ergo & generale de confessionis apud sacerdotem necessitate dogma, ex quo id absurdum consequitur, falsum quoque & absurdum ipsum esse necesse est. Cap. XI.

Caput XI.

Ratio II. ex eô sumpta, quod ea, quam isti exigunt, singulorum admissorum enumeratio, iniri à peccatore nequit; adeoque inter ea quæ ἀδύνατα sunt, censenda est Innocentiana confessio. Refelluntur adversariorum cavillationes.

Huc accedit quod accurata illa singulorum admissorum enumeratio, quam à confitente exigunt, res est factu non tantum difficilis, sed etiam impossibilis. Nam quisquis se diligenter excusserit, verissimum esse comperiet, quod ait Psaltes, *de licta quis intelligit?* Neque enim eorum tantùm confessio hîc requiritur, quæ ipso opere, sed etiam quæ verbo, quæ affectu, quæ ipsa mentis cogitatione peccata sunt; quæ sanè ferè innumerabilia sunt, etiamsi unius tantùm mensis calculus ineatur. Quid fiet si totius anni acta subducantur, ut apud istos vulgus semel tantùm quotannis confiteri solent? Respondet Bellarminus Catholicos *non jubere omnia omninò peccata enumerari. sed ea solùm quæ post diligentem excußionem memoriæ occurrunt; diligentem autem* (inquit) *excußionem vocant, quam in rebus gravioribus ordinariè homines adhibere solent. Denique id solum* (inquit) *jubent, ut peccata omnia quantum in nobis est enumeremus, dum coram sacerdote, conscientiam nostram aperimus.* Sed iste his paucis confessionis suæ omnia fundamenta evertit, quæ duo, sunt Psal. 19. 13. L. 3. de pœnit. 17. § sed obiect. o 1st.

præcipua

Cap. XI. præcipua suprà ab ipso posita, & passim ubique inculcata: prius nullum peccatum à Deo remitti, quod à Sacerdote non fuerit remissum; alterum sacerdotem peccatum remittere non posse, nisi quod cognovit, atque perspexit; quod cùm non aliter, quam ex peccantis confessione cognoscere possit, eo concludebat necessariam esse peccantium confessionem. Nunc hæc iste palàm subvertit. Illa enim peccata, quæ post diligentem excussionem memoriæ non occurrerunt, quorum adeò nulla facta est à peccante diserta confessio, vult nihilo seciùs remitti (nisi enim remitterentur vana esset, & inanis cæterorum confessio; quippe quæ peccatoré à morte æternâ ob ista omissa infligenda minimè liberaret) jam quæro à quonam ista remittantur? si à Deo remitti dixerit; ergo inquam, etiam ea remittit Deus, quæ non sunt à sacerdote remissa; frustraque adeò confessionis necessitas eô urgetur, quod sinè sacerdotis judicio nullum delictum remittatur. Si à sacerdote, ergo inquam etiam sacerdos ea de quibus non cognovit, remittit; adeoque frustra diserta singulorum delictorum enumeratio requiritur, quò possit sacerdos delinquentium peccata remittere. Tum Christus in verbis illis apud Ioannem, quibus omnem suam confessionem niti volunt adversarii, peccata simpliciter remitti, & retineri dixit; nullum peccati genus excepit, ut si peccata quæ ait, ea confessa sacerdoti, ut isti volunt. intelligit; planè actum sit de illis, qui peccatum aliquod suum non meminerunt. Nullã enim si istos audis, Christus veniæ aut remissionis spem iis peccatis facit, quæ non fuerint in sacerdotis tribunali revelata; revelari autem non possunt, quæ nobis memoria exciderunt. Neque video quid ad hæc respondere possint, nisi hoc unum fortè, se qui verba Christi de remissione peccatorum sacerdoti particulatim confessorum, quàm illa per se minimè significant, accipi iusserunt, eadem quoque auctoritate iubere, ut in iis subintelligatur peccatorum exceptio, quæ memoriæ non occurrunt. Quod quid aliud est, quam fateri non à Domino Christo, sed à se, verbo Christi illudentibus, ipsique ea, quæ minimè dicit, affingentibus, constitutum esse totum hoc confessionis mysterium? Atque ex his facile est perspicere, quàm putida sit Bellarmini cavillatio, qui hanc in nos & in Calvinum, objectionem repercutit; qui scilicet confessionem, quæ fit apud Deum, necessariam esse docemus. Quasi verò vel Dei eadem, quæ sacerdotis, vel confessionis apud Deum nostræ, eadem quæ confessionis apud sacerdotem Romanæ, ratio sit. Deus omnia peccata nostra, etiam minutissima, perfectissimè atque accuratissimè per se habet cognita. Sacerdos nullum novit, nisi quod nos ipsi revelaverimus. Itaque etiamsi Deo nullum ipsi confessi fuerimus, verendum tamen non est ne totam hanc caussam minùs perspectam habeat, aut aliquid per errorem minùs rectè judicet. In sacerdote planè alia omnia, qui cùm nihil, nisi quod confessi fuerimus, cognoscat, omninò de iis, quæ confessi non fuimus, judicare nequit. Vnde liquet vel nullum eius

sum eius esse de iis, quæ obliti sumus, judicium, vel certè eum, quod isti vehementer negant, etiam de iis peccatis judicare posse, quæ sigillatim cognita minimè habet. Ergo, quod nos confitendum Deo dicimus, non est perindè accipiendum, ac id, quod isti dicunt, sacerdoti esse confitendum. Hi enim peccatorem sacerdoti ideo confiteri volunt, ut is, peccata, quæ ipsi occulta erant, cognoscat, cognitaque caussâ judicet, ac remittat. Nos verò non idcirco Deo confitendum intelligimus, ut is discat, quæ sint nostra delicta, quæ multò scilicet meliùs, quàm nos ipsi, perspecta habet, sed ut pœnitentiam de admissis nostram apud eum profiteamur. Ergo illa peccatorum nostrorum apud Deum confessio non est quod falsò & versutè ponit Bellarminus, singulorum, quæ quisque peccavit, diserta enumeratio, quasi scilicet Deo quisque narrare debeat, quoties, ubi, quando, furtum, aut adulterium admiserit, ut solent apud sacerdotem confitentes. Stulta, & inanis esset talis apud Deum enumeratio; imò etiam indecora, & tanti numinis maiestate indigna; neque sane ullum eius occurrit exemplum in iis sanctorum, ac piorum hominum confessionibus, quæ in divinis literis non paucæ extant. Illa verò apud Deum etiam particularis, quam nos commendamus, confessio est agnitio reatus sui in hoc, aut in illô facinore; cùm apud Deum non modò in genere profitemur nos esse peccatores, multisque modis reos, sed etiam in hac, aut illa siue actione, siue cogitatione nostrâ (quam utpotè Deo notam commemorare, diserteque recensere nihil necesse est) nos peccasse, iramque Domini, ac maledictionem commeritos esse, ex animô agnoscimus, vitioque ex quô illa labes manavit, nuntium remittimus, emendatique ab avaritiâ verbi gratiâ ad liberalitatem, à proximi alicuius odio ad eiusdem amorem, à fornicatione ad castitatem conuertimur; Qualis est omnino Davidis de Betsabeæ adulteriô, Vriæque cæde apud Deum confessio. Neque enim, (quod apud aliquem adversariorum Sacerdotem confitentes solent) turpitudinum suarum historiam, aut narrationem pertexit (quod apud gnarum ineptè, atque absurdè fecisset) sed reatus sui magnitudinem multis verbis fatetur, atq; ut dignum est, exaggerat. *Iniquitatem* (inquit) *meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci; ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Ex quibus nemo non videt, quàm non modò inefficaces, sed etiam ineptæ, ac stultæ sint illæ à Bellarmino institutæ antitheses; *Quæcunque* (inquit) *Calvinus obiicit contrà enumerationem peccatorum in confessione, quæ fit homini, eadem obiici possunt contra enumerationem peccatorum in confessione quæ fit Deo. Nam si illa enumeratio est impossibilis, & hæc est impossibilis, si illa est crudelis carnificina, & hæc est crudelis carnificina; si illa facit hypocritas, & hæc facit hypocritas; & contrà; si hæc ab istis incommodis libera est (ut Calvinus dicere cogitur) quia non est facienda, nisi quantum in nobis est, & illa ab his incommodis libera est, quia non est facienda, nisi quantum in nobis est.* Frustrà in his anthi-

Cap. XI.

Psalm. 41. (lat. 50.) 5. 6.

Cap. xi. thetis triumphare sibi visus est bonus Bellarminus, cùm longè diversa sit utriusque confessionis ratio. Quæ fit homini, ideò fit, ut homo de peccatis cognoscat, de quibus nisi cognitis, eum isti judicare posse negant. Quæ fit Deo, non ideò fit, ut eum aliquid, quod ignotum antea habuerit; doceamus: Sed ut pœnitentiæ nostræ sensum apud eum profiteamur. Itaque illa omnia delictorum diserta ac explicata esse debet, quod ab eâ scilicet totum sacerdotis judicium pendeat. Hanc ita morosè & accuratè institui nihil necesse est; satis est, si per eam animi nostri de admissis dolorem apud Dominum fateamur. Illa peccati actum necessariò percenset diserteque prodit, ac narrat; Hæc nihil huiusmodi; sed reatum actuum suorum quos Deo notos esse scit, apud eum fatetur. Ergo ipsa illa peccatorum apud Deum enumeratio, ejusdem cum ea generis quæ fit apud sacerdotem, frustrà & falsò nobis affingitur; quasi nos scilicet aliquid huiusmodi necessariò fieri debere concedamus; quô urô sublatô ruunt omnes Bellarmini antitheses. Nam quis non videt veram ac sinceram reatus sui, non modò in genere, sed etiam in his, aut in illis actibus, agnitionem, neque impossibilem esse, neque crudelem carnificinam, neque denique hypocriticam? Sed quod nostra hæc apud Deum confessio ab istis incommodis libera sit, eò minimè conficitur, ut (quod vult Bellarminus) illa adversariorum apud sacerdotem confessio ab iis quoque pariter libera sit. Cùm enim eam ideò fieri velint, ut sacerdos de peccatis nostris cognoscat, apparet eam omnium, & singulorum esse debere; ita ut si qua omittantur, de iis sacerdos iudicare non queat, neque adeo ipsa nobis remittere. Ergo & illa frustrà sunt, quæ postremò Bellarminus adiicit; *Quemadmodum* (inquit) *in confessione, quæ Deo soli fit, post enumerationem eorum, quæ recordamur, addimus*, delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine; & peccavi super numerum arenæ maris; *& tamen omnium peccatorum indulgentiam expectamus; sic etiam in confessione quæ fit homini, vel potius per hominem Deo, post enumerationem eorum, quæ recordamur, addimus*, delicta quis intelligit? &c. *& nihilominùs integram peccatorum omnium indulgentiam expectamus*: hæc inquam frustrà sunt. Primò enim nullam vt diximus, peccatorum hujusmodi apud Deum enumerationem requirimus, qualis ea est, quæ ab istis apud sacerdotem exigitur. Secundò pœnitentiam apud Deum nostram de iis tum quæ recordamur, tum quæ non recordamur, veram & ex animô professi, meritò ab optimô & veracissimô Dominô omnium indulgentiam expectamus, quam is scilicet omnibus fidelibus sic affectis promisit. Isti verò eorum, quæ non commemorauerunt, indulgentiam frustrà expectant, si stant eorum hypotheses. Quæso enim à quo eam expectant? An à sacerdote? Atqui eum nonnisi de cognitis judicare posse statuunt. Ergo de istis quæ ille à confitente non reuelata, non cognoscit, judicare non potest; neque adeò ea cuiquam remittere. An à Deô? Atqui Deum cuiquam alia peccata re-

mittere

mittere negant, quàm quæ sacerdotis iudiciô remissa fuerint. Ergo hæc quæ à sacerdote remitti non posse confecimus, ne Deus quidem ex istorum dogmate remissurus est. Itaque cum eorum, quæ non meminimus, confessio sit impossibilis, concludendum est absurdum, & stultum esse omne istorum dogma, quô non aliter statuunt peccatorum remissionem haberi posse, quàm per confessionem apud sacerdotem factam.

Caput XII.

Ratio III. inde petita, quod Innocentiana confessio pœnitentes in dubitationes inexplicabiles inducit. Insignia B. Rhenani & G. Cassandri ea de re testimonia.

Sed & ex his apparet in quam difficiles, quamque involutos & inexplicabiles labyrinthos hominum conscientias hoc istorum dogma coniiciat. Nam cum à sacerdotis iudiciô omnem admissorum remissionem pendere velint, judicium autem à sacerdote non aliter rectè institui, uel ferri posse existiment, quàm si nos ei omnia de quibus judicaturus est. unà cum singulorum circumstantiis apertè, planeque, ac distinctè recensuerimus; hinc tot, tantasque dubitationes in fidelium animis emergere necesse est, ut nemo nisi per summam socordiam, de peccatorum remissione securus esse possit. Primò enim hic occurrit de venialium, & mortalium discrimine ingens dubitatio. Nam cùm ea distinctio subtilissima sit, ac ne à Theologis quidem ipsis plenè, pleneque definita, ut ex plurimis, quæ de hoc argumentô apud eos supersunt, concertationibus apparet, nedum ut plebeiis, vulgaribusque hominibus perspecta sit, necesse est eos, qui aliquam conscientiæ suæ curam gerunt, hîc inprimis hærere, ac dubitare, num omnia mortalia confessi fuerint? an non aliquid veniale esse errantes putaverint, quod re verâ mortale esset? Certè cum septem tantùm mortalia peccata numerent, facile fieri potest, ut plurimi maximè de vulgô, quæcumque istô septenariô numerô nominatim recensita non audiverunt, ea omnia venialia esse existiment, qui immanis est error, & à sacris litteris, & ab ipsis istorum placitis uehementer abhorrens. Itaque cùm paucissimi sint, maximè in plebe, qui certi esse possint se nullum mortale peccatum in confessione omisisse; clarum est cæteros id est plerosque omnes, perpetuò fluctuare, animoque angi & cruciari debere, de peccatorum remissione incertos, quam nisi confessorum scilicet à sacerdote dari posse non putant. Huc & altera dubitatio, pariter invicta, atque insuperabilis, accedit de iis peccatis, quæ sibi ex tantô numerô, aliqua memoria excidisse

Cap. xii. non modò suspicantur, sed etiam certò sibi persuadent, primò enim meritò, quod nuper demonstravimus, dubitant, an hujusmodi delicta sibi remitti à sacerdote potuerint, quem audiunt nisi de cognitis, judicare non posse. Sed & secundò, tametsi statuerint, (quod tamen cum istorum fundamentis irreconciliabiliter pugnat) etiam ea peccata à sacerdote remitti posse, quæ memoriæ vitiò omissa sunt, ne sic quidem hinc liberantur. Ecce enim altera hîc occurrit dubitatio, superiori non minor. Nam cùm isti statuant omnia quæ post diligentem excussionem memoriæ occurrunt esse confitenda, negent adeò ea ipsa quæ memoria non suggesfit, remitti, tum cum peccator se ipsum satis diligenter non excusfit, profectò & hîc unumquemque hærere necesse est, dubitantem scilicet, an satis diligenter se ipsum excusserit; an eam excusfionem hîc adhibuerit, quam in rebus grauioribus ordinariè homines adhibere solent. Imò si cordatus sit, vix hanc ipsam diligentiam satis esse sibi persuadebit. Quo enim majus est salutis & remisfionis, & peccati nostri cum Deo negotium, etiam grauisfimis maximorum principum, potentisfimarumque civitatum rebus, eò majorem, ac diligentiorem esse decet nostram de illô, quam istorum de his cogitationem, curam, ac (vt illi loquuntur) excusfionem. Iam uerò quotusquisque confitentium est, qui in se excutiendo parem istorum in expendendis atque examinandis sive suis, sive publicis negotiis, curam ac diligentiam adhibeat? Ergo & hic plerosque labascere, atque titubare necesse est, dum cogitant sibi fortasse multa excidisse, quæ si majorem in se excutiendis diligentiam attulissent, in memoriam revocare, ac ex oblivionis, ut sic dicam tenebris retrahere potuerint: quæque adeò sibi apud Dominum imputanda sunt, & ad æternam mortem, quâ digna sunt, damnanda; cùm scilicet suâ culpâ, ac negligentiâ factum sit, quo minus ea in lucem protraherentur, & confessa judicio sacerdotis remitterentur. Sed & aliæ similes de singulorum peccatorum circumstantiis quas &, ipsas quoque reuelari jubent, dubitationes necessariò exoriuntur, atque existunt; an nô scilicet aliquas, quæ peccatum aggravarent, aut eius speciê mutarent, confitens vel spontè tacuerit, vel imprudens, vel memoriæ quidem vitiô, sed aliquâ etiam mentis culpâ, quæ memoriam non satis diligenter excitarit ad hoc, ut earum reminisceretur. Neque abs re hæc à nobis observari docet ipsum Divi (ut vocant) Ignatii exemplum: quem Orlandinus refert confessionibus cum maxime vacantem in æstus, & pavores conscientiæ inexplicabiles incidisse, dum primo vereretur, ne multa memoriam suam in confessione generali fugissent, novæque semper aliæ ex aliis dubitationes orirentur, nullusque fieret scrupulorum & angorum finis, & infixus pectori vermis medullas carperet, & succum omnem pietatis voraret, etiam ipsas virium corporis reliquias depasceret; donec tandem post solidam unius hebdomadis inediam Deus veluti ἀπὸ τῆς μηχανῆς ipse apparens pristinam ei mentis tranquillitatem redderet. Sed & præ-

Orland. Hist. Societ. L. 1. §. 25. 26.

& præter istas, quas diximus, alia insuper succedit de ipsis, quæ meminimus, peccatis non levis dubitatio. Sunt enim multa, quæ quidam censent peccatorem vel non confiteri, vel certè non ita accuratè, ac enucleatè confiteri debere. Verbi gratiâ; Multi sunt casus, quibus confessionem licet non integram, validam tamen esse quidam ex istorum Theologis ajunt, alij negant; de quibus sigillatim dicere nihil necesse est. Videat, qui volet istorum apud ipsos lites. Sed & peccata quædam alij accuratiùs, alij minus accuratè confitenda putant. Toletus si peccatum fuerit nimis frequens, satis habet si confitens dicat saltem tempus, ut quod per annum habet in consuetudine blasphemare, vel falsò jurare, vel se polluere; & si etiam est in statu peccandi, sufficit exprimere tempus, ut dicere si meretrix est se per duos, aut tres annos fuisse expositam *cuicumque accedenti. At Emanuel Sa, Ego verò* (inquit) *non essem tam generali confessione contentus.* Ita Caietanus pluribus disputat non omnes peccatorum species in universum esse explicandas; quod esset nimis onerosum; sed eas tantùm, quæ diversum inducunt judicium confessori, ut diverso modo medeatur peccatori, cæteras, quibus explicatis non diverso modo iudicabit confessor peccatorem curandum, taceri & omitti posse putat, idemque sentiunt & Nauarrus, & Canus, referente Vasquez. Ipse tamen Vasques cum multis aliis huic istorum opinioni vehementer adversatur. Alias istorum lites, quæ de hoc argumento sunt pœnè innumerabiles, atque inexplicabiles, prudens mitto. Hoc unum aio miserum confitentem inter diversas istorum opiniones, velut inter oppositos scopulos deprehensum, necessariò fluctuare, ac torqueri dubium & ancipitem, & quid sequi debeat incertum. Sed & alia eum excipit omnium longe gravissima de contritione dubitatio; Nam cum Iesuitæ & confessariorum vulgus censeant confessionem cum solâ attritione, quæ dolor quidem est de peccato, sed imperfectus, ad remissionem peccati consequendam sufficere; alii sunt, & quidem præstantes, tum veteres, tum recentiores Theologi, qui id negant, & docent neminem sine verâ & intrinseca contritione, quantumvis confessum, peccatorum à Deo veniam impetrare. Istorum ergo pœnitentes primò laborare, atque æstuare necesse est, dum quærunt quid contritio sit, & attritio; Est enim alterius ab alterâ tenue ac subtile, adeoque cognitu difficile discrimen. Tum postquam pœnitens id quid & quale sit tenuerit, in magnis rursum versabitur angustiis, dum explorabit contritio ne sit, an attritio tantùm, is de admisso peccato dolor, quo se affici sentit, diuque, ac pœne semper illa animo obuersabitur cogitatio, fortasse attritum se tantùm fuisse, non autem & contritum; quod genus cùm invalidè ac sine fructu confiteri magni, doctique auctores sentiant, iste necessariò dubitabit, an sua confessio valida fuerit, hoc est inter cœlum, & Tartarum medius pendebit, constitutum non habens sibi-ne peccata verè remissa sint, & sors in iustificatorum, ac servandorum censu data, an secus. Mitto alias dubitationes,

Vid. Tolet. instr. sacerd. l.3.c.8. & alios in iisdem controversiis.
Tolet ubi supr. c. 7. § .9.
in Aphoris. Confessio.
Caiet. 1. Tom. opuscul. tract. 5. q. 4.
Nauar in cap. consider. de pœnit. d. 5. num. 17. 18.
Can. in 5. part. relect de pœnit. fol 101.
Vasq. in 3. Thom T. 4. q. 91. art. 1. dub. 2. num. 4. 5. 6.

Cap. xii. tiones, quæ ex satisfactionis, & absolutionis ipsius natura, quales istæ apud adversarios constituuntur, necessariò exoriuntur. Nam satisfactiones quidem, quæ ab istorum sacerdotibus imponuntur, Caietanus, & alij adeo elevant, ut doceant posse pœnitentem non acceptare pœnitentiam à confessario impositam, & dicere se velle eam in purgatoriô à Deo accipere, quod sanè ex istorum dogmate omnino consequens esse videtur. Toletus verò cum Paludanô & Sotô, & aliis multis necessariò in confitente requirit, ut paratus sit acceptare pœnitentiam, quam confessarius iniunxerit. Mitto alia dubia, quæ ex istorum doctrinâ de aliis conditionibus, tum in confitente, tum in absolvente adhoc, ut judicium, valeat, requisitis, necessario emergunt. Vnum tantùm superioribus adiiciam, quod ex iis, quæ Tridentini definiunt necessario oritur; *non debere pœnitentem, adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla ipsi adsit contritio, aut sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit; putet tamen se propter suam solam fidem, verè, & coram Deo esse absolutum. Nec enim* (inquiunt) *fides sinè pœnitentiâ remißionem ullam peccatorum præstaret, nec is esset, nisi salutis suæ negligentißimus, qui sacerdotem jocosè absoluentem cognosceret; & non alium sedulò agentem requireret.* Hæc illi. Ac id quidem, *quod fidem sinè pœnitentia remißionem ullam peccatorum præstare negant*, non jam sollicito. Id enim bene acceptum, verum esse confitemur; qui eam fidem, qua peccata nobis remitti docemus, nullam sinè verâ pœnitentiâ existere posse defendimus. Id tantùm observo, quod isti liquidò constituunt, *verè & coram Deo non absolvi pœnitentem confessum, si sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit.* Hinc enim clarum est omnem, quam isti confitentibus pollicentur peccatorum remißionem hujusmodi esse, de quâ numquam ipse certus esse possit. Nam cùm ea, ut isti definiunt, nulla verè detur, nisi à sacerdote, cui animus est seriò agendi, & verè absolvendi; an autem sacerdotis is animus sit, vel fuerit, nemo præter Deum & ipsum sacerdotem, certò scire possit; omninò efficitur, ut confitens, cujus veniam & salutem ab eo sacerdotis animo, pendere volunt, quem certo perspicere, ac nosse ipse non potest, perpetuò dubius, atque incertus de suorum peccatorum remißione fluctuet. Quô & illud postremò accedit, quod etiamsi pœnitens de sacerdotis animô certus esse posset, non ideo tamen de sua veniâ, ac remißione certus foret, quæ scilicet à validitate sententiæ sacerdotalis pendet. An autem valida sit ejus, à quô absolutus est, sententia, ipse certò scire non potest, quia scilicet nulla ratione certo explorare licet, an is verè sacerdos sit; Quippe cui fortaßè ab ordinante clauium potestas collata non fuit. Cum enim ad Sacramentorum effectum isti ministrorum intentionem necessariò requirant; sciri autem certò non possit, quæ ejus Episcopi intentio fuerit, qui hunc cui tu confessus es, presbyterum ordinauit, eo necessariò fit ut tibi perpetuò dubitandum sit, & de sententiæ qua te absolvit validitate, & de tuâ, quæ inde pendere fingitur,

In Summula verbo Absol.
Scot.
Medina q. 41. de conf.

Vid. Tolet. l. 3. c. 9. num. 6. instruct. sacerd.

Seff. 14 c. 6. extr.

Concil. Trid. Seff. 7. can. 1.

Cap. XII.

ſtagitur, veniâ ac ſalute. Sed hæc jam ſatis; ex quibus videre eſt, quàm verè Ioannes ille Geilerius Argentoratenſis olim concionator & Theologus à Beatô Rhenanô cum multa gravitatis, ac ſanctitatis laude memoratus, dixerit; *Thomam ab Aquinô, & Scotum, homines nimium argutos, confeſſionem talem reddidiſſe, ut juxta illorum deuteroſes impoſſibile ſit confiteri.* (Præfat in L. Tertu'l de pœnit. p. 471.) Tum de eodem iſta, quæ ſubiicienda putavi, narrat Rhenanus, *A Cartuſianis & Franciſcanis diſcebat* (inquit) *quibus tormentis quorumdam piæ mentes affligerentur ob confeſſionem, cui ſatisfacere, ut ipſis videbatur, nequirent. Similes querelas ad eum deferebant ſanctimoniales. Proinde motus fuit, ut libellum ederet in linguâ Germanicâ; cui titulum fecit, de morbo confeſſionis, quô urgabant eſſe triſtiorem; qui eo tenebantur. Erat Cartuſianus quidam, qui propter confeſſionem, quæ ei ſemper ob inexplicabilem circumſtantiarum vim imperfecta videbatur, ſed ipſe perfectiſſimam eſſe fruſtrà contendebat, huc miſeriarum venerat, ut omnem ſalutem deſponderet, & apocarteréſin cogitaret. Huiuſmodi homines illi libuit eo libello conſolari, id quod antea fecerat in ſcriptis ſuis paſſim Ioannes Gerſon, &c. Itaque Geilerio non diſplicebat confeſſio; ſed moroſitas illa & anxietas quorumdam, quam docent aliquæ recentiores ſummulæ, quæ juſtius alibi locum habeant, quam in bibliothecis. Hoc eſt nimirum artem tradere & methodum alicujus rei, quàm ipſe non probè calleas. Non quod negem in publicis ad populum declamationibus acriter objurgandum urgendumque & exemplis interdum, quod dicas, affirmandum. Sed interim bonæ mentes non ſunt debito ſolatio deſtituendæ, ne tyrannis, & carnificina conſcientiarum invaleſcat; haud paulò minùs nocitura, quam diſſolutio.* Hæc quidem Rhenanus. Caſſandri verò eadem quoque mens fuiſſe videtur, qui de confeſſione tradens; *Equidem* (inquit) *credo* (Consult art. 11.) *de hac re controverſiam nullam fuiſſe futuram, ſi non ſalutaris hæc confitendi medicina ab imperitis, & importunis medicis multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata fuiſſet; quibus conſcientiis, quas extricare & levare debebant, laqueum injecerunt, & tamquam tormentis quibuſdam excarnificarunt.* Hactenùs Rhenanus, & Caſſander, cætera quidem rectè; hoc verò nimium profectò patienter, ne dicam ſtultè; quod commune publicumque totius Romanæ communionis delictum ille quidem in Aquinatis ac Scoti argutias, hic verò *in neſcio quas imperitorum, & importunorum medicorum traditiunculas*, mente fortaſſe non uſque adeò malâ, conſiliô certè & eventu peſſimô derivare conantur. Sic enim Romanam Eccleſiam diri ac peſtilentis inſtituti invidiâ, quantum quidem in ipſis ſitum eſt, liberant; quaſi ſcilicet non ipſi iſtius communionis Pontifices, ipſaque eius publica ac univerſalia Concilia, ſed unus tantùm & alter de ſcholâ vel de cœnobiis homines confeſſionale iſtud tormentum vel docerent vel uſurparent. Vos verò, Rhenane, ac Caſſander, multum erratis, ſi ita ſentitis; reſque ita aperta eſt, ut vos, qui eruditiſſimi fuiſtis, de ea dubitaſſe vix in animum meum inducere poſſim. Quis enim neſcit, iſta, non Aquinatem, vel Scotum, Innocentio, Late-

Cap.xiii. ranensique ejus Concilio suggegisse, sed planè contrà, Innocentium & Lateranensem Synodum Aquinati & Scoto post natis præcepisse? illos ingenium fucandis tyrannorum edictis, interdum pœnè invitos commodasse? Certè Scotus multò, quàm Tridentini, veriùs ac sapientiùs de hoc argumentô philosophatus est. Quam enim hi à Christo in Evangeliô institutam, præceptamque fuisse confessionem docent, ille quantumvis maiorum auctoritate pœnè oppressus, fortiter tamen eam in Evangelicis litteris institutam negavit. Sed quod pace istorum dictum sit, ego quidem vereor ne & hoc locô, & alibi sæpè, Rhenanus, Cassanderque, & qui eorum similia sequuntur, ad hominum gratiam loquantur; & Romanorum quibus adulandum putant, offensionem declinantes, quæ ipsorum propriè crimina esse sciunt, ea in alios præter verum transcribant. Sed quàm frustrà boni isti quidem; sed meâ sententiâ, minus fortes, minusque prudentes viri, Romanis suis ita turpiter blandiantur, eventus satis docet. Nam Rhenani quidem totum istum, quem nuper repræsentavimus locum, imò totam in quô is habetur, in librum Tertulliani de pœnitentiâ præfationem unâ liturâ deleri iusserunt Inquisitores Hispani in utroque librorum expurgatoriô indice, quem Madriti anno & superioris sæculi 85. & hujus duodecimô excudendũ curarunt. Cassandrum verò ipsum inter auctores damnatos in ipsa primâ classe Tridentinæ Synodi deputati censuerunt. Vtcumque sit, vel ex duorum istorum testimoniis, qui alioqui Romanæ Ecclesiæ plus satis adulantur, patet non nostros homines vel primos, vel solos de Innocentianæ confessionis morbo, tyrannide, carnificinâ, tormentis, ac laqueis, conquestos esse. Nunc ad cætera veniamus.

Index Exp. Quirogæ p. 187. B.

Ind. Exp. Sandoval. p. 31. A.

Caput XIII.

Ratio IV. inde sumpta, quod adversariorum dogma efficit, ut venia, & qui emendatissimus est, absolutissimaque pœnitentiâ præditus, careat, & qui ne contritus quidem est, fruatur; quod absurdissimum est, & ab æquitatis, sanctitatisque divinæ rationibus alienum.

Qvarta ergo iam hæc esto contra auricularis confessionis mysterium ratio; quod ex isto dogmate sequitur hominem & verâ in Deum fide, & eximia in proximos caritate, & eorum in quæ incidit, peccatorum, sensu, ac pœnitentiâ absolutissimâ præditum gratiâ tamen, ac salute excludi; qui hæc in exiguô gradu, imò vix ac ne vix quidem habuerit, eum nihilo seciùs Deo reconciliatum iri, & cœlestis regni cõsortem futurum. Posse enim aliquem ad huiusmodi, qualem illius esse diximus,

diximus, sanctimoniæ mensuram, morumque emendationem, etiam sine auriculari confessione pervenire, docent tum Veteris Testamenti tempora, quibus cùm nulla fuerit Innocentiana confessio, extiterunt tamen viri, ac mulieres complures absolutissimæ pietatis, tum ipsa rerum ratio. Cur enim te Dei timor, Christique amor, & futuri sæculi spes, & gehennæ horror, & ipsa sanctimoniæ longè pulcherrima species, non queat ad peccati odium, pietatisque studium rapere, ac inflammare, nisi te quoque sacrificulus antehac aliquid si fortè peccavisse sciverit? Cur adulterium, aut furtum qui fecit, flagitium suum ex animô detestari, resipiscereque non valebit, nisi in unius hominis aurem crimen suum clam immurmuraverit? Eum tamen virum, qui absolutissima animi contritione peccata admissa defleverit, eorumque non modò habitus, sed minima etiam vestigia verô sanctimoniæ studiô ex moribus suis planè deleverit, isti negant, nisi ea ipsa, quæ correxit, ac emendavit, vitia, sacerdoti alicui confessus fuerit, vel eorum remissionem, vel Christi consortium à Deo impetrare posse. Quid istis dici potest incredibilius, aut stultitius? quid vel à divinarum litterarum perpetuô sensu, ac fide, vel à rectæ rationis judiciô magis alienum? Sed hoc ipsum, quod per se iam nimis erat admirabile, illud aliud oppositum, quod adiecimus, exemplum, etiam admirabilius efficit. Qui enim Deum fingunt ita inclementem, ac inhumanum, suæque ipsius naturæ ita oblitum, ut viris fide, ac sanctimonia singulari eam, quam & Scriptura & ratio iis pollicetur, veniam & gratiam neget; eundem mox illi ipsi ita solutum, ac mollem, & ab inhumana, quam ei modò tribuebant, severitate alienum faciunt, ut quam hominibus sanctis negabat, impunitatem, & gratiam, eam ultrò indulgeat peccatoribus, non modò non planè emendatis, neque ad bonam frugem reversis, sed ne contritis quidem, verum attritis duntaxat, ut cum istorum scholis loquar? Neque est quod respondeant nè baptismum quidem impunè vel ab hominibus emendatissimis contemni posse. Longè alia baptismi, alia confessionis auricularis ratio. Illum cùm palam ac sæpe & Christus & Apostoli commendaverint, nemo sine contumacia spernit, hanc, quæ, ut suprà demôstravimus, neque à Christo, neque ab eius ministris instituta, neque uspiam in Scripturis commendata est, sine ulla in Christum contumacia non modo nescire, sed etiam negligere licet. Adde ut alia mittam, quod baptismus Christianismi symbolum est, fieri autem non potest, ut symbola spernat, qui res ipsas, quarum symbola sunt, verè amat. Confessionem verò istorum auricularem aliquod esse Christianismi symbolum, apud Christum quidem, & veteres Christianos est inauditum. Cap. XIII.

CAPVT XIV.

Rationes V. & VI. inde ducta quod confessionis dogma & Deum ab homine pendere facit, & frustrà, ac inutiliter grave iugum hominibus imponit.

V. Præterea illa adversariorum confessio efficit, ut Deus in remissione peccatorum danda ab homine pendeat; (illi enim statuunt nullum fideli lapso peccatum à Deo posse remitti, nisi quod homini confessus fuerit) atqui hoc vehementer absurdum esse; præter Scripturæ testimonia, quæ remittendi peccati jus uni Deo tribuit, docet etiam principum sæcularium exemplum, quorum nemo est adeò ordinariis prætorum tribunalibus alligatus, qui non queat ipse subditis quævis delicta per se condonare; quique nisi hoc sibi liceat, maiestatem suam imminutam non putet.

VI. Adhæc cùm quæ sunt gravia, & onerosa, ea hominibus, nisi ob necessarium aliquem usum imponere non sit sapientis, non est credibile confessionem Innocentianam, omnium ipsis fatentibus adversariis, grauissimam, maximeque onerosam, Christianorum conscientiis à Domino, qui non modò sapientissimus, sed etiam optimus, ac mitissimus est, fuisse impositam; cùm nullus sit ejus proprius usus ad salutem & ædificationem necessarius; ut est à nobis supra aduersùs Bellarminum disputantibús fusè demonstratum.

CAPVT XV.

Ratio VII. sumpta ex damnis, ac periculis quæ ex confessionis istius abusu multipliciter oriuntur.

VII. Enimverò non modò nullam utilitatem, sed & multa gravissima damna, atque incommoda habet hæc istorum confessio. Ipsi negare non possunt, quin plurimi & sacerdotes & peccatores hoc institutô sæpe turpiter & abusi sint olim, & nunc etiam abutantur; quin multi ex ejus occasione in gravissima peccata lapsi sint. Neque verò est, quod respondeant istam non rei ipsius, sed hominum culpam esse. Non fuit ænei serpentis, sed Israëlitarum culpa, quod multi ex iis in idololatriam inciderint incensum serpenti illi adolentes. Nihilo seciùs laudatissimus rex Ezechias serpentem ipsum confregit, vocavitque nomen

2.Reg.(lat.4.) 18.4. eius Nehustan; idque Ezechiæ factum inter egregia, piaque ejus opera à Scri-

Cap. xv.

Scripturâ recensetur. Meritò. Quoties enim re aliquâ neque à Deo institutâ, neque ad pietatem necessariâ homines ad impietatem abutuntur, illa quantumvis per se alioqui non mala, neque noxia tolli potius, quàm servari debet, quod scilicet sine damnô ac periculô ea quidem carere, non item eam retinere possimus. Cùm igitur istorum confessio neque à Deo instituta, neque ad pietatem necessaria sit, multa verò ex hominum abusu damna, flagitiaque pariat, nemo non videt eam, etiamsi per se, suapteque natura innoxia esse fingatur, tollendam tamen atque abolendam esse; qua scilicet sublata quidem pietas nihilominus constabit, retenta verò multorum scandalum vitari vix ac ne vix quidem poterit. Quod si olim, ut posteà demonstrabitur, Nectarius Constantinopolitanus præsul ob unius mulieris infamiam, ortumque ex eâ scandalum, institutum à maioribus pœnitentiarii sacerdotis munus, meritò ex Ecclesia sua sustulit, atque abrogavit; quantò justiùs est Innocentianam istam confessionem aboleri, quæ tam multa apud Christianos scandala, & peperit iampridem, & quotidiè parit, & in posterum, quandiu retinebitur paritura est? Sciunt ipsi, quam turpes sæpe fiant in illius arcani colloquii latebris nundinationes, quamque multis mulieribus optandum fuerit numquàm esse confessas. Tegunt quidem ipsi hac suæ disciplinæ probra, omnemque adhibent operam nequid hujusmodi flagitiorum emanet in vulgus; sed nulla diligentia efficere possunt, quin multa vel ipsis prodentibus rescifcamus. Non dissimulat Erasmus *confitentes in eos sæpe sacerdotes incidere, qui sub prætextu confessionis patrant non referenda, proque medicis fiunt aut socij, aut magistri, aut discipuli turpitudinis.* Et, *utinam* (inquit) *videar hoc frustra monuisse, ac non tam multa passim exempla occurrerent, quæ nec sine dolore recordor, nec sine pudore possim referre.* Ex hoc sacerdotum genere ille fuisse videtur Monacharum præfectus, quem idem paulò ante narrabat cuidam esse Theologo *confessum sese stuprasse ducentas virgines.* Idem de Ferdinando illo Barrasa Complutensi sacerdote judicandum, qui teste atque auctore Orlandino, cum fictis quibusdam pietatis indiciis, & externa significatione modestiæ magnam sibi sanctitatis opinionem famamque collegisset, eoque velut hamo captum muliebrem sexum frequentem confessionis causa ad se attraxisset ac rapuisset, *hujus vicissim usu familiaritateque pellectus multa turpiter ac flagitiose patravit.* Nil opus est alia istarum turpitudinum exempla conquirere. Quam sit hoc familiare quorumdam Confessariorum flagitium satis loquuntur Bullæ Pii IV. & Gregorii XV. contra *sollicitantes in confessione* nominatim promulgatæ; illa quidem A.D. 1591. d. 16. April. hæc vero A. D. 1622. d. 30. Aug. Pius enim præfatur *se nuper accepisse diversos sacerdotes in regnu Hispaniarum, atque etiam in eorum civitatibus & diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus deputatos, Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abusi, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhone-*

Erasm. in Exhomologesi T. 5. p. 129. in.

Id. ibid. p. 128. extr.

Orlandin. histor. Societ. L. 9. §. 96.

Pius P. R. IV. Bulla ad Episcop. Hispal. A D. 1561.

stos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo & provocando, seu allicere & provocare tentando. Hanc vero turpitudinem etiam alibi æque ac apud Hispanos obtinere Gregorius eo satis fatetur, quod Pii bullam non solum in *illis Hispaniarum regnis, sed in quibusvis Christiani orbis partibus* valere, firmiterque ea observari jubet, quæ ad coercendam tantam confessariorum improbitatem vel Pius antehac, vel ipse nunc præcipit. Si quis vero rem totam sigillatim penitus perspicere cupiat, adeat proliχum de utraque hac Bulla Commentarium à Ioanne Escobar à Corro, Iuris utriusque Doctore, & fidei in Cordubensi Prætorio Inquisitore, ante annos septemdecim editum, qui hanc spurcissimam venerearum fœditatum sentinam immani diligentia atque optima fide eventilavit. Ac ne putes ista abs re, nulla necessitate tractari, iste inprimis testatur se hoc sollicitantium Confessariorum *nefas calamitosis his temporibus ita auctum & sæpius patratum, & sacrum pœnitentiæ lavacrum obscœnitatibus pollutum vidisse, ut magna in suos superna timeri possit ultio. a* Passim deplorat *hoc enorme facinus hac nostra tempestate in tantum crevisse, ut debeant omnes pro viribus ei occurrere, & ad hoc remedia opportuna apponere, b sacerdotes Confessarios* (quod *frequenter se vidisse* confirmat) *accedere quotidie ad sacram confessionem, sacrumque facere, & simul inhonestam vitam agere flagitiis carnis deditos. c* Ac licet professus se, quod rei malitia & damna verbis demonstrari non valeant, *id silentio involvere, d* multa tamen dicit, unde quanta sit instituti hujus pernicies, facile quivis intelligat. Nam & exempla nonnulla commemorat, quale illud est nobile inprimis, sacerdotis cujusdam Confessarii, à quo se novisse scribit *matrem & tres filias virgines in actu Sacramentali, sollicitatas & stupratas. e* & quæ sint sollicitantium artes, & delicta interdum argumenti necessitate compulsus pandit, ut *verba amatoria,* vel *etiam turpia & inhonesta* usurpare, mulieris confitentis *manum, aut pedem* aut faciem, vel quod est flagitiosius, *crura aut verenda attrectare*; etiam in *ipso actu Sacramenti* cum ea carnaliter commisceri. *f* Illud vero, quod alibi dixerat, plane singularis est nequitiæ, atque sacrilegii, cum confessarius hanc fœminæ pœnitentiam imponit ut ab ipso vapulatura corpus nudet, vel verenda coram eodem aperiat. *g* Neque in his consistere confessariorum impuritatem, sed ad nefandas libidinum ipsa naturæ jura violantium furias interdum ferri, satis patet ex multis quæ apud istum Scriptorem disputantur de confessariis vel *mares, & pueros ad turpia, h vel etiam fœminas ad posticum Veneris. i in actu Sacramentalis confessionis ante vel post immediate sollicitantibus.* Atque hæc quidem etiam plus satis sunt, ut quivis videat, quantarum impuritatum officina sit Innocentiana confessio. Sed & mundus novit nefaria funestaque totis regnis, ac rebuspublicis consilia in illo interdum secretô agitata fuisse; indeque aliquandò erupisse efferatos in principum cædem animos, armatasque ferrô impiô in publicam perniciem manus; & bella illa civilia, quæ religionis nomine ab Henoticis,

Gregor. P. R. XV Cõstitut. contr. sollicit. in Confess. A. D. 622. d. 30. Aug.

a I. Escob. Tractatu de Confessar. sollicit. in Exordio. p. 1. col. 1. edit. A. 1643

b ibid. Pact. 2. q. 1. § 1. extr.

c ibid. P. 2. q. 3. § 2.

d ibid. in exord. mediat.

e ibid. P. 1. q. 1 § 1. extr.

f ibid. P. 3. q. 4. § 2.

g ibid. P. 1. q. 4. § 2. num. 38.

h ibid. P. 1. q. 1 § init. & P. 3 q. 4 § 2. num. 30. § 3. n. 31. & q. 1 § 1. num. 13. 14.

i ibid. P. 3. q. 4 § 2. num. 37. & q. 1. § 1. num. 12. 13.

CAP. XV.

ut vocant, contra Henricum III. & qui ei successit cognominem principem sumpta florentissimum hoc imperium pœne subverterunt, ea inquam bella constat Confessariorum maxime consiliis atque artibus & primùm commota exarsisse, & postea iisdem flabellis suscitata, atque succensa tamdiu fuisse, ut vix restingui potuerint. Audi auctorem gravem Iacobum Augustum Thuanum pestilentissimæ illius conjurationis initia, quibus rationibus ac molitionibus primum conflari cœperit, enarrantem; *Ad incendendos (inquit) animos multum contulere concionatores palam ex ambone in Navarrum debacchantes, haud sine contumeliosis in Regem. quasi Navarro faventem, verbis, sed MAXIME omnium nõnulli sacerdotes, qui pœnitentes in secretis CONFESSIONIBVS cum audirent, & calumnias à Concionatoribus in vulgum jactas repetebant, & quæ suppressis illi nominibus, pœnam veniti, effutiverant, plenius in Regis & consiliariorũ Regij nominis studiosorum invidiam explicabant; & tam virorum, quam fœminarum credulos animos loco consolationis in fideli colloquio bus falsis rumoribus implebant: Itaque perplexis interrogationibus, & injectis scrupulis miserorum hominum conscientias, quasi eculeo subjectas, torquentes, arcana familiarum curiose rimabantur. & in caussa religionis, etiam inscio Principe. fidem à subditis obligari posse locis ex Scriptura, & scholastica scientia demonstrantes, postremo miseros confitentes ad factionem amplectendam adigebant; interdum gratiæ beneficium impertiri recusantes iis qui factioni nomen dare detrectabant.* Tum addit, nullis confessarios, ne Legati quidem Papalis commonefactionibus ab incœpto deterreri potuisse. *Qua de re (inquit) cum querimoniæ quædam perlatæ essent primum ad Episcopum, atque postea tandem ad legatum Pontificium (is pro tempore erat Ioann. Franciscus Maurocenus Cardinalis, vir ut natalium claritate, sic pietate & morum probitate, ac ingenij candore insignis) increpiti illi ac moniti, ne Ecclesiastico ministerio ad libidinem tam licenter uterentur, non tam desierunt, quam cautius egerunt; & ne secreta hujusmodi deinceps emanarent, hanc novam doctrinam sanxerunt, tam peccati summi pœnam incurrere confitentem, si quæ de sacerdote intellexerit, propalet, quam sacerdotem eorum, quæ à cõfitente sub sacrosancto confessionis sigillo acceperit, revelatione.* Hactenus Thuanus. Huc etiam pertinet, quod apud vitæ Pauli Sarpij Veneti, Monachi Servitæ, scriptorem legimus, nempe Hippolytum Lucensem, magna fama Theologum, Ducissæ Vrbini, cujus erat Confessarius, in illo confessionum arcano persuasisse, ut Ecclesiasticæ factioni contra Cæsarem Estensem adhæreret; & ob navatam in eo negotio operam Montis-pilosi in Neapolitano regno Episcopatu à Cardinale Aldobrandino, Clementis VIII. nepote, donatum esse. Neque dubitandum est, quoties hujusmodi causæ inter Papam & Principes vertuntur, quin ad hoc exemplum Confessarij sui ministerij opportunitate sæpe in Romanæ sedis gratiam, magno Principum ac rerumpublicarum damno atque detrimento abutantur. Ista (inquit) si facta sunt, hominum scelere, non

Thuan. Hist. L. 85. T. 4. p. 170. B.C.D.

Ibid. D.

Vita del P. Paolo Veneto. p. 110.

Cap. xvi. instituti ipsius vitio facta sunt, quod per se innocens est, neque in hos usus ab Innocentio traditum. Esto, inquam. Sed tamen cùm quod factum est, fieri iterum possit, neque ita sancta esse, vel fore in posterum hominum ingenia verisimile sit, quin multi semper reperiantur, qui instituto illo ad suam, & aliorum perniciem abutantur; quæ ista, malum, imprudentia, ac socordia est malle rem tot scandalis, ac periculis obnoxiam nulla necessitate retinere, quam sine ullo pietatis damnô, abolere? & in perpetuô quodam discrimine eâ retentâ versari, quam multorum scandalo, ac damno, ea semel abolita, consulere?

Caput XVI.

Ratio VIII. ab incommodis, malis, ac damnis gravissimis, quibus Innocentiana confessio, homines per se, ac necessariò involuit, sive Deum ipsum spectes, sive pastores, sive Ecclesiam, sive denique confitentes; quæ quatuor fusè recensentur ac demonstrantur.

Sed & sunt non pauca hujus confessionis mala, ac damna, quæ non tam ab hominum abusu, quàm ab ipsius rei ingenio pendent, atque exoriuntur. Pleraque jam in superioribus, sed sparsim & paucis attigi. Ea, quod hæc disputatio omninò magni momenti sit, hic in unum colligere, & si qua omissa fuerint, adiicere operæpretium videtur. Bellarmini ordinem sequar, qui in quatuor capita hoc argumentum digessit, eaque sigillatim mala recensebo, quibus Innocentiana confessio homines involuit, atque implicat, primò si Deum ipsum consideremus, tum si Dei ministros; mox si Ecclesiam ipsam universam; denique si fideles singulos intueamur.

Ergo in Deum quidem variis modis injuriosa, ac contumeliosa est Innocentij confessio. Primò enim illa ejus veracitatem, quæ totius pietatis fundamentum est, pulsat, ac labefactat, quæ scilicet efficit, ut falsum esse videatur, quod ille sanctissimè, neque semel in verbô, ut supra demonstravimus, pollicitus est se fideli lapso, crimina toties remissurum, quoties is ex animô suscepta peccati pœnitentia ad se conversus ingemuerit; quod Innocentiani, ut notum est, sufficere non putant, nisi & homini Sacerdoti sua delicta enumeraverit. Ad hæc cùm Christus jugum suum suave, & onus leve esse affirmaverit, isti qui ita grave, ita difficile, molestumque, ac onerosum hoc jugum à Christo nobis impositum contendunt, ut nihil molestius, vel onerosius dici possit, non obscure sibi videntur suadere, ut Christum (absit tanta blasphemia ab omnium

Matth 11.30. Bell l. 3. de pœnit c 12. §. secunda ratio.

omnium mortalium animis) mentitum fuisse putent. Sed & Domini sapientiæ non levem injuriam faciunt, dum eum suis rem per se ut ipsi fatentur, longè grauissimam, ad hæc principibus & civili hominum societati meritò suspectam, sinè ulla necessitate imposuisse fingunt, quod (ut dixi) a veris sapientiæ rationibus planè est alienum. Neque minor est confessionis adversùs Dei misericordiam, atque justitiam contumelia; adversus illam quidem, quod is ita immitis esse statuitur, ut homini licet pœnitenti, & emendato, peccatum tamen condonare nolit, si sacrificulo non fuerit confessus; adversùs hanc verò, quod ea arcano isto in aurem unius hominis murmure ritè, ac (ut loquuntur) ex condignô placari fingitur; quasi scilicet scelus à te patratum summissa voce recitare, id sit ipsum legitimè expiare; quod merum diuinæ justitiæ non piaculum, sed ludibrium est, paganorum castigato ab ipsis eorum poëtis errori haud absimile, qui tristitia crimina cædis aquâ fluminea tolli posse putabant. Denique & summam Dei majestatem hujus instituti præcepta animis necessitas quodammodò imminuit, dum eum, ut diximus, à sacrificulorum ore, ac manu in remittendis suorum delictis pendere facit. Cap. XVI.

Neque verò in ministros Dei minus contumeliosa est: quorum & aures, & linguam, & chartas, pennasque ipsas multis modis contaminavit. Dixi iam suprà, ut eos hoc institutum cogat, & ea audire, quæ etiam patientissimorũ de vulgo verecundiam fatigarent, & ea scrutari, atque loqui, & à fidelibus quærere, quæ vel lenones ipsi erubescant. Quale proh dolor! spectaculum est videre Christi ministrum, summâ oris, ac supercilij grauitate à Christiana matrona illa Burchardi flagitiosa, quæ alibi indicavimus, quærentem, *Fecistíne ne*, &c. & in Sancto pœnitentię tribunali arcana thori genialis eruentem, eaque rogantem, quæ nemo impune alibi ab illa quæsierit? Scio quosdam hic, verborum circuitus adhibere, & quæ palàm deterrente verecundiâ eloqui non audent, longis sermonum ambagibus describere. Sed præterquam quod pars nequitiæ est, quæ in hoc genere produntur, ea non apertè, sed occultè dicere, plusque ferè inhonestos delectat obumbrata, quam nuda obscœnitas, illa, quæ isti conquirunt, velamenta, neque rerum turpitudinem celant, & sæpe stulta, ac ridicula sunt, qualia sunt, quæ Caietanus hoc loco habet, dum docens honestis vocabulis turpia eloquenda, exemplum affert de modo naturalis usus coniugij, quem ita circumloquendum ait, *an mulier faciem habuerit versùs cœlum, & vir versus terram, an contra mulier spatulas habuerit ad virum*. O verba non alio quam ganeonis ore digna! Hæc sunt scilicet sancta illa, & pastoribus, universoque hominum generi adeò necessaria confessariorum cum confitentibus colloquia. Sed ne hæc quidem in occulto rogare satis istis fuit. Omnem illam pœnitentiarij tribunalis infandam spurcitiem è latebris, ac tenebris protractam litteris publicis mandare, & in communem hominum lucem edere non dubitarunt; vt jam Theologorum chartæ, quę Summula uocab Confes sor p 91.

sancti-

CAP. XVI. sanctimoniæ, ac verecundiæ plenæ esse debuerant, priscis Elephantidos libellis,& nuperis perditorum quorumdam Italorum voluminibus, obscœniores, ac tætriores sint, in quibus scilicet, velut in lupanarium scriniis, omnes turpitudinum species, ac modi, etiam qui nullo apud flagitiosissimos in usu fortasse sunt, accuratissimè descripti, ac explanati continentur, ac servantur, credo, ne earum rerum memoria unquam intercidat. Atque ut scias quales sint istorum Scriptorum deliciæ, audi quæso viri ex Romanâ ipsâ communione gravissimi, ac eruditissimi, qui hactenùs sub ficto Petri Aurelij nomine latet, judicium de quodam istius furfuris libro, & eo quidem, qui plurimi fit à Iesuitis, quique à Thoma Sanche, homine istius Societatis, doctrinæ & sanctitatis, ut ipsi perhibent, laude celebri elucubratus, ac publicatus est. Ita ergo Petrus Aurelius de denso illo Sanchis opere, quod de Matrimonio inscribitur, censet, *opus est* (inquit) *non gloriandum, sed pudendum; tam immani curiositate, tam invisa in rebus spurcissimis, & infandis, & monstrosis, & diabolicis perscrutandis sagacitate horrendum, ut mirum sit pudoris alicuius hominem ea sine rubore scripsisse, qua quivis modestioris ingenij vix sine rubore legat. Portenta ista sunt non Scripta; animorum insidia, non mentium subsidia; incentiva libidinum, schola flagitiorum, non honesta disciplina, non scientia Christiana instrumenta. Infelix scientia, qua omnes perdere, paucos juvare nata est, qua circa sordes, & sterquilinia voluenda, & revoluenda volutatur, ut ejus doctorem jure cum scarabæo conferas, vel cum iis qui latrinariam faciitant, vel qui eius artis fusissima, & minutissima volumina graphicè cõscribenda suscipiant. Quanquam eo illud tetrius, & odiosius est, quia corporum fæces molestiam, & turpitudinem breviorem habent; illa animorum purgamenta, illa venerea totius sentina indagatio, & ante legentium oculos effusio, non fœditatis modò permultum, sed periculi & perniciei multò amplius vehit, quo animi vel ipsa inusitata & inaudita turpitudinis novitate moveantur.* Mox, castigata Granatensium Iesuitarum impudentia, qui huic operi infinita quadam cum auctoris laude præfati sunt, neminem superioribus sæculis dubias de Matrimonio controversias *uberius & limatius*, quam istum enodasse jactantes, *Equidem* (inquit Petrus) *si de uberrima, & subtilissima spurcitiarum omnigenarum ventilatione agitur, nemo unquam eam laudem Thoma Sanches eripiet; quin omnium primus Sacramentum matrimonij cum tanta cogitationum, sermonisque licentia, imaginatione potius, quam judicio duce versarit, quantam ante ipsum Ecclesia ab initio Christiani nominis, nec viderat, nec audierat. Modestiores fuerunt semper Ecclesiastici tractatores, non obliti Apostoli vocem.* Fornicatio autem & omnis immunditia, *&c.* nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, &c. *Nec tanti fecerunt ancipitem istam & periculosam conjugalium arcanorum, flagitiorum, piaculorumque scientiam. Maluerunt ista nesciri à paucis, quorum fortè interesset, quam sciri à plurimis ad pestilentissima curiositatis illecebram, ad cupiditatum fomitem, ad publicum dedecus, dum promiscuè maximis volumi-*

Vindic. censur. facult. Paris. p. 517.

ibid. p. 518.

Ephes. 5.

nibus

nibus ante omnium ora propositis explicantur. Hactenus Petrus Aurelius; Cap. xvi.
qui se postremò testatur *nihil dicere, nisi manifestum, publicum, à cordatis* p.120.
viris melioribus Theologis sæpe deploratum. Sed istorum tamen, meliorum quidem, sed pauciorum, ex Romana communione hominum querela, atque indignatio minimè prohibet, quominus multi quotidie apud eos eiusdem furfuris libri ab aliis, maximè à Iesuitis, qui istius artis, turpissimæ quidem, sed tamen quæstuosissimæ, facile principes sunt, nulla publicæ verecundiæ ratione habita, fiant, atque edantur. Quin & spurca illa arcana quidam ex ea societate Benedictus, ne ea fortè Gallorum matronis ignota essent, vernaculo sermone explicata vulgauit. Hi sunt confessionalis disciplinæ præclari scilicet fructus; his illa suavissimi odoris floribus totam istorum Theologiam conspersit, atque coronavit. Neq; est, quod Aurelius tæterrimæ huius spurcitiei invidiã in unũ Sanchem, & alios paucos ex eadem Societate transcribat: Communis est ista Innocentianæ scholæ pestis, ac labes. Fateor Sanchem cæteris in hoc genere impudentiæ palmam præripuisse; fateor & publico pudori, quod optasse videtur Aurelius, consuli potuisse, his sordibus intra tribunalis confessionalis septa retentis, neque in vulgus effusis. Sed neque soli Iesuitæ vulgarunt, Navarrus, & Romani pœnitentialis auctor & cæteri huius artis interpretes idem fecerunt; fecit & diu ante eos, cum adhuc confessio esset in incunabulis, Vormatiensis antistes Burchardus; Neque turpia ac infanda ista, si libri tacuerint, tacebunt arcana confessionis tribunalia, quæ omnem istam sentinam, moueri, ac discuti jubent, curioseque à singulis pœnitentibus delicta omnia requiri; quorum nullum scilicet nisi confessum, remitti posse præstruunt. Itaque summam hìc diligentiam à Confessario adhiberi necesse est, & pœnitentem, præsertim si rudis est, & rerum diuinarum imperitus, accuratè de singulis peccatorum generibus, deque eorum speciebus, modis ac circumstantiis, interrogari, nequid non confessum supersit. Vnde liquet ministros huius instituti vi necessariò effici impudentes, cogique ad omnia ista turpia, si non scribenda, ac vulganda palàm, certè in arcano eloquenda, ac sciscitanda; quod quomodò absque inverecundia fieri possit, difficile est intelligere. Tum & gravissimæ tentationi ministros (ut diximus) exponit hæc confessionalis disciplina; maximè cœlibes, quales sunt omnes Romanæ communionis sacerdotes: dum eos arcanas singulorum libidines audire cogit, & rationem, & tempus, & locum, cæterasque huius generis flagitiorum circumstantias. Ista enim ab homine mortali vix possunt audiri, quin eius animũ polluant. Huc accedit arcana cum mulieribus eaque satis longa collocutio, & earum ingenij conscientia; tum peccandi occasio, & opportunitas; quæ veluti totidem igniculi, infirmum & adversus carnis illecebras parùm validum animum, si nactæ sunt, facilè suscitant, ac succendunt, & si minus ad factum, certè ad concupiscentiam, & pruritum, aliasque fœditates provocant. Ita isti sæpe

Z in pec-

CAP. XVI. in peccatum, dum ab eo alios liberare satagunt, ipsi miseri incidunt.
Denique, ut cetera mittam, ministros aliquando confessionale hoc mysterium ad prodendam principis salutem impellit, & quæ ea continetur civitatis pacem atque incolumitatem; quoties inimicam [illegible] & parricidæ funesta huiusmodi consilia in eorum sinum effundunt. Nam imaginaria huius disciplinæ religione obstricti tacent; neque sibi fas esse putant quæ in eius secreto acceperunt, revelare. Principis verò indubie proditor est, quisquis quarum conscius est in eius caput insidiarum, ac machinationum, eas regi, neque maturè ipsi vel eius ministris revelat: quo scelere vix ullum aliud est dirius, atque immanius. & quæ id consequantur, nihil nunc opus est recensere, civitatum clades, familiarum internecionem, status civilis perturbationem, pastorum ipsorum tum in se omnium odium magnum, & iustam invidiam. Ex quo [illegible] inventum pastores præcipites suos in quos laqueos miseras eorum animas inducere!

Unde tertio loco videre est, quam & reipublicæ, & Ecclesiæ insidiosa sit, ac damnosa illa machina, in cuius arcano sinu, ut olim in equi duratei alvo, utriusque ordinis pestes occultari, & foveri possunt, mox vel in status civilis, vel etiam in religionis perniciem erupturæ: quod quid utriusque & monstri plenum est, & abunde supra à nobis explicatum satis pluribus hic non retractabo. Exemplis tantum rem illustrabo. Ac reipublicæ quidem quam damnosa sit arcana ista confessio, satis docet illud Galliarum nostrarum experimentum, de quo nuper dixi. Sed & Ecclesiæ ipsi quantum interdum noceat, hodierno nostrorum periculo discimus. Nam cum Episcopi, & multi alij inferioris ordinis graves, ac docti viri multa tum in disciplina, tum in ipsa etiam doctrina, quæ passim in plurimis apud eos locis obtinet, minus commoda instaurare, ac corrigere velle iam ab aliquot annis in Gallia nostra conentur, nihil illi quidem proficiunt, vel promovent: Monachi verò, & pauci alij cum iis coniuncti prævalent, ac liberè grassantur, interdumque suos adversarios, hoc est eos, quorum præcipua debuerat esse authoritas, magna cum audacia, contumeliisque insectantur, ac proscindunt. Unde hæc totam perturbatio? sanè non aliunde, quàm à confessionali hac disciplina, quam quia vel soli, vel maiori ex parte exercent apud nos Monachi, præsertim Iesuitæ, eo fit, ut facilè omnium, maximeque optimatum, ac principum tum virorum, tum mulierum animos occupent, ac teneant; atque ita segnent omnium ferè conscientiis incubantes. Ergo per hanc Innocentianam confessionem res eò adducta est, ut quæ secus in illorum Ecclesia vel docentur, vel administrantur, ne ipsi quidem Episcopi mutare, vel emendare, gregesque (aliis scilicet obnoxios) suo arbitrio regere, si velint, possunt. Id senserunt Galliæ Episcopi, cum nuper Senonensis Antistes [illegible] in sua diœcesi multa per hanc confessionarij mysterij administrationem irrepentia [illegible] in pristinum cogere, nequicquam ten-

CAP. [illegible]

tasset, eorumque audacia ac protervia excitati in generalibus Cleri Gallicani Comitiis, anno 1650. Lutetiæ habitis, encyclicam epistolam ad suos scripserunt ac publicarunt, hortantes, ut Monachorum, præsertim verò Iesuitarum conatibus strenue obsistant, denique operam, ne quis, nisi Episcopi judicio probatus, confessionale usquam tribunal invadat. Ergo vel hinc satis liquet, quam pastorum auctoritati noxia sit illa adversariorum confessio.

Sed eorum qui confessionem ipsam ex istorum disciplina obeunt, longè maxima, ac præcipua est, non (quod ait Bellarminus) utilitas, sed pernicies. Principiò hi quod alibi diximus, contra disertum Apostoli præceptum coguntur, multa ipsi inhonesta, ac turpia eloqui. Coguntur & præterita, correctaque, & ante plures menses admissa, oblivioneque pænè sepulta flagitia cogitatione retractare, mente & memoria versare, & quæ penitus obrui, ac sepeliri velut tetra purgamenta decuerat, ea effodere ac in lucem protrahere; & ante oculos hominis ex toto grege sanctissimi explicare, ac evoluere; quæ res quantum ipsis labis, ac turpitudinis & res ipsa per se loquitur, & jampridem à Marco eremita fuit observatum. Nam si pœnitens jam verè emendatus, & in spiritualem virum conversus fuerit, necesse est eum ista diligenti fœditatum suarum recognitione contristari, & turbari, & pace, gaudioque quo in Christo Domino fruebatur, spoliatum angi, ac hærere. Sin adhuc carnalis est, ut sunt plurimi, fieri vix potest, ut ejus animum non polluant, & aliqua concupiscentiæ vel vitiosæ cogitationis labe ac titillatione & prurigine afficiant, memoriæ ac menti obversantes hujusmodi rerum imagines; ad quas confessionis specie, libens adhærescit, & moratur, quasque expellere ac veluti tetras & noxias aves, à sensu memoriaque sua, procul abigere potiùs ac sanctius fuerat. Tertiò præter hoc malum quod à seipsis nanciscuntur adversariorum confitentes, aliud insuper à confessarii colloquio objectum facile arripiunt; ex cujus ore multa antea ignota peccata, multas peccatorum arcanas species, rationesque discunt; quæ scientia quàm perniciosa sit, omnes vident. Corruptis enim animis, quales nostri omnium ab ipsa natura sunt, vix umquam impunè monstrantur peccata, peccatorumque imagines. Multò hic melior, tutiorque est rerum impiarum & inhonestarum ignoratio; quas qui scit, facilè adducitur, ut vel eas experiri velit, vel certè animo interdum verset, quod nunquam ferè fit sine peccato. Quin & interdum ista eo ipso placent, quod vetita esse intelliguntur, & quod negantur, cupiuntur. Segnius animum irritassent, si prohibita esse nescivisses. Cogita quæso, quantùm quamque pestilens malarum, ac impurarum cogitationum, ac libidinum agmen in virginum, matronarumque simplicium, ac pænè innocentium animos invehit, qui eas ex Burchardi, vel Sanchis alicujus, canonibus, ac disciplina interrogat confessarius; quantam exinde pietatis, ac sanctimoniæ perniciem inducat. Ad hoc scilicet prodest Innocentiana con-

de iis qui putant se ex operibus iustificari c. 140. Bibli. patr. gr. lat. T. 1.

 fessio,

Cap. xvi. fessio, ut maturè scelera, ac flagitia omnia cognoscamus: neve ulla eorum species ignota nobis vel inopina sit. Ad hoc virgunculæ, & pueri ad confessionale tribunal adducuntur, ut ne ætatis quidem beneficio turpia ignorare queant; ut rudes ac simplices animi scelestis ac flagitiosis imaginibus ante annos imbuantur; & falsô pietatis sanctitatisque nomine, iam-tum ea peccata doceantur, quæ cæteri vel perpetuò ignorant, vel certè nonnisi adulti, & multô usu corrupti discunt. Quid istam ætatem admotis custodibus ab improborum hominum colloquiis, librorumque inhonestorum vel ad inhonesta ducentium lectione tam sollicitè prohibemus; ut mox ex brevi unius confessarij sermone horulæ spatio hauriat, ac rapiat, quæcumque longa, ac anxia parentum cura hactenus ab eius animis fideliter submoverat? ô improvidas hominum mentes! qui cùm hoc suo in liberos officio scire se fateantur periculosum esse, mala vel novisse, pietatis tamen partem putant, omnes flagitiorum formas ac species modò in confessionariô tribunali, maturè discere! Quasi verò minus noceant, quæ istic, quam quæ alibi docti fuimus; ac non una eademque sit venenorum istorum pernicies, undecumque ea hauseris, ubi semel intraverunt in pectus, & puros rudesque antea sensus inquinaverunt. Quartò. Hoc etiam mali invehit illa istorum confessio, quod hominum verecundiam deterit, paulatimque consumit; cujus quàm salubre sit frænum, omnes sciunt. Nam qui semel pudoris primos limites transilierunt, ii gnaviter impudentes fieri solent, indeque est quod deprehensis crescit audacia; & Chrysostomus verissime iampridem observavit, homines, quamdiu peccata quorum sibi sunt conscij, latere putant, tamdiu studere, ut meliores fiant. Postquam verò omnibus innotuerunt, & solatium illud ex occultatione perdiderunt, eò magis impudentes ac negligentes evadere. Quô conficit utile esse peccatoribus si eorum delicta pastoribus ignota sint; Sic enim magis ad illorum emendationem prodesse vitiorum, quorum ipsi sibi conscij sunt, institutas in genere à pastoribus reprehensiones. Præclarè sanè atque acutè. Iam isti planè contrà instituunt. Nullum enim esse volunt ovis, quantumuis occultum peccatum, cuius pastor non sit conscius. Ac tametsi confitear pudori minus nocere unius, quam plurium, vel omnium, quod ait Chrysostomus, conscientiam; tamen & pudorem simili quoque ratione nostrum eô imminui manifestum est, quod vel unus, nos peccasse novit; maximè si qui novit, vir gravis fuerit, τῶν πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, quales esse decet confessionarij tribunalis judices. Adde quod non semel fit, sed crebro ac pœne assiduè repetitur, etiamsi non planè eorumdem, certè similium peccatorum confessio; quâ repetitione frontem (ut sic dicam) paulatim atteri, hominemque postremò depudere necesse est; ut qui vel medico, vel balneatori corpus primò nudat, magnâ cum verecundia id facit, mox ubi iterum, atque iterùm sæpius se nudavit, postremò eius oculos aut nihil, aut parum veretur, secureque

hom. quod peccata non sunt evulg. quæ est 57. T. 1. p. 665.

securéque ac ferè sine ullo pudoris sensu id facere assuescit, quod initio vehementer erubescebat. Planè eadem est confitentium apud pastorem suum ratio; qui primò quidem fateor, aliquô cum pudore suas ei turpitudines revelant, mox ubi usu ipso res in consuetudinem vertit, verecundiam paulatim exuunt, tandemque planè abiiciunt, quod quam pietati noxium, ac damnosum sit, nemo non intelligit. Sed præcipuum, ac maximè nocens istius disciplinæ virus est, quod ea homines veniæ vel desperatione efferatos, vel spe & fiducia solutos ac securos dimittit. Nam si animum qui ea utuntur, seriò advertant, si evigilent, ac quid sit quod geritur, quæque istorum à quibus remissionem peccatorum exspectant, conditio, quæ doctrina, ac sententia sit, attenta mente considerent; fieri profectò non potest, quin statim in eas dubitationes quas paulò ante inexplicabiles esse demonstravimus, indeque paulatim in pavores maximos, ac ultimò denique in desperationem incidant. Eo ducit totius instituti ingenium; quod quia jam sumus executi non repetemus. Iam si pœnitens (quod multò maxima hominum pars, lætis ferè gaudentium, sibique faventium, facit) istorum verbis fidem habeat, peccataque confitentibus verè dimitti putet; quam latam sibi ad peccandum portam eo patefactam videt? Dum enim sibi persuadet (quod affirmant Confessionarij) perexiguâ illa confusione, quàm apud unum hominem patitur peccata illi sua detegens, redimi omnem illam ingentem ultimi iudicij confusionem, quam qui non confitentur scilicet, aliquandò perpessuri sunt, dum ex istorum placitis sibi ipsi fingit scelera, flagitiaque omnia eo ipso expiari, quod in beato illo tribunali recitantur, nihilque istic revelari, quod non statim ex libro Dei expungatur, ut narrat ex Climaco Bellarminus; ubi semel inquam animum bellis istis Innocentianæ doctrinæ axiomatis imbuit, peccata omnia quantumvis tætra, atq; horrenda, pro ludo ac jocô habet, quorum scilicet paratum ac præsens, & quidem facillimum piaculum habere se putat; Nimirum si carnis, si animi libidinem expleverit, quicquid eô contractum fuerit reatûs, nullô negotiô dilutum iri sperat; Quid enim facilius, quàm quid tu feceris, uni homini in aurem narrare, & ei quidem, quem certus sis numquam, quod ei dixeris, ulli revelaturum? Adeò dura non est hæc expiandi criminis ratio, ut etiam multis non iniucundum esse putem hàbere, cui sua flagitia tutò narrare, & quocum occultissimas libidines liberè communicare queant. Qui non videt, quantum hæc omnis doctrina ad peccandum incitamentum sit, nihil videt. Neque verò hic obiicias non solam istos confessionem, sed etiam contritionem requirere. Caue putes eos veram animi conversionem, ac emendationem istis vocabulis significare. Primò enim quod diximus, plerique omnes solam reverâ attritionem exigunt, hoc est imperfectam, ac (ut dicam quod res est) falsam & inanē pœnitentiā; quæ aliquô tantū, sed eô levi acevanidô de peccato dolore qualis vel in improbissimos homines ca-

Cap. XVI.

CAP. XVI. dit, non autem ulla vera vitij correctione, atque emendatione constat. Huiusmodi verò attritio, sive pœnitentia peccatum ferè semper, ubi expletum est, sponte sua sequitur; (nisi in diabolis fortè, & planè induratis) præsertim si admissum peccatum grave fuerit, ac ex eorum genere, quæ isti mortalia vocant. Itaque nihil ferè ea attritione de vitij ac peccati vi decedit, tantùm ea efficit ut mala libido, ex qua id ortum erat, ad aliquot horas, vel si fortè dies, repressa conquiescat, mox ubi hac ipsa mora vires collegerit, sævius eruptura. Ergo nihil isti à peccatore ad remissionem requirunt, quod eius libidini grave admodum sit, aut molestum; quod non, etiamsi isti minimè exigerent, peccator ipse sibi facilè sit impositurus. Nam & spontè, expleta ut diximus, libidine plerumque animum subit hæc displicentia, sive attritio, & ipsius libidinis interest, ut aliquando fieri etiam; quod intermissa, & post intervallum repetita peccata dulciora sint. Quo loco observandum est istos incautis imponere, affirmantes vulgò contritionem saltem putatam, ad absolutionem esse necessariam. Scito ergo eos dum sic loquuntur, minimè id, quod significare videntur, intelligere, scilicet qui ad confitendum accedit, eum absolvi non posse, nisi reverà contritus accesserit. Satis esse putant, ut attritus accedat, dummodo per errorem se contritum esse, quod non est, putet: eam enim attritionem, etiamsi animus pœnitentis in se reverà idem, neque quicquam mutatus maneat: contritionem tamen appellant, si exterior Sacramenti ipsius usus ad eam accesserit: hoc est, si attritus confessus fuerit, eo fieri, ut ea, quæ hactenus simplex erat attritio, iam contritio & fit, & dicatur: licet planè eadem, ut dixi, maneat, quæ prius, neque reverà ulla accessione in se auctior, aut perfectior evaserit. Ergo nullam illi sanè veram ac solidam constantemque animi emendationem ad consequendam veniam requirunt, sed dolorem tantum aliquem ob læsum Deum, & nescio quem, falsæ & inanis contritionis, actum, quem certa formula definiunt, eoque contineri aiunt, ut peccator vel ore, vel si fortè mentis cogitatione Deo dixerit, *se pœnitere, quod Deum immense bonum, immenseque amabilem offenderit.* Atqui id quivis præstare potest, etiam cui nullum verum est in peccata, vitiaque sua odium, nulla affectuum, morumque emendatio aut vera animi commutatio. Antonius certè Arnaldus Sorbonæ Doctor, quàm pestilens sit hæc doctrina, palam profiteri ausus est, dum scribit, *nibil hominum animabus exitiosius vel perniciosius esse malis istis fabulis, quam ex communi multorum ex suis doctrina hausitam in imaginatio tali contritione, attritioneque contentiis collocant, quos se præstitisse verbo quidem sed frustra sibi persuadent quoties conceptas quasdam, solemni stilo, & in eum usum institutas preces recitarunt.* Quem verò isti sibi silentij simulare necessitatis ac fortasse impendentis mortis metum, eo nihil, vel parùm omninò proficiunt, cùm nemo ferè sit, qui non se in crastinum victurum speret, vel certè satis temporis ad confessionem vel faciendam, vel una mentis cogitatione vovendam habiturum,

de la freq. comm. 2 part. ch.13 p.310.

bitaculum; quod illis peccatoribus in quæ eius versantibus satis esse ad sa- CAP. XVII
lutem consequendam docent. Sed si res ratioque ipsa, quamquam a-
pertissima, nondum tibi persuadeat, quam exitiosa sit confessionalis i-
storum disciplina; experientia certe hominumque, qui eam factitant,
mores atque usus si eam expenderis, dubitare te de eius ingenio non sinet;
Idque non meis, sed Arnaldi, qui in isto tractatu magister ac doctor est,
verbis exsequar; *Res est, inquit, horrenda, quod numquam plus, quam* ub. supr. part. 3. c. 16 p. 719.
hodie, confessionum communionumque, numquam plus vitiorum, ac corru-
ptelarum fuerit. Magnus hic frequentium maiorumque apud confessa-
riorum tribunalia, apud sacerdotum altaria, confitentium, ac communican-
tium multitudo quotidie circumstrepit; plena sunt tempora hominum; plena præ-
sertim Monachorum templa. Norunt tamen qui in sæculo versantur laici;
sciunt qui confessionem audiunt ministri, nemo denique nescit, quod vel ipsi Ec-
clesiarum ambones suggestusque assidue clamant, ac tantum omnes Christia-
nismi veras notas, Christianorum hodie moribus pene exstinctas esse. Tum
obvias passim apud confessionarios suos homines in omni ætate, atque
ordine vitia facunde sane, ac copiose describit, atque exagitat. Quæso
te, unde hæc tam, ut iste loquitur, horrenda morum perturbatio, vitio-
rumque colluvies, apud eos ipsos qui tam diligenter, tam crebro, tam
assidue confitentur, si hæc, qua isti tam studiose utuntur confessio, non
dico magnam, ac singularem (quod Bellarminus nobis persuadere cu-
pit) ad veram pœnitentiam, ac sanctimoniam vim habet, sed si nullas
habet ad peccandum illecebras, nulla ad libidinibus indulgendum in-
citamenta? Arnaldus quidem id eo ipso fatetur, quod vitia eo tempore
maxime abundare prædicat, quo confessio maxime viget, plurimoque
in usu est. Quare, nisi quod hanc, quæ nunc apud suos exercetur, disci-
plinam eo valere putat, ut homines, ea expiandorum criminum, ve-
niæque consequendæ facilitate, quam ista promittit, capti deliciique li-
centius peccent? Sed Arnaldi quidem mentem argumentis investigare
nihil necesse est. Ipse disertissime quid senserit, eloquitur, dum & quod
nuper diximus, rotunde pronuntiat, *inani ista fiducia*, quam sane con- ub. supr. part. 1 c. 21. p. 489.
fessarij vulgo fere omnes docent, *nihil esse animabus perniciosius*; dum a-
libi ait *ea facilitate qua nos peccato mortali liberari quidam docent, vere effi-*
ci ne homines ad peccandum haud ægre ferantur, quasi si id totum nihil a-
liud esset, quam ludus quidam, ac iocus; eoque nescio quos devenisse con-
queritur, *ut devotæ sanctiorisque vitæ cursum tribus quatuorve letalibus peccatis*
abrumpi negaverint. Quin & alibi affirmaverat *communem hodie suorum* ibid. part. 1. c. 47 edit. 1. p. 525.
disciplinam generali omnium corruptioni favere; quod postquam pessime
a suis acceptum, veluti tacitam erroris in Ecclesia Romana sigillatio-
nem, intellexerit, nonnihil in secunda operis editione mutavit, scribens
ei suorum praxi favere generalem universi orbis corruptionem. Sed sane quod
primum scripserat, verissimum est; neque quicquam mutandum fuit.
Itaque idem in alio eiusdem operis loco satis aperte pœnitentiam Part.

CAP. XVI. hodierna confeſſione diſtinguit; obſervatque in veteri olim Eccleſia uſitatum fuiſſe, ut fidelis lapſi ad Paſtores veniæ conſequendæ cauſa confugientis officium, non, ut nunc, *ad confeſſionem ire, ſed pœnitentiam poſcere atque accipere* diceretur. Atque hic recitat, quod me jam ſupra dixiſſe memini. *Epiſcopum quemdam publice conqueſtum eſſe, quod nunc pro pœnitentiæ Sacramento confeſſionis Sacramentum obtrudatur*; item illud veterani Sorbonici verbum, *Verſamur his temporibus in enumeratione, non in deteſtatione, peccatorum.* Eadem quoque olim Gropperi Cardinalis fuit, quæ nunc Arnaldi eſt de iſtis ſententia. Is enim confitetur *omnem apud ſuos diſciplinam exoleviſſe, ejuſque loco fœdiſſima ſcandala in Eccleſiam agminatim inundaſſe, quæ illorum temporum perturbationi locum dederint; idque quin publicæ pœnitentiæ neglectu contigerit, negari non poſſe*; *quod res ipſa ſcilicet loquitur*; poſtremoq; ſtatuit *nulla alia ratione ſcandala iſta, quibus* (inquit) *inpræſentiarum affligatur Eccleſia, è medio unquam tolli, & religionem retineri poſſe, niſi in uſum reſtituatur; quod neglectum hactenus tantorum eſt unica cauſa malorum.* Ex quibus videre eſt iſtum: Primò, etiam ubi Innocentiana confeſſio plurimo in uſu eſt, ibi tamen nullam diſciplinam eſſe exiſtimare (neque enim confeſſio deerat Eccleſiæ Romanæ, in qua tamen ille queritur omnem diſciplinam exoleviſſe) Secundò putaſſe nullum alium diſciplinæ nervum eſſe, præter publicam pœnitentiam; Sic, ut ubicumque ea deeſt, ibi & ſcandala agminatim abundare, & religionem ipſam peſſum ire neceſſe ſit. Vnde quivis perſpicit, quid ille nos de Romani Epiſcopi communione ſentire velit; in qua clarum eſt publicam iſtam pœnitentiam nondum eſſe reſtitutam. Atque ita vel ex ipſa adverſariorum confeſſione demonſtravimus plurimum Chriſtianis nocere eam, quæ apud ipſos in communi uſu eſt, Innocentiânam confitendi diſciplinam.

ibid. p. 502.

Inſtr. Cathol. titul. Non eſſe deſperand. de reduct. pœn. publ. in Eccl.

Quo poſtremò & illud accedit, quod præter ſuperiora homines in hoc iſtorum tribunali multa diſcunt, vel certe diſcere poſſunt perverſa, & vitiis, ſceleribus, atque libidinibus faventia dogmata; quæ tametſi non ſint ab omnibus Romanæ communionis Doctoribus publico & univerſali conſenſu recepta, à plæriſque tamen Confeſſariis, præſertim vero à Ieſuitis docentur, & iis, quos inſtituunt, ac regunt, inculcantur; qualia illa ſunt quæ & ab Arnaldo obiter attinguntur, & in unum faſcem collecta ante annos aliquot à Pariſienſis Vniverſitatis patronis ac fautoribus ſub titulo *Moralis Ieſuitarum Theologiæ* vulgata ſunt. Verbi gratia dicuntur illi docere nos præceptis Domini minime eo obſtringi, ut Deũ propriè amemus, ſed ea tãtũ, ne illũ oderimus; & poſſe quemvis ſaluari, qui Deũ tamen nunquã tota vita dilexerit: Item licere cuivis hominẽ ſibi obtrectantem & quamvis de officio admonitum in oppugnanda fama ſua perſeverantem occidere, dummodo id clam & abſque ſcandalo fiat. Item licere ſervis & ancillis etiam ad impudica & inhoneſta miniſteria, puta ad lenocinia, obſequi heris ſuis; licere puellæ, cui virginitas

ginitas per vim extorta sit, conceptum inde fœtum medicamentis abigere; Non peccare famulum, qui rem aut pecuniam heri mercede suo servitio dignâ eum fraudantis intervertit, modo ne plus sumat quam sibi ex jure deberi putat; Crimine item carere maledicta, etiam falsa, quæ iis asperguntur, quorum personis utplurimùm conveniunt; ut siquis militem, *stupratorem, vanum, gloriosum,* &c. siquis nobilem, arrogantem, cædis & certaminum reum vocet; tametsi falso; quod scilicet hominum eius generis familiaria sint hæc vitia; Item mentiri, si expedit, licere, modo mendacium *æquivocatione*, & *mentali aliqua* (ut loquuntur) *reservatione* obumbretur. Mitto quæ de monomachia, deque privata acceptarum injuriarum ultione, de fœnore & usuris, de Regum denique ac Principum cæde philosophari feruntur, peccati vim in omni pœne specie sic elevantes, ut rarum sit vel in Deum, vel in homines crimen, quod non aliquando citra noxam, ex eorum quidem disciplina, designari possit. Hæc & similia cum homines à confessariis in illis tribunalis secessu audiunt; clarum est eorum conscientias talibus dogmatis solvi, & sopiri, ut hæc & similia intrepide peccent, nullaq; de iis aut perexigua pœnitentia afficiantur: quo nihil dici potest nocentius, & à sanctimonia, sine qua Deum nemo videbit unquam, magis alienum. Itaque certo concludendum est confessionalem istorum disciplinam, quæ sive Deum, sive Pastores, sive Ecclesiam, sive singulos fideles spectes, tam multa undique absurda, pericula, incommoda, ac scandala parit, non modo à Domino institutam non fuisse, sed ne tolerabili quidem consilio ab hominibus inventam; eoque ex Ecclesia plane eiiciendam, atque abrogandam esse. Atque hic illud quoque ad superiorum confirmationem observare operæ pretium est; Erasmum quidem, Latinorum alioqui consectaneum, & confessionariæ disciplinæ nimium faventem, mala tamen quæ hominum vitio ex ejus occasione accidunt pro suo candore haudquaquam dissimulanda putavisse, eaque in novem classes distributa explicasse in *Exomologeseos* opusculo, quibus illa, quæ nos nuper objecimus, fere omnia, & alia insuper nonnulla continentur; Inquisitores vero Hispanos, immanes librorum & litterarum omnium carnifices, totum illum Erasmi insignem locum, sex grandes paginas complectentem improbe pro consueta audacia resecuisse. Hæc eorum ipsissima est, nequis dubitet, in illum Erasmi libellum censura; *Pag.*128. *ante medium.* §. Nunc locus admonet, *deleantur* (inquiunt) *omnia ab initio* §. *usque ad* §. Sed jamdudum exspectas Lector, *exclusive, qui est pag.*134. *ante medium.* Atque ita quidem illi ingenioso facilique compendio ea quæ solvi posse desperant, doctrinæ suæ incommoda, ex hominum libris ac mentibus obliterari jubent. Sed hæc confessionis mala non Erasmus, non Arnaldus, homines eruditissimi, soli intelligunt. Ipsi Canadenses, quibus vel inter ipsos barbaros haud facile quicquam reperias crassius, aut incultius, statim objecerunt id esse hu-

CAP. XVI.

Erasm. in Exomolog. §. p. 128.129.130.

Ind. Expurg. Sandoval. in Erasm. T. 5. p. 148. A.

Ann Canad. A. 1641. p. 31.

Cap. xvii. jus disciplinæ ingenium, ut homines ad peccatum veniæ quam pollicetur facilitate animare ac provocare debeat. Narrant enim Iesuitæ Hucones (quæ una est ex Canadæ gentibus) cum civem quemdam suum, Latina sacra nuper amplexum, ad superstitiosum & Paganicum nescio quid invitarent, hic verò abnueret, id apud Christianos nefas esse affirmans; hominem jussisse esse bono animo; *Quicquid enim* (inquiunt) *istud est criminis, quod tu admittere refugis, cras togarum nigrarum opera atque ministerio momento delebitur* (Iesuitas autem isti *togas nigras* veste pulla non inficete vocant) *Tu vero noli ab eo tibi peccato valde metuere, quod luce crastina simulatque confessus fueris, plane nullum erit.* Hæc illi, non absurde profecto. Vnde liquet vel ipsas barbarorum, tametsi rudes & incultas mentes, animadvertere Cõfessionarium institutum homines à peccando adeo non absterrere, ut etiam ad peccandum invitet; quibus certam scilicet spem facit hac veluti spongia culpas ac reatus criminum nullo negotio elui, atque abstergi. Hæc enim persuasio ubi semel miserorum mortalium corda invasit; quid aliud superest, nisi ut in omne facinus prompti ruant, & animis improba aliqua libidine furentibus indulgeant atque obsequantur, & quorum tam facile impetrari veniam putant, ea absque ullo pœnæ metu securi exsequantur?

Capvt XVII.

Ratio IX. qua novitiam esse confessionis disciplinam ex eo probatur, quod A.D. 1215. *Innocentij primum lege instituta fuisse deprehenditur; non autem ulla anteriori Ecclesiæ constitutione, Bellarmini effugia præcluduntur, & cavillationes confutantur.*

Postremo novitiam esse apud Christianos confessionem illam auricularem inde clarissimè apparet, quod nulla ante Innocentij III. Pontificatum publica Ecclesiâ lege præcepta fuisse deprehenditur, hoc est ante annum Domini 1215. quo Innocentius in Lateranensi Concilio illud de confessione decretum promulgavit, quod est à nobis initio hujus operis repræsentatum; ut verissime scripserit noster Calvinus,
Instit. l. 3. c. 4. §. 7. *nullam de ea statam fuisse legem, aut constitutionem ante Innocentij III. tempora*, ex ipsis adversariorum *annalibus. Itaque ipsis* (inquit) *restibus nondum elapsi sunt anni* 300. *ex quo injectus ab Innocentio laqueus, & imposita confitendi necessitas.* Quod enim cavillatur Bellarminus *solum Platinam scriber. decretum Zepherini de percipienda Eucharistia in Paschate extensum fuisse ab Innocentio III. ad confessionem, neque Platinam publica authoritate & ex publicis archivis vitas illas Pontificum scripsisse ut Annales ipsorum dici possint*, id, inquam, ludicium & joculare est. Cur enim se ipsas à Papalis

L. 3 de pœn. c. 13. §. Deinde.

Platin in Zepher.

Papalis communionis viro, eoque Papæ *Secretario*, Paparum vitas, non liceat istorum annales vocare? Illæ quidem historiæ nostræ profectò non sunt, sed adversariorum; ut patet. Ergo quorum sunt, eorum annales dici nihil vetat: sicuti nulla invidia est Romanorum res à Tacito per annos & tempora digestas *Romanorum annales* vocitare; nimirum & à viro Romano, & de Romanis rebus scriptos. Sed hæc de uno vocabulo disputatio, merè sophistica, ac nugatoria est. Veniamus ad rem. Ait Bellarminus Platinam *scripsisse decretum Zepherini de percipienda Eucharistiâ in Paschate extensum fuisse ab Innocentio III. ad confessionem*; non dixisse *nullam antea fuisse legem de confessionis necessitate*. Vides vitilitigationem hominis syllabas aucupantis. Hoc, fateor, totidem verbis non expressit Platina; sed qui dixit alterius de *Eucharistiâ decretum ad confessionem extensum*, eô ipsô significat nullum antea simile decretum extitisse. Si aliud ante hoc extitisse sciviffet, id haud dubiè, non autem hoc Innocentii, tali locô memorasset. Sed nos Platinam quidem mittamus; quem neque Calvinus nominaverat. Rem ipsam sepositâ Platinæ, hominis recentioris, sententiâ putemus. Certè ex omnibus & Papalis, & Christianæ historiæ vetustissimis, & ad citeriora tempora ductis monumentis constat nullam de hodierna istorum confessione legem publicè apud Ecclesiam extitisse. Omnino hic primus est Christianismi locus in quo ea occurrit; Itaque novam esse necesse est, cuius nimirum aliqua in anterioribus facta inveniretur mentio, si qua prius huiusmodi fuisset. Quid ad hæc Bellarminus? Respondet primò *Innocentium, sive Lateranense, cui ille præfuit, Concilium, non Confessionem simpliciter imperavisse, sed solum tempus determinavisse, quô ea facienda esset; idque ex simili decreto Zepherini probari, qui, ut in eius vitâ refert Platina, statuit*, ut omnes Christiani adulti in solenne die Paschæ Eucharistiæ Sacramentum perciperent; *Quô decreto* (inquit) *non intelligitur præcipere voluisse, ut Eucharistiam Christiani aliquando sumerent, quod à Christo ipso esse præceptum, neque Catholici, neque hæretici negant; sed tantùm negligentiæ aliquorum occurrere, ac tempus determinare, ultra quod perceptionem tam salutiferi Sacramenti differre non liceret. Sic igitur & Innocentius III. non confessionem instituit, aut simpliciter imperavit; sed tempus, ultrà quod nemo Christianus eam differret, utiliter omninò præscripsit.* Hæc ille, nobis more suo illudens. Ego fateor Innocentium *non simpliciter imperare confessionem*; hoc est non modo præcipere, vt omnes fideles vtriusvis sexus necessariò apud sacerdotem confiteantur; sed etiam tempus præscribere; & ætatis, quò confiteri incipiunt nimirum *postquàm ad annos discretionis pervenerint*; & quô posteà confiteri debent, nimirum *semel saltem quotannis*. Has duas esse Innocentianæ legis partes, & concedo, & ipsa legis verba loquuntur. *Omnis* (inquit) *utriusque sexus fidelis postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem in anno, proprio sacerdoti.* Manifeste duo præcipit, & unicuique necessariò confi-

 tendum, & quotannis minimùm semel. Hanc verò utramque Innocentianæ legis partem novam esse contendo, neque antè Concilij illius Lateranensis tempus vel ab ulla Synodô latam, vel in promiscuô communique fidelium usu fuisse. De utraque, negat Bellarminus. Nos de singulis seorsum dicemus. Ac priorem quidem legem, quâ præcipitur ut quisque utriusvis sexus fidelis confiteatur, quâ adeò confessionis apud sacerdotem necessitas omnium omninò fidelium respectu constituitur, novam fuisse, & tunc primùm latam, omnes adversarum partiũ homines antè natos novitios istos disputatores sensisse nobiscum videntur. Thomas * certe, Bonaventura *, & Antoninus † celeberrimi apud istos viri, & in Sanctorum album relati, in eam rem diserti sunt; qui omnes scribunt antè Innocentianam illam decretalem hæreticum non fuisse negare confessionis apud sacerdotem necessitatem; ut posteà allatis ipsorum verbis suo loco demonstrabitur. Atqui id negare fuisset hæreticum siqua tum extitisset Ecclesiæ ea de re diserta ac publica lex. Ergo nullam tum extitisse, illi quidem putarunt, Innocentianamque adeò primam ea de re latam, novam fuisse. Itaque Bellarminus, qui id negat, cum suis istis principibus pugnat. Sed & lex ipsa idem fatetur. Nam siqua hujusmodi ante Innocentium lata extitisset, haud dubiè eam ille commemorasset, vel saltem innuisset; dixissetque, *cum omnes fideles necessariò apud sacerdotem, & quidem sæpius confiteri debere, vel ex Christi, vel ex veterum Conciliorum lege manifestum sit, placuisse ut id saltem quotannis semel fiat.* Nemo non videt ita omnino loqui debuisse Innocentium, si ei mens, quam Bellarminus affingit, ea reverâ fuisset. Nunc planè aliter loquitur, simpliciterque & rem, & rei tempus sic definit; *Omnis utriusque sexus fidelis, &c. omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem in anno proprio sacerdoti.* Tũ & novitaté rei arguit rudis, & indiligés, neq; ad Tridentinotũ instar excussa & accurata elocutio; (solent enim res dum ab hominibus initiô instituuntur, rudes, & pœnè informes proponi; quas dies paulatim postea expolit, ac perficit.) Nam cũ distinguenda essent peccata, quorum necessariò exigitur cõfessio, ab iis, quorũ nõ necessariò exigitur, mortalia scil. à venialibus, quod re lõgis disputationibus excussa & Tridentini & cæteri nunc omnes disertè observant, Innocentius crasè & ambiguè & periculosè *omnia peccata* simpliciter ait esse cõfitẽda. Multa alia sunt hujus generis in isto Innocentij decreto, ut quod de *proprio sacerdote* ait, quæ difficiles & longas lites in istorum scholis pepererunt; quæ q; nunc nihil persequi necesse est. Satis demonstrat hoc unum, quod exhibuimus, specimen, rudem adhuc & impolitam tum fuisse *confessionis* materiam; quod certum est novitatis argumentum. Idem in alio realis corporis Christi in Eucharistiæ pane præsentiæ argumento observare licet; quæ cùm primùm Romæ in palinodia Berengario præscripta definita esset ita crassis, durisque verbis expressa fuit, ut vix, ac ne vix quidem possit ad elimatã scholasticis disputationibus & expolitã, quæ postea

tandem

* In 4. Sent. d. 17.

† Anton. in chron. part 3. c. 2. tit. 15. § 19.

tandem obtinuit, & nunc obtinet, sententiam accommodari. Neque verò hilum Bellarminus proficit, dum Zepherini nobis simile de Eucharistia semel in Paschatis die percipienda decretum ex Platina narrat. Primò an hoc decretum reverâ à Zepherino factum fuerit, non constat; de quô altum apud veteres silentium; imò ne ipse quidem Baronius memorat. Platina verò, quem adversarius laudat, & recens est, & ab ipso statim notatus, quod *in varios errores inciderit*. Tum etiamsi constaret tale aliquid à Zepherino decretum fuisse, cùm tamen ipsum eius decretum non extet, judicium de eo ferri non potest; an sit videlicet Innocentianæ de confessione legi simile, nec-ne. Ego verò non ambigo, quin siquod fuit, hujus dissimile fuerit: Postremò, res ipsæ plane dispares, ac dissimiles sunt. Eucharistiam enim & à Christo, tum institutam, tum præceptam, & ab Apostolis tum factitatam, tum fidelibus commendatam, & ab omni deinceps Ecclesia summa cura, summoque studio excultam, & observatam: Evangelia primùm ipsa, cæteraque Novi instrumenti volumina, tum Iustini, & Irenæi, qui Zepherino vetustiores fuerunt, & omnia denique totius Christianismi monumenta, ita clarè, ita disertè, perspicueque docent, loquuntur, ac clamant, vt nemo, nisi insaniat, suspicari possit eam à Zepherino primùm fuisse suo illo decreto præceptam. De Confessione apud sacerdotem auriculari, planè alia omnia. Denique si ulla de ea fuit ante Innocentium lex, age, edatur; proferatur in medium; recitetur. Aliqui ex omni Christianorum retrò sæculorum memoria nullam ante hanc Innocentianam afferre possunt. Bellarmini quanta sit hoc locô inverecundia Christi *ea de re legem extare* affirmantis, nunc quidem satis ex iis quæ supra disputavimus, patet, in quibus demonstratum est istam auricularem confessionem neque usquam à Christo institutam, vel præceptam fuisse, neque ab Apostolis commendatam, neque ab ipsis, vel ab aliis eiusdem ævi fidelibus factitatam; & quæ adversarius *se copiosè deduxisse* jactat, ea nos haud paulò *copiosiùs*, certè (ut spero) solidè vereque cōfutavimus. Iam verò quæ hic obiter & uno tantum verbo memorat ex Græcia, Africa, Gallia, & Germania, Concilia, nullam ea legem huic Innocentianæ similem continere, & per se manifestum est, si ea inspiciantur, & nos infra suo loco claris, certisque argumentis docebimus; demonstrabimusque cum bono Deo nullum publicum ad id temporis in Ecclesia vel Orientali, vel Occidentali, vel Australi, vel Boreali, cuiusquam Synodi, vel Episcopi decretum fuisse, quô omnes & singuli fideles apud sacerdotem necessariò confiteri juberentur, quasi videlicet nullus fidelium peccati ullius à Deo veniam ac remissionem consequi possit, nisi quod sacerdoti vocaliter in aurem fuerit confessus. Ista verò commenta sunt & Innocentii, & eorum qui post Innocentium vixerunt, prioribus sæculis ignota, ac inaudita. Verum non in eo subsistit Bellarmini inverecundia. Nam & alteram legis Innocentianæ partem, quâ scilicet cavetur, ut fideles semel saltem quotannis omnia

Cap. xvii.

Cap. xvii. sua peccata sacerdoti confiteantur, ipsam quoque novam fuisse negat: Tantum fatetur *innovatam, & adjuncta pœna severiùs, id postulante conditione temporum, imperatam*. Itaque si istum audimus, apud veteres jam inde à primis Christianismi temporibus, soleune atq; usitatum fuit, & quidem ex lege necessaria, ut *singuli utriusvis sexûs* fideles apud *proprium sacerdotem* quotannis minimùm semel confiterentur. Mirum, ni iste tandé nobis quoque persuasurum se speret jam inde à Petro in Ecclesia Christiana fuisse Romæ Pontificem in eminentissimorum purpuratorum collegio sedentem, densis peditum, equitumque excubiis stipatum, & Cæsaribus jura dantem; fuisse etiam tum fibulatos Ignatij sodales, benedictos Iesuitas, & falli qui eos novissimis his temporibus exortos produnt. Profectò haud multo minor est ejus audacia, qui pertendit in veteri Ecclesia obtinuisse hanc Innocentianam confessionis legem, quam si ista, quæ dixi, in ea quoque fuisse affirmaret. Quod enim prædicat *se ex Gregorio Nysseno, & Ioanne Chrysostomo demonstrasse, circà Paschæ celebritatē Christianos omnes ad confessionem accedere debuisse*, id inquam more suo facit, id est falso & inverecundè. Nam Nyssenus ne cōfessionis quidem meminerat in eo loco, qui ex eo à Bellarmino * adductus est; in quô ille pro ἐπιστροφὴν, quod est in Græco, id est *conversionem*, immani vel oscitantia, vel fraude *confessionem* posuit. In Chrysostomo verò pari ineptia ἐξομολόγησιν interpretatus est † de auriculari peccatorum enumeratione, quæ vox eo loco actum pœnitentiæ, quô nostrum de admissis dolorem testamur, ex usu veterum necessariò significat. Ejusdem est, nisi fortè etiam majoris inverecundiæ, quod mox affirmat. *certum, atque exploratum semper in Ecclesia fuisse, non licere iis, qui peccatorum mortalium sibi conscij sunt, ad Eucharistiam accedere nisi per confessionem, & reconciliationem purgati essent, ut ex Cypriano & ex Leone, & ex aliis notissimū est*; *& rursus cùm omnes* (inquit) *Christiani saltem in Paschate, ad Eucharistiam accedere semper consueverint, & obligati fuerint*; *certè sequitur semper hanc legem in Ecclesia fuisse, ut omnes Christiani saltem semel singulis annis peccata sua confiterentur*. En Chrysippum nobis redivivum, qui quæ nudiustertius exorta sunt, ea sophisticæs suæ præstigiis mille annis antequam essent, jam fuisse persuadeat. Sed ista quidem non Chrysippæa, id est acuta, & ingeniosa illusio est; sed crassa ac turpis impostura. Quæ vt deprehendatur, hoc unum observandum est, Innocentium quidem istos, quos ad confessionem necessariò quotannis adigit, intelligere, diserteque dicere *omnēs utriusque sexus fideles*; quibus verbis omnibus omninò Christianis confitendi necessitatem imponi clarum est; Cyprianum verò & Leonem eam, de quâ loquuntur, *confessionem, & exomologesim* (quam vocem Bellarminus non intellexit) non ab aliis postulare, ac exigere, quam à *pœnitentibus*, hoc est à peccatoribus publicæ pœnitentiæ reis; Hos enim solos veteres intellexisse, quoties *pœnitentes* simpliciter & absolutè dicunt, ipse etiam Bellarminus alibi observavit. Itaque is si institutum hinc suum concludere velit, necessariò

* l. 3. de pœn. c. 8. § Sextò habemus.

† ibid. c. 9 §. Quartò sæculo.

l. 1. de pœnit c. 22. §. Nomen pœnitentium. § Hinc Pacianus

cessariò nobis demonstrare debet nullum olim *vtriusque sexus fidelem* ad CAP. XVII.
Eucharistiam admissum fuisse, nisi qui prius pœnitentiam publicè fecisset. Ea enim confessio, de qua Cyprianus & Leo loquuntur, ad publicam pœnitentiam facta fuit. Quin usque adeo differt ab Innocentiana lege veterum illorum & sententia & praxis, ut non dubitem siquis eorum ævo ita locutus esset, ut loquitur Innocentius, quin is pro deliro esset habitus. Nam olim quidem *fideles* à *pœnitentibus* ita distinguebantur, ut *fideles* simpliciter ii tantum dicerentur, quibus mensæ Dominicæ communio patebat, liberaque erat absque ullius apud sacerdotem functionis, adeoq; confessionis necessitate; *pœnitentes* verò, qui non antè eò admittebantur, quàm sacerdotis manu publicè reconciliati essent. Itaque monstri locotum habitus fuisset, qui (quod ait Innocentius) dixisset *omnem fidelem debere apud sacerdotem confiteri, ut communicet*; quod scilicet qui tum sacerdoti confiteri necessariò deberet, is non modo non omnis *fidelis*, sed nullus quidem *fidelis* fuerit. Cui hoc necessariò incumbebat, is non *fidelis*, sed *pœnitens* dicebatur. Sed de his postea & fusiùs, & accuratiùs. Nunc concludamus novam, & aliundè, quàm à Christo, Christique Apostolis ortam esse confessionalem adversariorum disciplinam; quando prima de ejus necessitate lex ab Innocentio III. Romæ Episcopo in Lateranensi Synodo ante annos quadringentos lata reperitur; una cùm *transsubstantiationis* decreto, cuius antea & dogma, & nomen inter Christianos ferè incognitum, & inauditum fuerat. Atque ita una hæc, eademque Synodus, auctore ac principe Innocentio, duas lethales plagas Christianorum pietati simul ac semel inflixit. Nam & *transsubstantiatio* veram de augustissimo, saluberrimoque Eucharistiæ Sacramento, deque Christi corpore, ac cultu fidem evertit; & auricularis confessio legitimam, antiquamque Ecclesiæ disciplinam omnem vel pessumdedit, vel absorpsit.

LIBER



DE CONFESSIONE AVRICVLARI, LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Altera de confeßione quæstio proponitur; quis de eâ Patrum sensus, ac usus fuerit? Status controversiæ figitur. Perronij fraus aperitur. Confeßionis species explicantur, quas & Patres commendarunt, & nos libenter admittimus. De solâ Innocentianâ, id est, & omnium peccatorum, & omnibus ac singulis fidelibus necessariò impositâ, quæri.



TQVE ita, & Scripturæ testimoniis, & rationibus, nisi fallor, perspicuis, demonstravimus confessionem adversariorum auricularem neque à Dominô Christô institutam, neque ab Apostolis traditam, aut præceptam fuisse. Iam quod sequitur, videamus an ea veteribus Christianis, qui Apostolis successerunt cognita, & usurpata fuerit; quamquam si vel ab istis commendatam ac in usum receptam fuisse probaretur, non ideo tamen consequens esset, ut ea necessariò Christianis hominibus imponenda sit; quod nimirum nulla sit hominum sive recentiorum, sive veterum, auctoritas tanta, quæ Ecclesiam ad ea suscipienda necessariò obliget, quæ neque à Christo, neque ab Apostolis instituta fuisse deprehenduntur. Et verò multa sunt huiusmodi, quæ præter Christi & Apostolorum mandatum à veteribus recepta, sequens Ecclesia, etiam Romana, planè penitusque abrogavit; quale est verbi, verbi gratia, quod apud vetustissimos, qui baptizabantur mel & lac gustarent, quod ipsi etiam infantes, si modo tincti, Eucharistiam perciperent, quod fideles neque Dominicis diebus, neque tota Pentecoste de geniculis adorarent; & alia non pauca, quæ olim apud omnes passim Christianos recepta, nunc

nunc vbique in usu esse desierunt. Itaque his exemplis & humanum auricularis confessionis tormentum, etiamsi apud veteres in usu fuisse demonstrantur, antiquandum tamen, atque ex Ecclesia exterminandum esset; eò impensiùs, quod ex omnibus hominum inventis atque institutis nullum sit isto durius, & in Ecclesiam contumeliosius, & à verbo Dei magis alienum, & publicè privatimque periculosius. Ergo nostra quidem omnis hæc caussa jam in tutô collocata est; neque ullam hominum autoritatem pertimescit; quæ in Christi, ut sic dicam, & Apostolorum sinu secura conquiescit. Sed quoniam adversarij hic etiam, ut in aliis controversiis solent, Conciliorum, & Patrum, Græcorum, Latinorumque, cassa quidem & inutilia, ubi divinæ Scripturæ auctoritas deest, sed tamen magno & apud plebem atque imperitos speciosa nomina jactant; operæ pretium est hoc etiam, iis quamquam per se alioqui infirmum ac invalidum argumentum eripere, ne quis superfit erroris, quantumvis tenuis, color. Quô & hæc altero utilitas accedet, quod ita, ut spero, patefiet, ex quibus initiis, & per quos gradus, quibusve & exemplis & auctoribus confessionale hoc institutum Christianorum genus paulatim invaserit. Quô loco inprimis observanda est nostratis Perronij, quô non alius est in illis partibus callidior, aut versutior, in ipso statim hujus disputationis limine insidiosa quidem, sed tamen timida, ac imbellis techna. Cum enim Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex scripsisset, non putare se quemquam reperiri, qui confessionem auricularem, qualiter ea hodie apud adversarios exercetur, in usu apud priorum sæculorum Christianos fuisse defendere velit; Perronius caussæ diffisus, locum hunc, in quo gradum figere debuerat, deserit, & aliò confugit. Caussatur enim in illis vocabulis, *qualis apud suos hodiè exercetur*, multiplices esse latebras; Multa quippe istis contineri, in quorum aliquô vix futurum, ut non hæreat disputatio. Itaque sibi satis esse, quod defendit *veterem Ecclesiam sensisse peccata apud Pastorem distinctè vocaliterque necessariò confitenda esse, ut eorum remissio obtineatur.* Quod verò sui hominum pudori pereunt, atque ita indulgent, ut pro publicâ arcanam duntaxat, atque auricularem confessionem ab iis exigant, eô non grauiùs, sed leniùs factum esse confessionis jugum; esse adeò, quod sibi homines de hac istorum indulgentiâ gratulentur; non esse, quod de aliquâ eorum duritie conquerantur. Hæc ille. Atqui dum sic agit, palam est eum latebras quærere, non autem Regem, quem falsò & immeritò incusat. Cum enim peccatorum apud Pastores confessionem ne nos quidem ipsi vel simpliciter repudiemus, vel veteribus omninò ignotam fuisse contendamus, Rex meritò ac necessariò definivit, quæ qualisque sit ea confessio, quam in usu veteribus fuisse negamus. Nimirum non aliam intelligimus, quàm quæ apud adversarios ex Innocentij tertij decreto obtinet, vulgarique in usu est. Ad hanc lineam pugnandum est. Atqui noster antiquarius hinc fugit, clamans, disputationem multiplicem, ac nimium per-

Cap. I.

Replic. l. c. I. p. 513.

Cap. I. plexam, & latebrosam fore, si sibi sit in eô gradu certandum. Quod quid aliud est, quàm fateri confessionem, qualiter ea apud suos exercetur, apud veteres in usu non fuisse? neque id à se, quantumvis callidô, ac veteranô disputatore, defendi posse? Nam quod iste caussatur, multiplicem esse istorum vocabulorum *confessio qualis hodie exercetur*, sensum, ac, ut loquitur, *intelligentiam*; id apertissimè falsum est. Simplicissimus est, atque evidentissimus, omnibusque notissimus istarum vocum sensus; quasi verò quisquam sit, qui non intelligat, quæ qualisque sit illa confessio, quæ apud istos nunc in omnium usu est. Fateor rei multiplex esse, sinuosumque, ac latebrosum ingenium, quod in iis omnibus locum ferè habet, quæ homines ex sua libidine præter Scripturæ, rectæque rationis authoritatem instituerunt. Cæterùm quæ qualisque sit res ipsa, & ex quotidiano omnium virorum, mulierumque usu, & ex spissis istorum commentariis, adeò ubique innotuit, ut vix quisquam sit, qui id nesciat. Quod verò subiicit Perronius, sibi satis fore, si defenderit veteres existimasse *peccata pastoribus distinctè ac vocaliter confitenda esse, ad hoc ut eorum remissionem consequamur*, eô inquam sui Pontificis caussam apertè prodit. Non enim hoc tantum & statuit Innocentius, & cæteri sequuntur, sed & multa insuper alia; ut verbi gratia, quod omnis utriusque sexus fidelis minimum semel quotannis apud suum sacerdotem se sistere, omniaque ei peccata dinumerare debeat; Qui aliter faxit, & viuens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura; Siquis sacerdotum confessionis partem aliquam revelaverit, is sacer, ac intestabilis sit. Mitto alia pœnè innumerabilia hujus instituti mysteria, quæ nupera esse, & ab Innocentij aliorumque ejusdem commatis episcoporum incude recentia eo ipso prodit noster Perronius, quod eorum ex veteribus Ecclesiæ Patribus defensionem detrectat. Tum & ea ipsa, quæ Patribus placuisse contendit, vafrè ac ambiguè enunciat. Non enim explicat, quæ qualiaque peccata intelligat; an scilicet quæcumque nunc ipse cum suis arcana confessione procuranda sancit, eadem veteres publicâ expianda senserint. Veteres enim existimasse quædam peccata, (illa scilicet quæ in publicis Ecclesiæ canonibus denotabantur) apud Pastores esse confitenda, neque negamus, neque ipsi sanè aliter sentimus. Longè aliud quæritur; nimirum an nullum omninò sit peccatum, sive in canonibus notatum, sive non, quod non sit apud Pastores confitendum, cuius adeò remissio aliter obtineri non queat. Affirmant adversarij; nos negamus. Veteres, quid senserint, post audiemus. Hic satis est observasse, quam subdolè hocipsum, quod propriè quærendum est, dissimularit adversarius. Sed & illud planè est mirabile, quod iste statuit, certè statuere videtur, nihil aliud inter suam, & veterum confessionem fuisse discriminis, nisi hoc unum, quod illa quidem in arcano, & in aurem duntaxat sacerdotis fiat; hæc verò, publicè, & in omnium conspectu atque auribus facta fuerit. Quid ergo? An singuli *utriusque sexus*

sexus fideles omnia sua peccata, ut nunc in arcano, ita olim in publico quotannis confitebantur? & ni facerent, Ecclesiæ communione vivi mortuique excludebantur? An nemini tum licebat alicuius sibi delicti conscio, ex eorum genere, quæ adversarii *mortalia* vocant, nemini inquam istorum licebat ad Eucharistiam accedere, nisi priùs publicè peccatum confessus esset, quemadmodum hodiè ex Tridentino decretô, nefas putatur quemquam ita affectum Sacramentum sumere, nisi priùs in arcano delicta sua sacerdoti immurmuraverit? Atqui nemo horum utrumvis dixerit, qui quidem in Patrum scriptis vel leviter fuerit versatus; nedum ut Perronium putem, tantum antiquarium, utrumque affirmaturum. Ergo ille nobis suaviter illudit, dum confessionem suam non aliter à veterum confessione differre constituit, quam quod hæc publica, illa arcana sit. Planè alia est illa publica veterum, alia hæc arcana adversariorum confessio. Vnde porrò consequitur somnia istum nobis narrare, dum suorum indulgentiam deprædicat, qui scilicet non publicam, ut veteres, sed arcanam à nobis tantum exigunt. Meritò faceret, si eadem utraque esset neque aliud esset discrimen, nisi quod quæ isti in aurem sibi dici postulant, eadem omnia veteres in publico prodi coegissent. Nunc cum omnes omninò fideles isti apud se in arcano confiteri velint, & quidem omnia quorumcunque sibi fuerint conscij, neq; semel, sed perpetuo, ac crebrò, & minimùm quotannis; veteres verò constet nō ab omnibus fidelibus, sed à paucissimis confessionem publicam exegisse, ab iis scilicet qui in aliquod eorum criminum incidissent, quæ publicis Ecclesiæ canonibus denotata erant, idque non perpetuò, neque sæpè, sed semel tantùm in tota vita; apparet, quàm vana sit istorum gloriatio, qui magno nobis beneficio imputant, quod pro illo veterum jugô novum hoc suum nostris cervicibus imposuerint. Denique hoc postremò ab istis quæro, cur veterum, quam ipsi contempserunt, auctoritatem nobis obiiciant? Non iam quæro rectè-ne, an secus, antiquum morem mutarint; Mutasse ipsi certè confitentur, seque adeò ridiculos esse, qui, quorum ipsi decreta refixerunt, eos in hac caussa judices statuunt. Nam si Patrum iudicio standum putant, cur quam illos publicam exercuisse confessionem fatentur, ipsi exploserunt? arcanam, quæ apud Patres nusquàm comparet, instituerunt? Si non putant, cur ad eos provocant? Certè dum sic agunt, omninò vel Patres contemnunt, vel nobis illudunt. Iam quod in sequentibus Perronius *necessitatem confessionis* ita distinguit, ut neget eam absolutè ad salutem esse necessariam; non neget esse hactenus necessariam, ut sine ea non servetur peccator, cuiquidem confitendi facultas fuerit; quæ si desit, solam cum confessionis desiderio, & proposito contritionem sufficere; id, inquam, minimè pulsamus; neque aliud quàm hoc ipsum nostri intelligunt, siqui adversarios dicant absolutam confessionis necessitatem statuere, eam scilicet, quæ omnem Christianum lapsum à salute excludat, nisi is con-

Cap. I.

ub. supr. p. 554.

Cap. 1. fessione vel reapse, vel certè votô ac propositô functus sit; Illi enim non putant ullam esse contritionem tantam, quæ ad obtinendam à Deo delicti alicuius remissionem per se satis sit, nisi ad eam accedat insuper confessio vel in re, vel certè in votô, quoties huiusmodi necessitas accidit. quæ hominem à re ipsâ præstandâ, quamquam volentem, excludat. Hæc verò exceptio confessionis necessitatem, non modo non solvit, sed etiam astringit. Eam enim nisi summè necessariam esse putarent, minimè in peccatoris voto requirerent, quoties eum vel temporis, vel loci iniquitas à re ipsa præstanda prohibet. Quod optimè vidit Gabriel, qui ut verum esse demonstretur quod apud suos vulgo jactari refert, *contritione confessionem in voto contineri*, in primis probandum, atque constituendum esse ait confessionem esse præceptam & necessariam ad salutem. Denique quod Perronius ultimo loco confessionem *Sacramentum esse* negat; *Sacramenti (scilicet absolutionis pœnitentialis) conditionem, eamque necessariam, atque essentialem* esse, ait; id nos, inquam, tametsi undequaque falsum putemus, in præsentia tamen mittimus; quod ea disputatio ad quæstionem de Sacramentis pertineat. Hoc verò loco id unum quærere constituimus; an ea, quæ apud adversarios obtinet *confessio*, in usu apud veteres Christianos fuerit. Ac tametsi *non fuisse* satis clarè concedat Perronius, dum non *arcanam & auricularem*, qualis adversariorum nunc est, sed *publicam* fuisse eam confessionem fatetur, quæ apud Patres locum habuit; tamen quò res tota in apertâ lucem protrahatur, juvat hic ea omnia, quoad fieri potest expendere, quæ tum ipse tũ alij earũdem partium viri ex veteris Ecclesiæ monumentis in hac causâ afferre solent. Quod antequam facio, non pigebit statum quæstionis ex superioribus breviter repetitum huic de Patrum sententia disputationi accommodare.

In 4.d.17 q.1.

P. 554.

Primò ergo libentes concedimus Patribus cognitam, ac pro necessaria commendatam fuisse peccatorum nostrorum apud Deum confessionem; quâ apud Dominum, & in genere nos peccatores esse humiliter, & in specie huius, aut illius delicti nostri reatum, ac gravitatem agnoscimus; Pharisæorum & Pelagianorum, & multorum ex adversariis errori opposita, qui stulta propriæ justitiæ opinione inflati, se vel omninò à peccato immunes putant, vel sua certè apud Deum peccata elevant, levia illa & venialia duntaxat esse jactantes. De ea confessione Augustinus; *Ante omnia* (inquit) *confessio; nec quisquam se dicat justum*; & author homiliæ duodecimæ sive Euadius sit, sive Augustinus, Dicitur nobis, *Fatemini peccata vestra*, &c. *Dicit homini serpens ille per Mathematicos, & Manichæos, Ne confiteatur homo peccatum*, &c. *Numquid homo peccat? Stella sic posita sunt; Necesse est ut faciat homo peccatum*. &c. *Non tu peccas; gens tenebrarum peccat. Tu non habes peccatum*, &c. *Attendite & aliud, quando dicit homo, quod seductus est à Satanâ, quandò dicit se seductum, confitetur ex parte; sed tamen negat se fecisse, & dicit, Ego nihil feci, Diabolus fecit*, &c. *Deus confitenti tanquam in apertum sinum, indulgentiam paratus erat dare.*

Tract. 1. in ep. Ioan. T. 9.

Hom. 12 T. 10. vid. & in Psal. 74. & in 67.

Excusas.

Excusas, claudis sinum, includis peccatum, excludis indulgentiam peccati. De eadem confessione Hieronymus; *Ira Dei est vel maxima nolle peccatum confiteri humiliter; sed impudenter iactare iustitiam.* Et Ambrosius; *Quid timeo confiteri? quid timeo dicere peccata mea? Quid vereor opprobrij mei mentionem facere apud eum, cuius iudicia dulcia sunt?* Eadem confessione plenæ sunt Chrysostomi, ut posteà audiemus, plurimæ homiliæ: Neque eam cæteri tacuerunt, quos describere in re confessa nihil necesse est. Secundò. Etiam illam confessionem à Patribus cognitam, & commendatam, velut utilem, non tamen velut necessariam fatemur, quâ fratres fratribus lapsus suos inter se ex Christianâ charitate ac prudentiâ detegunt; mutuarum precum opem ad veniam à communi Domino impetrandam rogantes; de qua Augustinus, & Beda disertè monent, ad eamque insignem illum Iacobi locum, de quo supra diximus, referunt, *Confitemini alter utrum.* Tertiò. Et eam confessionem à veteribus probatam & præceptam fuisse concedimus, quâ à superioribus ex officio de delictis nostris interrogati, & increpiti ea non dissimulare, vel negare, sed ingenuè, atque humiliter agnoscere debemus; de quâ Ambrosius; David *cum à privato homine corriperetur, quod graviter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore.* Quartò, Itaque & illam confessionem apud veteres usitatam fuisse agnoscimus, quâ quisquis publicâ pœnitentiâ dignus est, peccatum cuius nomine eam commeritus est, id præsidibus, sive Pastoribus, & rogantibus, atque urgentibus confiteri, & nescientibus ipse ultrò revelare debet, ut suscepta ex eorum præscriptô exomologesi, sive pœnitentia, & Ecclesiæ ædificationi consulat, & suæ ipsius saluti; quæ sine hoc modestiæ ac caritatis ad Ecclesiæ satisfaciendum necessario officio, periclitatur, Hancque *confessionem*, licet non singulis, in Ecclesiâ tamen universùm necessariam esse unà cum Patribus fatemur; hoc sensu, ut scilicet quoties aliquis in peccatum publica pœnitentia dignum incidit, is ad huiusmodi confessionem compellatur, publicèque inde pœnitentiam suam testari cogatur. Hanc enim in Ecclesia disciplinam ad tollenda scandala, peccatoresque coërcendos, denique ad omnium, tum eorum qui intus in ipso grege, tum eorum qui foris sunt, ædificationem, non modo utilem, sed planè salubrem ac necessariam esse unà cum omni antiquitate existimamus contra immane adversariorum flagitium, qui eam penitus sustulerunt. Denique, neque illud abnuimus, veteribus cognitam ac laudatam fuisse liberam fidelium cum Pastoribus suis communicationem, quâ illi apud hos, quoties è re sua pietatis est, peccata sua, velut medicis ulcera, aut vulnera nudant; consilium ac remedia expetunt; consolationem & absolutionem quærunt, & ad eam ab optimo Domino impetrandam, precum ac ministerii eorum opem implorant; de quâ confessione & Hieronymus in Ecclesiasten, & Origenis in Leviticum, & Pseudo-Petrus ad Iacobum, & Basilius in Regulis, & alij alibi

CAP. I.

In Hier. l. i. T. 5. fol. 119. F.

Ambr. serm. 5. in Psal. 118. In litt. He ℣. 7.

Tractat. 58. in Ioan. T 9. & hom. 11. in Beda in Iac. 5.

De Apolog. David. c. 2.

Cap. II. capiendi sunt, ut posteà ostendemus; eamque nos ipsi non modò non damnamus, sed etiam vehementer probamus. His ergo confessionis generibus ex hac disputatione rejectis, una superest Innocentiana adversariorum confessio; quâ scilicet singuli fideles omnia sua peccata manifesta & occulta in aurem sacerdoti necessariò, ac sub æternæ mortis pœna, sæpe, & minimum semel quotannis confiteri tenentur; neque aliter ad sacram Domini mensam admittuntur. Quæritur ergo propriè an hæc quæ adversariorum nunc est, veterum quoque olim fuerit, de ista confessione sententia. Illi aiunt; Nos negamus, Primò igitur illorum argumenta videamus.

Caput II.

Diluitur ac explicatur I. Testimonium ab adversariis pro confessione allatum, quod est Pseudo-Dionysij Areopagitæ. Excutitur II. Testimonium, quod est Clementis Romani.

Bellarminus in prima disputationis acie Concilia locat; in secunda singulos Græcos, Latinosque Patres. Nos simpliciùs temporum ordinem, sequemur; & veterum, quæ ab istis adducuntur testimonia, sive singulorum, sive plurium in Synodis sententiam dicentium, pro sæculorum, quæ à Christo nato fluxerunt, serie ordinabimus.

Ex primò ergo sæculo, quô ipsi Apostoli & vixerunt, & denati sunt, Vasquez *a*, Estius *b*, & Gregorius de Valentia *c* Dionysium Areopagitam afferunt Pauli discipulum, Demophilum quendam monachum reprehendentem, & objurgantem, quod sacerdotem ab audiendo quodam peccatore prohibuisset; σὺ δὲ (inquit) ὡς τὰ γράμματά σου δηλοῖ, τὸν προσπεσόντα τῷ ἱερεῖ, τὸν ὡς φῂς ἀσεβῆ καὶ ἁμαρτωλὸν οὐκ οἶδ' ὅπως καθ' ἑαυτοῦ παρὼν ἀπελάκτισας. εἶτα ὁ μὲν ἱκέτευε καὶ ὡμολόγει πρὸς ἰατρείαν κακῶν ἐληλυθέναι. σὺ δὲ οὐκ ἔφριξας, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀγαθὸν ἱερέα μετὰ θράσους προσεπηλάκιζες, ἐλεήσαντα τὸν μετανοοῦντα, καὶ τὸν ἀσεβῆ δικαιώσαντα. καὶ τέλος ἔξιθι ἔφης τῷ ἱερεῖ μετὰ τῶν ὁμοίων. *Tu autem, ut litteræ tuæ declarant, eum etiam qui se ad sacerdotem submisisset & abjecisset ad eius genua, impium, ut ais, & peccatorem, haud scio quomodo præsens ipsum calce detrusisti. Deinde ille quidē rogabat, seq; medicinæ peccatorum caussa venisse fatebatur. Tu autem non modo non exhorruisti, verum etiam bonum sacerdotem provectus audacia maledictis vexasti, judicantem peccatorem quoque, dum pœnitet, misericordiâ dignum; & ad extremum, Exi, sacerdoti dixisti, cum tui similibus.* Hæc ille. Ego vero inprimis respondeo hunc scriptorem ab istis inverecundè nobis obiici, quem & omnes nostri

a In 3. Thom. T.4 q.90. art. 1. dub. 1. §. 13.
b in 4 d. 17. § 6.
c In 3. Thom. T.4 disp. 7. q. 9. puncto 1. p. 1271. 2
Ep. 8 ad Demoph p. 251. B.

CAP. II.

nostri, & ex ipsis adversariis Valla *a*, & Erasmus *b*, velut auctorem beatissimi Dionysii nomen falsò & impudenter mentitum, explodunt; quem Cardinalis Cajetanus *c* velut dubium & incertum sugillat; quem Petavius Iesuita *d* nnper gravissimo præiudicio confixit, ac confodit, dum in opere lingua vernacula contra Arnaldum edito docet ac probat Apostolorum temporibus nondum obtinuisse totam illam veteris pœnitentiæ per varios ordines distinctæ disciplinam, quam huic tamen auctori cognitam, & in libro de Hierarchia Ecclesiastica explicatam fatetur; quem neque Eusebius neque Hieronymus, neque quisquam veterum, qui quatuor primis Christianismi sæculis vixerunt, memoravit; cuius testimonia quædam à Severianis hæreticis objecta, Catholici in collatione *e* quadam anno Christi 532. Constantinopoli habita veluti falsa & Apocrypha rejecerunt; cuius opera iam antè annos nongentos in dubium vocata testatur Photius *f*; quem & rerum, quas passim memorat novitas, & ipse orationis character longè post Apostolica tempora vixisse clamant. Nam, ut cætera mittam, in hac ipsa, quæ obiicitur epistola, & † *monachorum* meminit, qui nulli apud Christianos antè Antonium anno 309. fuerunt, & Christianis templa cum adytis tribuit, quæ Apostolorum ævo nulla erant, & Episcoporum à presbyteris distinctionem post Apostolos exortam clarè constituit. Sed hæc nos obiter. Plura qui volet de falsô hoc & supposititio Dionysio, nostros adeat id argumentum ex professo tractantes, ut Cocum *, & Albertinum †. Secundò respondeo locum objectum non ad confessionem adversariorum auricularem, sed ad veteris pœnitentiæ disciplinam pertinere, quæ jam istius scriptoris ævo in Ecclesia, vel Petavio teste, constituta erat. Is enim cuius meminit, peccator ad sacerdotem venerat *ad quærenda peccatorum remedia*; hoc est ad poscendam pœnitentiam. Demophilus verò eum *calce abjecerat*, ipsumque sacerdotem conviciis lacerarat, negans *peccatoru, etiam pœnitentis, esse miserendum*, quo se Novatianorum hæresim secutum docet; eoque ipso prodit iste scriptor se post exortam illam hæresim vixisse, hoc est diu post Apostolorum tempora. Quid hæc ad Romanum de arcana confessione dogma? Quis negat peccatori licere ministrum Christi ad *quærenda peccatorum remedia* adire? Quis ei pœnitenti negandam misericordiam contendit? Apud nos sanè nulla est auricularis confessio; neque tamen vel Pastorum aditus vel pœnitentia, & peccati remedia lapsis negantur. Quæ verò hic observat Gregorius ea vel falsa sunt, vel vana. Ait *Dionysium eam* impij confessionem *memorare, quam oportet facere* ad remedia peccatorum quærenda. Atqui nihil huiusmodi ille Pseudo-Dionysius. Tantum dicit istum peccatorem *ὡμολογῆσαι πρὸς ἰατρείαν κακῶν ἐληλυθέναι*, *fassum sive professum esse se medicinæ peccatorum caussa venisse*. Dixit se venisse, ut medicinam quæreret, hoc est, ut *pœnitentiam peteret*. (sic enim loquebantur veteres.) Venisse, ut *confiteretur*, hoc est, peccata in aurem sacerdotis sigillatim, ac minutatim ho-

dierno

a Annot. in Act. 17.
b Ep. præfix. paraph. in 1. Cor. & sch. in Hier. de Eccles. script.
c in Act. 17.
d 1. part. l. 2. c. 8. p. 218. 221. part. 3 l. 5. c. 9. p. 55. & part 2. l. 1. c. 16. p. 110. 111.
e coll. Const. Concil. T. 1. p. 855. D.
f Bibl. cod. 1.
† p. 101. b c. passim.
* In censur.
† De Euchar. veter. l. 2 in Dion. p. 48.

CAP. II.

dierno more numeraret, ac recenseret, nullus dicit. Falsum item est, quod Gregorius fingit confeßionem *istam secretò factam fuisse*. Vbi hæc apud Pseudo Dionysium? Atqui ne de *confeßione quidem peccatorum* quicquam ille habet; nedum ut dixerit eam vel ad remedium peccati necessariam esse, vel *secretò* fieri debere. Quinimò adfuisse Demophilum tum sacerdoti, peccatorisque cum eo colloquio interfuisse clarū est. Sed inquit, *peccator ille corā sacerdote prociderat*. Quasi verò corā sacerdotibus ij soli procidere olim solerent, qui in arcano peccata apud eos sua cōfessuri erant. Nō aliter pœnitentiā lapsi. Non aliter pacē pœnitentes, quā procūbentes humilitatis testādę causâ à sacerdotibus petebāt. Pari deniq; ineptia laborat, quod ultimò notat Gregorius *confeßionem istic memorari ad eam rem adhiberi solitam, ut peccatorē, ita confitentem sacerdos verè & efficaciter justificaret*. Omnia Gregorij somnia sunt. Primò, quòd jam dixi, nihil Dionysius *de confeßione peccatorū*. Tantùm ait istum professum esse se ad sacerdotem medicinæ caussâ venisse. Secundò illa, cuius caussa veniebat, medicina quæ, qualisque sit, non explicat; nos pœnitentiam fuisse, non auricularem confeßionem, & scimus, & infrà fuse probabimus, cùm ad quinti sæculi quô ille vixisse videtur, scriptores ventum fuerit. Tertiò, de *confitente efficaciter justificato*, nihil planè apud istum Pseudo-Dionysium. Tantum ait Demophilum eò provectum esse, ut maledictis vexaret sacerdotem, ἐλεεινὸν τὸν μετανοοῦντα καὶ τὸν ἀσεβῆ δικαιώσαντα, *judicantem peccatorem quoque, dum pœnitet, misericordiâ dignum*. Sic enim in Parisiensi editione hæc redduntur; non, ut falsò & mendosè habet Gregorius, *miserabilem eùm dicens, qui peccatorem & impium iustificasset*. Ex quibus apparet primò δικαιώσαντα hic esse qui *judicaret*, qui *censeret*, non autem qui *justificasset*: Secundò *misericordiâ* dignum censeri, sive judicari, non *confitentem* (quod improbè & audacter fingit Gregorius) sed *pœnitentem* μετανοοῦντα, quod disertè habet Pseudo-Dionysius. Atque ex hoc specimine obiter videre est, qualis, quantaque sit Gregorij, & aliorum eiusdem generis adversariorum in torquendis, & pervertendis veterum dictis audacia, atque inverecundia. Et hæc quidem de Pseudo-Dionysio satis.

In 3. Thom. tom 4. q. 90. art 1 dub 1. §. 15.
† In 4. sent. d. 17 § 6.
Epist. 1. ad Iacob.

Aliud ejusdem, ac fortasse etiam deterioris surfuris testimonium pro sua confessione afferunt Vasquez & Estius † ex Apocrypha Clementis Romani ad Iacobum epistolâ; *Quod si in alicuius cor* (inquit ille) *vel livor, vel infidelitas, vel aliud malum ex his, quæ supra memoravimus, latenter irrepserit, non erubescat qui animæ suæ curam gerit hæc confiteri ei qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur*. Tum idem multis interpolitis de Petro loquens; *Docebat* (inquit) *cogitationes malas mox ad Christum allidere, & sacerdotibus Dei manifestare*. Respondeo primò ne hæc quidem confeßionis necessitatem probare, sed id duntaxat suadere, ut si quem peccati vis urgeat, is præpositos Ecclesiæ adeat, quò venienti, aut jam grassanti morbo vel maturè occurrat, vel certè medeatur adhibitô

bitô ſapientioris conſilio, (cuiuſmodi confeſſionem & nos libenter admittimus, & Eſtius aliam à ſuâ eſſe diſertè docet.) Atque id ipſum ingenuè agnoſcit Maldonatus, vir cæteroquin ex Ieſuitarū ſocietate, nobis inimiciſſimus, ac maledicentiſſimus; qui varios confeſſionis fines edifſerens, *Vnus erat* (inquit) *ut peccatores peterent conſilium à Confeſſarib. Hoc eſt quod ſcribit Clemens ep.1. D.Petrum docuiſſe, ut peccatores exponerent ſacerdoti ſuas cogitationes malas, ut ab illo acciperēt remediū; & quod Dionyſius Areopagita indicat in epiſtola ad Demophilū, reprehendēs Demophylū, quia calce abiecerat peccatorem accedentem ad presbyterum, ut ab illo peteret remedium peccatorum.* Quibus verbis illum quoque Pſeudo-Dionyſij, de quô nuper diximus, locum, eodem, ut vides, refert Maldonatus. Hic verò *Sacramentalis* (quam iſti vocant, ac de quâ nunc ſola diſputamus) *confeſſionis proprius finis* non eſt, ut ibidem tradit Maldonatus; *ſed proprius eius finis* eſt, ut idem ait, *ut peccatores vi clavium Eccleſiæ obtineant remiſſionem peccatorum*: quâ de re nihil in laudato loco Pſeudo-Clemens. Sed etiamſi hæc clara ſint, non puto tamen operæpretium eſſe in iis expendendis immorari; quod omnes pœnè utrarumque partium eruditi falſam & ſuppoſititiam eſſe hanc Clementis ad Iacobum Epiſtolam confiteantur; ut ex adverſariis Turrecrematâ *a*, Caſanus *b*, Driedo *c*, Eſpencæus *d*, Baronius *e*, Perronius *f*, Bellarminus *g*, Poſſevinus *h*, Antonius Auguſtinus *i*, & alij, quos recenſere longum eſt. Blondellum noſtrum adi, qui peculiari opere illam epiſtolarum, quæ primis Romæ ad Siricium uſque epiſcopis tribuuntur, farraginem doctè, ac fusè confutavit. Atque hæc fortaſſe cauſſa fuit, cur non modò Perronius, ſed & Bellarminus, avidiſſimus alioqui talium quiſquiliarum ſectator, neque hunc Clementis, neque ſuperiorem Dionyſij locum in hac diſputatione adhibendum putaverint; quod apud cordatos homines nullam eſſe Apocryphorum, ac fictitiorum librorum auctoritatem intelligerent.

Cap. II. In 4. ſent d. 17. §. 4. Diſput. de Sac'am. T. 2. de confeſſ orig. c. 2 p 40.

Ibid. col. 2.

a Summ. de Eccleſ. l 2. c. 101.
b concord. cath. l 3. c. 2.
c de dogm. & Script Eccl. l. 1. c. 2. part. 3.
d de contin. l. 1. c. 6.
e ann 69 § 43.
f repl. l. 1. c. 31. p. 159.
g de Script. Eccl.
h Appar verb. Clem. R.
i Annot in c. 6. q. 1. c. Beatus.

Caput III.

Teſtimonium III. quod ex Irenæi dictis ſumptum eſt, explicatur, probaturque nihil ad auricularem confeſſionem facere.

Iam reiectis ex hac diſputatione apocryphis ad vera & indubitata Patrum monumenta veniamus.

Primus & antiquiſſimus quem ex hoc cenſu laudant adverſarij eſt Irenæus. Is enim ſecundo ſæculo exeunte vixit. Ex hoc ſcriptore tria loca adducit Bellarminus, quorum duo priora habentur libro primo adverſus hæreſes, capite nono; ubi de mulieribus loquens à Marco mago

L. 3. de pœnit. c. 6. §. Primus.

CAP. III. & hæretico seductis, *Hæ* (inquit) *sæpissimè conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt & secundum corpus exterminatas se ab eo veluti cupidine, & inflammatas valde illum se dilexisse.* Græca, quæ exhibet Epiphanius, ita habebant Κεφ. 34. ὅτι δὲ φίλτρα καὶ ἀγώγιμα πρὸς τὸ καὶ τοῖς σώμασιν αὐτῶν ἐνυβρίζειν ἐμποιεῖ οὗτος ὁ Μάρκος ἐνίαις τῶν γυναικῶν, εἰ καὶ μὴ πάσαις, αὗται πολλάκις ἐπιστρέψασαι εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, ἐξωμολογήσαντο, καὶ κατὰ τὸ σῶμα ἠχρειῶσθαι ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐρωτικῶς πάνυ αὐτὸν πεφιληκέναι. Abbas Billius ita vertit; *Quod autem Marcus amatoria quædam & illectantia pharmaca (quò videlicet earum quoque corporibus probrum & contumeliam inferat) si non omnibus, at certè nonnullis, adhiberi soleat, ipsæmet sæpe cum ad Dei Ecclesiam rediissent, confessæ sunt, seque corpore ab eo contaminatas fuisse, miroque ipsius amore exarsisse.* Hæc Irenæus, quæ quid ad confessionem auricularem faciant, difficile est videre. Ait mulieres istas confessas esse Marcum philtris & pharmacis uti solitum ad illiciendas & corrumpendas fœminas, seque id ab ipso passas. Cui id confessæ fuerint, an uni in aurem sacerdoti, an toti presbyterio, an etiam laicis, & quâ ratione confessæ fuerint an necessariò & ex lege, quasi non aliter remissionem peccati consecuturæ, an sponte ex anteactorum flagitiorum detestatione, an verò interrogatæ ab Ecclesiæ præsidibus, ut scelestæ disciplinæ arcana penitus pernoscerent; in incerto relinquit. Itaque plane alienus est à præsenti disputatione hic locus. Propiùs ad eum accedit qui mox in eodem capite sequitur de uxore diaconi Asiatici à Marco corrupta, quæque ei diù adhæserat; ἔπειτα (inquit) μετὰ πολλοῦ κόπου τῶν ἀδελφῶν ἐπιστρεψάντων, αὐτὴ τὸν ἅπαντα χρόνον ἐξομολογουμένη διετέλεσε, πενθοῦσα καὶ θρηνοῦσα ἐφ' ᾗ ἔπαθεν ὑπὸ τοῦ μάγου διαφθορᾷ. *Post deinde cùm magno labore, fratres eam convertissent omne tempus in exhomologesi consummavit, plangens & lamentans ob hanc, quam passa erat ab hoc magô corruptelam.* Sic enim vetus Irenæi interpres; multò meliùs, quam Billius, qui illa Græca, Τὸν ἅπαντα χρόνον ἐξομολογουμένη διετέλεσε, vertit, *per omne reliquum vitæ tempus admissum scelus confiteri nō destitit*; absurdissimè. Nam pœnitentia quidem, ac vitæ emendatio perpetua esse debet; *Confessionē* verò ejusdē sceleris iterùm, atq; iterū repetendam, & ad ultimum usq; vitæ articulum faciendam, quis nisi insaniat, putaverit? Sanè ipse Billius rei absurditate permotus, ἐξομολογουμένη, synecdochicè ἀντὶ τοῦ μετανοοῦντα pro eo quod est *pœnitens* hoc loco usurpari observavit in scholiis. Vetus verò interpres optimè, *omne tempus in exhomologesi consummavit.* ἐξομολογεῖσθαι planè id est hoc loco, quod Latini vetustissimæ Ecclesiæ scriptores dicunt *exomologesim facere.* Quò pertinet & tertius à Bellarmino allatus

l. 1. c. 4. Irenæi locus; *Cerdon autem, qui ante Marcionem, & hic sub Hygino, qui fuit octavus Episcopus, sæpe in Ecclesiam veniens, & exomologesim faciens sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologesin faciens, modò verò ab aliquibus traductus in his, quæ docebat male & abstentus est a religiosorum hominum conventu.*

Hist. l. 4. c. 11. Lat. 10. Græca repræsentat Eusebius, quæ, quod

lucem

locem, veteri huic, & à nimia simplicitate rudi & obscuræ interpretationi afferunt, describere placet. Κέρδων δὲ ὁ πρὸ Μαρκίωνος, καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου. ὃς ἦν ἔνατος ἐπίσκοπος. εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐλθὼν, καὶ ἐξομολογούμενος, οὕτως διετέλεσε, ποτὲ μὲν λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος, ποτὲ δὲ ἐλεγχόμενος ἐφ' οἷς ἐδίδασκε κακῶς, καὶ ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας. Recentior interpres; *Cerdon autem, qui Marcionem antecessit, ipse quoq; Hygini tempore, qui nonus Episcopus erat, Romã profectus, ac pœnitentiã agens, ita perstitit, ut nonnunquam furtim suum dogma spargeret, nonnunquam rursus pœnitentiam ageret, nonnunquam denique convictus, atque reprehensus, ob ea quæ perniciosè docebat, à fratrum coetu absisteret.* ἐξομολογεῖσθαι, quod in superiore loco *confiteri* perperam redditum erat, hic melius redditur, *pœnitentiam agere*; optimè verò vetus interpres *exomologesim facere*; ut Tertullianus & Cyprianus, & alij passim loquuntur. Bellarminus, quod ἐξομολογεῖσθαι vulgò Græcis sit *confiteri*, putavit illam Irenæi *exomologesim* esse auricularem suam *confessionem*. Fatetur quidem eam interdum apud Patris *contritionem*, & *satisfactionem* significare; sed ita tamen, ut utraque cum confessione conjuncta intelligatur; *Itaque* (inquit) *exomologesis confessio est, vel sola, vel cum adjunctis aliis pœnitentiæ partibus.* Sic etiam Feuardentius vult exomologesim apud Patres significare confessionem, quæ à baptizatis lapsis apud præsides Ecclesiæ fit, quæque apertam & distinctam continet delictorum enumerationem. Sed isti quidem nihil hac in re viderunt. Certum enim est (quod mox ad Tertulliani, & Cypriani loca demonstrabimus) *emologesim* veterum fuisse, non quod isti inepte & inscitè ponunt, vocalem distinctamque peccatorum, quæ quisq; admisisset, enumerationem, aut aliquid cum eâ enumeratione conjunctum, sed eam propriè pœnitentiæ partem, quô fletu, mœrore, & aliis tristibus & externis actibus pœnitens suum de anteactis peccatis dolorem apud Ecclesiam testabatur. Itaque Irenæus dum & diaconi uxorem, & Cerdonem ait *in exomologesi consummavisse*, & *exomologesim fecisse*, nihil aliud significat, quam utrumque suum de præteritis lapsibus pœnitentiam, meliorisque ac emendatioris vitæ propositum humiliter lacrymis, reliquisque pœnitentiæ tum solenni mœrore testatum esse, quod nemo negat & olim & nunc legitimum eorum esse officium, qui ex hæresi, quod fuerat utriusque crimen, ad Ecclesiam redeunt. Quod enim notat Bellarminus, Cerdonem latenter hæresim suam docuisse, non eô efficitur, ut interiùs, & arcanum fuerit ejus peccatum, vel non ex eorum genere, de quibus pœnitentia apud Ecclesiam suscipienda & agenda est.

ab supr. § 9. Quo loco.

In lib. 1. c. 9. Iren. § 9.

Caput IV.

Quarti testis dicta excutiuntur, qui scriptor est libri de pœnitentia. Dubitatum à quibusdam an is sit Tertullianus; Ejus testimonia pertinere ad publicam, tum solennem, pœnitentiam. Exomologesis non est auricularis confessio, sed ὑποπτωσις, quod fusè confirmatur.

Verum, quo & hæc Irenæi, & alia aliorum Patrum loca, in quibus *Exomologesis* vocabulum occurrit, clarius, certiusq; intelligantur, nunc ad scriptorem de Pœnitentia, qui extat in Tertulliani operibus, veniamus. Is enim optimè explicat, quid sibi & aliis fuerit *exomologesis*; & multa eius testimonia huc congerunt adversarij, quæ ad suam confessionem inverecundè torquent. Primò hæc describunt Bellarminus, & Gregorius; *Exomologesis est* (inquit) *quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur.* Tum alia non pauca, & isti, & Vasques, & Estius, & Perronius ex eodem libro afferunt. Sed antequam de testimoniis, pauca mihi de teste præfanda. Is Tertulliani nomen præfert. Sed stili diversitas, diffusioris, & accuratioris, Erasmum & Rhenanum movit, ut Tertullianum operis huius authorem esse negarent; Petavium, ut ambigeret; tametsi Pamelium, qui Tertullianum esse ait, verisimilius opinari putet. Amplissimus verò Rigaltius planè Pamelio accedit, rationemque à stilo petitam frivolam censet, secum sensuros confidit, qui Septimio legendo attentiùs incubuerint. Me verò olim & orationis quidem (fateor) perspicua diversitas sed multo magis sensuum movebat. Nam huius operis scriptor mente & sententiâ totus ab authore libri *de Pudicitia* diversus, qui indubiè Tertullianus est. Pœnitentiæ siquidem & reconciliationis jus mœchis, & idololatris, & mortalium in genere delictorū reis negat, ille donat; imò hic oppugnat, ille propugnat; & ab hoc objecta Apocalypseos quædam loca ille disertè solvit. Neque ut videtur satisfacit, quod ait Pamelius alium revera Tertullianum à seipso fuisse cum *de Pudicitiâ* scriberet; Montanistam enim tum fuisse; Catholicum verò cum *de pœnitentiâ*. Atqui & ab ipsis Catholicis pœnitentia, & communionis spe exclusos fuisse, & *mœchos* ante Zephirini decretum, ex cujus occasione scriptus est *de Pudicitiâ* liber, & diù etiam postea ad Eliberitanæ synodi sæculum, id est Christianismi quartum, *homicidas, & idololatras*, & constat, & Albaspineus validè demonstravit, & eruditi nunc consentiunt; certè Petavius admittit. Hæc me, quod dixi, aliquando moverunt, ut Erasmo

Lib. de pœn. c. 9.

ub. sup.

Rhen præf ad hunc lib. Petav ad Epiph p 136. Rigalt ad Tertull. p. 37.

De pœn. c. 8. de pudic c. 9.

Obl l. 2. Obl. 17. 18 de mœchis. obs. 11 de lapsis. obl 15. & 16. de homicidis.

Erasmo potius quam Pamelio assentiendum putarem; donec Tertullianum animadverti diserte in libro de Pudicitia confiteri se priorem de Pœnitentia sententiam mutasse à quo tempore à Catholicis ad Montanistas transierat. Perspicua sunt ejus verba; *Erit igitur & hic adversus Psychicos* (Catholicos intelligit) *titulus*; *adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent.* Hæc ille; ut nihil vetet, quin idem utriusque libri auctor sit; illius de pœnitentia, antequam Montanista fieret; huius de Pudicitia, postquam Montanum sequi cœpit. Cætera liber est Tertulliano dignus. Hujus ergo testimonia videamus, quæ frustrà adversarij ad confessionis Innocentianæ patrocinium trahunt. Totius autem erroris fons est, quod *exomologesin* tum apud hunc authorem, tum apud Cyprianum *secretam esse confessionem* somniarunt; quæ fit sacerdoti scilicet, tanquam medico; idque nos Gregorius *omninò sentire* jubet. Sed quàm sit immanis & istorum, & aliorum, qui idem sentiunt, hallucinatio, vix nunc quisquam est eruditorum, qui nesciat. Gabriel Albaspineus, Episcopus Aurelianensis, id jam pridem, & quidem fusè, ac ex professo docuit; eamque disputationem exordiens suorum hac in parte lapsum disertè notavit; *Multi* (inquit) *ut Cardinales Bellarminus, & Baronius, Maldonatus in suis controversiis, Pamelius suis ad Tertullianum & Divum Cyprianum commentariis pro certò asserunt Patres ut plurimum hac voce* (exomologesis) *confessionem peccatorum arcanam, & auricularem intellexisse. Verum diù, multumque perscrutatus omnibus, ubi ea habetur, locis, illorum opinioni non possum accedere.* Tum statuit Patres, *quoties eam vocem adhibent, significare velle ritus exteriores, ut potè flendi, ingemiscendi, se ipsum incusandi, & id genus alia pœnitentibus usitata.* Mox quod apud omnes in confesso est, memorat *prioribus illis sæculis pœnitentes longa admodum, & laboriosa defunctos esse pœnitentia, per quam assiduis fletibus se ipsos conficerent, pro vestibulis ædium sacrarum starent ad testandum publicè erroris sui dolorem; quin & humi jacentes Episcoporum pedibus, martyrum genibus advolverentur, cæterorum quoque fidelium, identidem orantes unumquemque, ut sibi apud Deum deprecator adesset, operti sacco, horrore, squaloreque obsiti; peracta verò pœnitentia Episcopum eos ex aditu in medium templi deductos coram presbyteris, diaconis, viduis, & populo stitisse, ubi rursus humi procumbebant, crimina sua detestabantur, ubertim flebant, omnium se precibus commendantes, nec unquam eodem se relapsuros sanctè dejerantes.* His, quæ apud omnes indubitata sunt, ita constitutis, postremò concludit, *ultimum hunc ritum* exomologesim *à Patribus esse nuncupatũ, quod in se plurimos actus haberet, dolorẽ admissæ culpæ præferentes, nõ secus ac omnis actio & ratio vitæ pœnitentiũ inter pœnitentiã agendam perinde* (inquit) *exomologesis aliquando dicitur.* Hæc ille; quæ mox ex Tertulliano & Cypriano ita accuratè, ac fusè probat, ac firmat, ut neminem usque adeò protervum esse putem, qui repugnare possit. Verum jampridem ante Albaspineum viderat Erasmus, & ad Hieronymum his

Cap. IV.

Tertull. l. de Pudic c. 1. p. 713. D.

l. 2. obs. 26.

Cap. IV.

Schol. in Ep. Hier. ad Oceanum de obitu Fabiolæ. T. 1 fol. 72 F.

Præfat. ad lib. tert. de pœn. p. 469.

verbis annotaverat. *Publica illa* (inquit) *& generalis* (apud veteres scilicet solennis) *confessio nihil aliud erat, quam signis quibusdam, & piaminibus ab Episcopo indictis, se peccatorem & bonorum communione indignum agnoscere.* Viderat & post Erasmum Beatus Rhenanus, qui *exomologesim* illam veterum publicam definit *actum pœnitentiæ coram Ecclesia.* Nunc, ut dixi, omnes eadem vident, ac confitentur. Dionysius certè Petavius Iesuita hæc clarissimè sequitur. Nam primò illam exomologesim, in qua Irenæus quod jam audivimus, refert apud Epiphanium diaconi uxorem perseverasse, ait *esse non ipsam tantum peccati confessionem; sed pœnitentiam ipsam, quatenùs & confessionem, & luctuosas pœnitentium sordes, & cætera mœroru ac ταπεινώσεως indicia complectitur.* Tum alibi ait *se apud Cyprianum animadvertisse exomologesin pro pœnitentiæ publicæ certâ functione sumi, quæ uni ex quatuor pœnitentiæ gradibus præcipuè conveniret, nimirum ὑποπτώσει, quæ tertiò loco numeratur.* Sed & in alio recentiori opere nuper etiam clariùs definivit, quid esset apud Patres exomologesis; id nominis tertiò pœnitentium gradui, id est τῇ ὑποπτώσει tribui, eo sensu, ut *eam doloris ac pœnitentiæ professionem significet, quæ rebus ipsis, realibusque contritionis testimoniis potius fit, quam verbis & vocibus*; atque ita sumi observat, tum apud Cyprianum Epistolis 10. 11. & 12. tum apud Tertullianum. Eruditissimus verò Rigaltius etiam planius, & breuius exomologesin ad Tertullianum de pœnitentia definit delictorum *publicam in luctu & squalore detestationem*; eamque ait *videri delictorum fuisse manifestorum, quæ aut sceleris infamiâ nomini Christiano iniuriâ facerent, aut fideiparũ constantis exemplo cæteris fratribus nocerent; occultorum verè pœnitentiam, sicut & castigationem, divinæ misericordiæ reservatam fuisse.* Atque hæc quidem illi; quæ nunc diligentiùs firmare supersedeo, tum quod id jam ab Episcopo Aurelianensi abundè præstitum fuerit; tum quod in sequenti cum adversariis disputatione de iis uberiùs dicendi locus dabitur. Obiter tantum ad superiora & hoc adiicere libet ipsam *confessionis* vocem apud Latinos simili aliquando sensu occurrere; ut non tam eam, quæ verbis, quam quæ ipsis operibus fit, peccati declarationem ac detestationem significet. Sic in Turonica I. Synodo, quæ A. D. 461. habita est, usurpatam *confessionem* observo; *Homicidis* (inquit) *non communicandum, donec per confessionem pœnitentiæ ipsorum crimina diluantur*; *Confessionem* dicunt, quam alii vulgò *satisfactionem* ex veteri Latinorum à nobis alibi observato usu appellabant. Certè quam hic Turonici Patres *pœnitentiæ confessionem* nominant eandem postea Agathenses A. D. 506. pœnitentiæ satisfactionem dicunt; *Itaque censuimus* (inquiunt) homicidas & falsos testes á communione Ecclesiastica *submovendos, nisi POENITENTIÆ SATISFACTIONE crimina admissa diluerint.* Idem, ut vides, utriusque Synodi sensus, eadem mens; & posteriorem à priori sua mutuatam verisimile est. Eodem sensu Beda diu postea idem nomen usurpavit, ubi ait *Deum in confessione propitium invenire.* Liquet enim ex ipso loco eum, non oralem de peccato testificationem, sed ipsam in veris pœnitentiæ acti-

Not. ad Epiph. p. 71.

Ibid. p. 210.

De pœn. publ. 1. part. l. 2. c. 13. p. 161. & l. 6. c. 8. p. 156.

Observat. ad libr. de pœn. observ. 1.

c. 7. T. 1. Conc. Gall. p. 131.

c. 37. ibid. p. 163.

l. 5. hist. Ang. c. 13.

actibus sitam satisfactionem intelligere. Quà mente Isidorus eleganter dixit *servo Dei tantam recordationem esse debere peccati, ut ea quæ gessit semper lacrymis contestatur*; id est jugiter de iis Dòmino Deo suo lacrymis satisfaciens rebus ipsis testetur quantopere sua delicta exhorrescat ac detestetur. Græca vero exomologesis vox diu mansit, etiam apud nostros, in Tertullianea illa significatione, unde postremò factum est, ut nono sæculo idem esset exomologesis, quod *Litania*, quæ, ut omnes norunt, humilis ac supplex est deprecatio cum summæ demissionis testificatione conjuncta. Id autem ex Synodo Moguntinâ, quæ ad annum Christi 813. pertinet, clarè habetur, in quâ hæc ad verbum leguntur; *Inter litanias & exomologeses hoc differt, quod exomologeses pro solâ peccatorum confessione agantur; litaniæ verò indicantur propter rogandum Deum, & impetrandam in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub vna designatione habetur.* Ergo utraque, *exomologesis*, inquam, & *litania* actus est, quô humiliationem, ac dejectionem animi coram Deo testificamur; Neutra peccatorum particularis, & sigillatim facta enumeratio est. Ergo, ut ad locum à Bellarminô objectum redeam, quô ait Tertullianus *exomologesim esse, qua delictum Domino nostrū confitemur*; concedo ex eo probari pœnitentes per exomologesin Deo confessos fuisse delictum; nego indè colligi exomologesin fuisse vocalem, quæ vel Deo, vel hominibus verbis fieret. Quod mœsti, prostrati, supplices, squalidi coram Deo & Ecclesia comparebant, eo ipso crimen confitebantur. Et in his, non autem in vocali peccatorum in aurem sacerdotis enumeratione sitam fuisse exomologesim, disertissimè ibidem docet Tertullianus. Inprimis enim præfatur secundam illam, de quâ istic disputat, pœnitentiam, *non solâ conscientiâ præferri, sed aliquo etiam actu administrari* debere, id est (ut optimè interpretatur Aurelianensis) non satis esse dolere de peccatis, ut in prima pœnitentia; sed insuper palam faciendum esse hunc dolorem exteriori aliquo actu, utpote fletu, gemitu, jejunio, &c. hæc, inquam, præfatus statim subjicit, *Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur.* Ergo *exomologesis* non nuda est delictorum enumeratio, sed *actus* exterior flendi, gemendique, & alia similia præstandi, quo deliquisse nos in Dominum fatemur, ac præ nobis ipsis ferimus. Sed & mox multo etiam clariùs huius vocabuli sensum aperit; *Itaque* (inquit) *exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; cæterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa; plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Non potuit Tertullianus clariùs docere

Cap. iv.
L. 2. sent. c. 14.
c. 32.
De pœnit. c. 9

Cap. iv. docere, quid sit exomologesis. Ea nimirum omnes illos actus complectitur, ac continet, & in iis sita est; quorum cum nullus sit illa, quam Bellarminus vrget, delictorum in aurem unius sacerdotis enumeratio, apparet, quàm crassus sit ejus error, qui *exomologesin* Tertulliani suam auricularem confessionem esse vult. Idem demonstrat quæ de ea paulò post idem scriptor subiicit; *Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat; cùm squalidum facit, magis mundatum reddit.* Tua quidem confessio, Bellarmine, neminem, quod sciam, *squalidum* facit. Non ergo Tertullianica est exomologesis. Deinde hæc exomologesis actus est, quo secunda pœnitentia administrabatur, ut ipse ille scriptor definit. Secunda autem illa pœnitentia, ut idem ait, *una erat*; neque cuiquam, nisi semel, dabatur; Pœnitentia verò, ad quam confessionẽ suam pertinere volunt adversarij, nõ semel, sed quotannis; imò si libet, omni mense, omniq; hebdomade repetitur, ac redintegratur. Ergo & ipse à Tertullianica pœnitentia, & huius confessio ab illius exomologesi planè alia est. Præterea, quæ sequenti statim capite addit, idem liquido confirmant; *Plerosque tamen* (inquit) *hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis, veluti illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Ex his Bellarminus colligit non loqui Tertullianum de ea confessione, quæ in arcano fit apud Deum, rectè sanè; Sed & ex iisdem æquè concluditur, neque de *auriculari confessione* eum intelligere; quæ cum apud unum hominem, & quidem inviolabili sacramento obstrictum, in arcano fiat, *confitentis publicatio* nisi ridiculè dici non potest. Tum statim ea addit, ex quibus liquet (quod & observat Aurelianensis) exomologesin apud plures factam; *Inter fratres* (inquit) *atque conservos. ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, (quia communis spiritus de communi Domino & Patre) quid tu hos aliud, quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum, ut plausores fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere; condoleat universum, & ad remedium conlaboret, necesse est.* Vides exomologesin *apud fratres, apud consortes casuum nostrorum, apud universum Ecclesiæ corpus* fieri; Ergo exomologesis quidvis potius est, quam auricularis istorum confessio, quæ apud unum fit. Sed omnem pertinaciam expugnat, quod mox apud Tertullianum sequitur; *Ecclesia* (inquit) *Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æquè illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus patrem deprecatur.* Ergo apud Ecclesiam, ergo apud fratres fiebat exomologesis; quibus adgeniculabatur pœnitens; *in legationes deprecationis suæ injungens*; Quod & Tertullianus, in libro de Pudicitia docet, vbi mœchi

Ibid. (margin, beside "cunda pœnitentia administrabatur")

Ibid. c. 9. (margin, beside "tamen (inquit) hoc opus")

L. de pud. c. 13. pœnitentis exomologesin his verbis describit, *Et tu quidem* (inquit, Episcopum alloquens) *pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, conciliciatum, & concineratum, cum dedecore & horrore compo-*

compositum, posterius in medium ante viduas, ante presbyteros, OMNIUM laciniae invidentem, omnia vestigia lambentem, omnium genua detinentem. Idem in loco suprà à nobis descripto significabat, cùm inter cæteros exomologeseos actus & hos quoque duos recenseret, *presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari.* Sic enim ex emendatis codicibus legendum; non, quod habet Bellarminus, quodque longè absurdissimũ est, *aris Dei adgeniculari. Caros Dei* vocat fideles, sive fratres non lapsos. Sed jam satis & ex rebus ipsis, & ex Albaspinei, Petavij, & Rigaltij confessione constat, quid sit Tertulliani *exomologesis*; quantùm adeò ab auriculari istorum *confessione* differat. Illa actus erat, quo pœnitentia administrabatur; hæc delictorum enumeratio est; Illa in gemitu, jejunio, lacrymis, squalore sita erat, hæc nudâ peccatorum enumeratione vocali continetur. Illa publicè coram tota fraternitate fiebat, hæc in unius sacrificuli aurem peragitur. Illa diù, multos sæpè annos, totam interdum pœnitentis vitam continuabatur, hæc unius horulæ spatio absolvitur. Illa semel tantum singulis imperabatur; hæc quotannis minimùm semel, exigitur. Illa iis tantum indicebatur, qui cum insigni aliquo crimine, & nomine Christiano indigno se obstrinxissent, pœnitentiam, publicè scilicet agendam, petebant; hæc omnibus, & singulis *utriusque sexus* fidelibus imponitur, & quidem iis etiam aliquatenùs, qui nullius mortalis delicti sibi conscij sunt. Plura piget addere. Et hæc sanè satis sunt, ut pateat quantus sit Bellarmini, & Gregorij, & Pamelij, & aliorum stupor, qui res adeò diuersas pro una eademque acceperunt; quam adeo futile & ridiculum istorum argumentum, qui ex his illius scriptoris locis conficiunt auricularem suam confessionem jam ejus ævo in usu apud Christianos fuisse. Fateor inde confici quosdam tũ fuisse, quorũ post baptismum lapsorum peccata publica pœnitentia, sive exomologesi procurabantur; quod & apud nos fit (tametsi multò mitiorem & clementiorem esse confiteor lapsorum apud nos exomologesin) apud adversarios nullo ferè uspiam in usu est; & qui veterem morem aliquatenùs restituere nuper tentarunt, videmus quanta apud suos laborent invidia, quãtæque in eos etiamnum ferveant Iesuitarum, & aliorum monachorum coitiones, atque molitiones. Quæ verò, qualiaque fuerint peccata, quorum reis indicebatur exomologesis, equidem cum amplissimo Rigaltio crediderim *manifesta fuisse, quæ (*ut ille ait*) aut sceleris infamia nomini Christiano injuriam facerent, aut fidei parum constantis exemplo cæteris fratribus nocerent.* Sed quod ea res controversia non careat, & à nobis infrà opportuniori loco ventilanda sit; nunc satis est monere, qualiacunque fuerint illa peccata, quibus à Christianis istorum temporum exomologesis indicebatur, illud quidem constare non fuisse huiusmodi quæcunque hodie auriculari confessione necessariò expianda putantur; id est omnia, quæ adversarij mortalia vocant, etiam *occultissima, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa.* Alioqui eam vix ac ne vix

Cap. iv.

De pœn. c. 9.

Conc. Trid. sess. 14. c. 5.

DD quidem

Cap. IV. quidem, etiam ipsis consentientibus, quisquam reperiatur ita purus ac sanctus, ut etiam ab iis, quæ per concupiscentiam duobus illis ultimis præceptis vetitam, peccantur, plane sit immunis; fatendum esset vel omnes omninò, vel certè pœnè omnes fideles huius scriptoris ævo, exomologesin istam, quam nuper descripsimus, fecisse, adeoque pœnitentiam publicá egisse; quod vehementer absurdum est, & ab omni tum ratione, tū veri specie alienum. Quò & illud accedit, quod cū singulis nō sæpiùs tota vita, quam semel illa pœnitentiæ publicæ exomologesis indiceretur; si per eam omnia omninò delicta, quæ nunc adversarij *mortalia* vocant, necessariò fuerunt procuranda, consequens erit multò maximam fidelium partem ab Ecclesiæ communione extorres vixisse, extrà ejus adyta & septa; cùm non sit credibile, ut ut castigati fuerint illorum temporum mores, non plurimos eorum qui exomologesi semel defuncti erant, in quædam ex iis peccatis, quæ nunc *mortalia* habentur incidisse. maximè verò in ea, quæ concupiscendo admittuntur. Quis enim, quæso, ab iis purus & immunis vel unum annum vivit? Ergo necessariò constituendum est, non omnia, sed pauca quædam ex eorum numero quæ nunc *mortalia* censentur, olim fuisse *exomologeseos* disciplinæ obnoxia; qualia ea sunt, quæ posteà in canones relata sunt; quibus apud nos ea respondent, quæ vel simplici abstentione, vel etiam plena excommunicatione communi presbyterij judicio plectuntur. Itaque fateor quidem ex his Tertulliani, similibusque Cypriani locis rectè concludi severam istis temporibus fuisse in huiusmodi crimina Ecclesiæ disciplinam; quicquam, quod ad rem adversariorum faciat, concludi, nego. Primò enim salubrem illam, quæ ex his clarissimè elucescit, priscæ Ecclesiæ disciplinam ipsi planè, penitusque, ut patet, abrogarunt; quippè qui pœnitentiæ sive exomologeseos publicæ usum extinxerunt, & si qui eum instaurare cupiant graviter & iniquissimis animis eos excipiunt. Secundò, cum quæcunque *mortalia* censent, ea ipsi omnia apud sacerdotem necessariò expianda doceant, apparet veteres pauca quædam, vix millesimam istorum partem. Ecclesiastico ministerio procuranda existimasse. De cæteris, quæ multò maximam eorum, quæ nunc *mortalia* censentur, partem faciunt, nihil planè ex veteribus affertur, quo ea apud sacerdotem vel expianda, vel confitenda fuisse probetur; út clarum sit, quæ erant hujus generis eorum & *pœnitentiam, & castigationem divinæ misericordiæ* à veteribus *reservatam fuisse*, quæ sane est amplissimi Rigaltii sententia nuper à nobis recitata. Tertiò. Sed neque ex his quæ adversarij afferunt, apparet quæ, qualisque olim apud Ecclesiæ præsides fuerit eorum ipsorum criminum confessio, quæ sola Pastorum interventu ac ministerio procurabantur. Equidem concedo Pastores de eorum delictis, quibus exomologesin indicebant, aliquid inaudivisse, ac tenuisse; (neque enim aliter de iis statuere, canonicas-ve pœnas rectè ac legitimè iis imponere potuissent; Itaque & illud quod inde necessariò consequitur,

quitur, libens quoque concedo siquis pœnitentiam, sive exomologesin facere vellet, eum imprimis Pastores adire, & eos de suis delictis docere; eaque adeo apud illos confiteri debuisse. Cæterùm nondum liquet, primò an hæc pœnitentis confessio uni seorsim, privatimque presbytero in arcano, ut nunc apud Romanos, an duobus, pluribus-ve presbyteris; seu etiam, ut apud nos, toti presbyterorum consessui facta fuerit; neque secundò apparet, qualis hæc confessio fuerit; nimirum an hujusmodi, quæ non unum modo illud peccati genus, de quo suscipienda & facienda erat exomologesis, sed cætera etiam omnia pœnitentis delicta complecteretur, quæque non peccatorum modò genera, sed etiã singulos actus unà cum actuum numero, & circumstantiis indicaret, atque aperiret; an verò, ut apud nos fit, ea esset apud veteres confessio, quæ de cæteris quidem taceret, de illo tantum peccato, cui indicenda erat exomologesis pastores doceret; & quidem in genere tantum, & quantum eos scire satis erat ad constituendum legitimum pœnitentiæ modum; Hæc, inquam, omnia, nondum ex Tertullianô, & aliis qui hactenus allati sunt, patent; Vnde postremò videre est, quam nihil promoverint adversarij. Cap. v.

Caput V.

Expenduntur quæ ait V. ab adversariis inductus pro confessione testis Cyprianus. Detegitur & refutatur Bellarmini in istis inscitia, exomologesin solenni errore pro sua confessione accipientis. Demonstratur Cyprianum de publicâ pœnitentiâ loqui; non omnium, sed quorundam tantùm delictorum. Aperitur Perronij error & fraus insignis in vertendis Cypriani verbis.

NVnc expendamus quæ illi ex Cypriano afferunt, quod ejus eodem ferè, quæ Tertulliani, ratio sit. Primò hæc ex quadam ejus ad plebem suam epistolâ adfert Bellarminus; *Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iusto tempore, & exomologesis fiat, inspecta vita eius, qui agit pœnitentiam; nec ad communicationem venire, quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & clero manus fuerit imposita; quantò magis in his gravissimis; & extremis delictis cautè omnia, & moderatè secundum disciplinam Domini observare oportet?* Hic habemus (inquit Bellarminus) *exomologesim necessariam secundùm disciplinam Domini, & talem exomologesim, ut ex ea pœnitentis vita inspici, & cognosci posset. Proinde habemus confessionem omnium peccatorum jure divino esse necessarium. Neque enim exomologesis generalis, aut aliquorum tantùm* L. 3. de pœn, c. 7. §. Secundò. L. 3. epist 16. Pam. epist. 12. Morell. 47.

CAP. V. *peccatorum vitam pœnitentiis ita detegit, ut ea plane inspici possit.* Hæc ille; cujus inscitiam, ne hoc loco, an confidentiam magis mirer, in incerto habeo. *Habemus* (inquit) *confessionem omnium peccatorum jure divino esse necessariam.* Vbi verò, aut unde hoc habes, ô bone? Atqui Cyprianus neque de *jure diuino*, neque de *necessitate*, neque de *omnibus peccatis*, neque denique de *confessione* quicquam dicit. Tu plane mirabilis es artifex, qui hæc omnia extrudere ex eo loco potes, in quo nihil eorum est. Nam, ut hinc ordiar, Cyprianica illa *exomologesis*, quam tu solenni errore *confessionem* tuam *auricularem* esse putas, *confessio illa* non est; quod vel hinc, nisi tibi caussæ studium omne mentis lumen eripuisset, facilè animadvertere poteras. Hæc enim Cypriani *exomologesis pœnitentiam justo*, id est legitimo *tempore actam* sequitur, *In minoribus* (inquit) *delictis pœnitentia agitur justo tempore & exomologesis fit*; tum imponebantur manus pœnitenti, qui ita denique ad communicationem veniebat. Vides totum negotij ordinem. Prima erat *pœnitentia*; succedebat *exomologesis*; tum *manuum impositio*; cui postremò *communicatio* accedebat. Ac ne possis tergiversari, dabo locum alium istius geminum, sed clariorem, ex epistola ad presbyteros, & diaconos de eodem argumento scripta;

Id ep. Pam. 10. Morell. 45. *Nam cùm in minoribus peccatis* (inquit) *agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & cleri, jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore persecutionis adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomine eorum, & nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo & clero imposita, Eucharistia illis datur.* Primò peccatores dicit *secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin venire actâ justô tempore pœnitentiâ*; quô non potuit disertiùs significare *pœnitentiam* priùs agi; tum deinceps *exomologesin* fieri. Secundò istos eosdem actus iterum commemorans eodem semper, quô suprà, ordine disponit; ita scilicet ut præcedat *actio pœnitentia*; tum sequatur *exomologesis*. Sed & in sequenti epistolâ ad

Epist. Pam. 11. Morell. 46. Martyres de eodem quoque argumento scripta eundem planè servat ordinem; *Illi* (inquit) *ante actam pœnitentiam, ante exomologesin gravissimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo & clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis, & Eucharistiam dare, id est sanctum Domini corpus profanare audent.* Iam ex his luce clariùs patet quam Cyprianus exomologesin intelligit *acta pœnitentia* successisse. Tua verò, Bellarmine, *confessio* pœnitentiæ actionem antecedit. Non est ergo Cypriani exomologesis idem, quod *auricularis* tua *confessio*. Neque ego video, quî tibi, viro cordato & erudito, in mentem venire potuerit, ut idem eam esse putares. Nam cùm lapsi isti, de quorum communicatione tam graviter, tamque multis in locis conqueritur, martyres adiissent, scelusque suum confessi lacrymis & precibus commendationem & pacem ab iis extorsissent, & litterarum quas ab iis afferebant, favore ac beneficio à presbyteris

byteris quibusdam Carthaginensibus communicationem impetrassent; CAP. V.
quis, nisi fungus sit, suspicabitur istos presbyteris, à quibus admissi sunt, lapsum suum occultasse, neque confessos esse? Atqui si vel hi obmutuissent, ipsæ Martyrum litteræ eorum scelus satis loquebantur. Ergo falsum est istos ante vocalem criminis sui cōfessionem ad Eucharistiam admissos. Atqui Cyprianus perpetuò queritur *antè factam exomologesin* ad communionem fuisse admissos. Ergo fieri non potest, ut ista, quam ab iis desiderabat exomologesis, non aliud fuerit, quàm vocalis admissi criminis confessio. Quid, quod Cyprianus eam, de quâ hìc loquitur, *exomologesin*, alibi concedit apud Diaconum fieri? Nam *eos, qui libellos à Martyribus acceperant*, si ij *incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint*, jubet *apud presbyterum quemcunque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeses delicti sui facere, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace.* Atqui adversarij auricularem suam confessionem apud Diaconum, vel apud alium, quàm sacerdotem fieri nefas putant. Non ergo est Cypriani exomologesis auricularis istorum confessio. Sed quid multis opus est? Res tota ita aperta est, ut Albaspineus Bellarminianam glossàm & disertè rejecerit, & pluribus argumentis confutarit. Locum enim quemdam; hujus nostri planè similem, *exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita*, explicans, *Loquitur* (inquit) *de crimine publico, & de pœnitentia publica; quapropter hoc loco exomologesis, non confessionem auricularem sonat, sed vltimum istum actum, & ultimam detestationem, quam in more habebant, dum absolutionem reciperent.* Quam expositionem, acutè sanè, atque ingeniosè, ex alia quadam epistola confirmat, quæ est presbyterorum Romæ ad Cyprianum; *Eorum autem* (inquiunt) *quorum vitæ suæ finem urgens exitus, dilationem non potest ferre acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis, ac verè pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundùm hominem nulla substiterit, ita demum cautè & sollicitè subveniri.* Vides, quod Cyprianus passim dicit *exomologesi facta*, istos dicere *professâ suorum detestatione factorum, proditisque dolentis ac verè pœnitentis animi per lacrymas, gemitus, & fletus signis.* Ergo *exomologesin facere* Cypriano est, non *in aurem sacerdotis in arcano confiteri*, sed *sua facta palam detestari, lacrymisque ac gemitibus & fletibus animi dolentis ac verè pœnitentis signa prodere.* Mox idem Albaspineus disertè monet hunc ipsum à Bellarmino allatum locum, & alium ex præcedenti epistolâ planè similem supra à nobis descriptum, *non de confessione auriculari*, sed *de illo detestationis actu*, de quo diximus, esse accipiendum. Quin & Bellarminianam rationem quæ aliud efficere videbatur, his verbis refellit; *Quod ait* (inquit) nimirum Cyprianus) ut exomologesis fiat inspecta vita eius, qui agit pœnitentiam, *non accipitur hic exomologesis pro confessione auriculari, quasi vellet author dicere eam faciendam esse pro modo peccatorum, ac vitæ*

L. 1 epist. 17. Pam. Morell. 48.

ub. supra

L. 1. ep. 5. Pam. Morell. 14.

L. 1. ep. 17. Pam. Morell. 31.

p. 157. in.

Cap. v.

illum, qui vult agere pœnitentiam. quià de re loquitur, quæ post pœnitentiam fieri debebat; sed accipitur pro ejusmodi actibus, quos descripsimus, quos remittere aut intendere in præsidentis, aut episcopi erat officio & potestate. Mitto cætera, quæ plurima habet in hanc sententiam. Albaspineo Episcopo assentitur Petavius Iesuita, qui sodalis sui, quantumvis purpurati, delirium apertissimè jugulat, dum (quod suprà recitavimus) scribit *exomologesin apud Cyprianum Epistola* 10. 11. & 12. (ex quâ ultimâ petitus est objectus à Bellarmino locus) *pro ὑποπτώσει, sive tertio pœnitentiæ gradu* accipi, significareque eam doloris ac pœnitentiæ professionem, quæ non tam verbis, quàm rebus ipsis atque actibus fit. Ergo conclusum esto *exomologesin* in allato Cypriani loco esse, non (quod fingit Bellarminus) *auricularem confessionem*, sed (quod ipso multò doctiores ejus symmistæ docent) *manifestam peccatorum detestationem, publicæque pœnitentiæ certam functionem.* Ex quibus jam spontè ruunt, quæ Bellarminus huic suo deliramento, velut vitreo fundamento, superstruxerat; patetque evidenter, quanta illius fuerit in omni hac ratiocinatione cæcitas, atque oscitantia. Ponit exomologesin hic à Cypriano memoratam omnium omninò peccatorum fuisse. Ponit eamdem jure divino necessariam esse. (Nisi enim hæc posuerit, non potest ullo modo, quod de sua confessione concludit, ex hoc Cypriani loco colligere.) Atqui illa Cypriani exomologesis publicæ pœnitentiæ functio fuit. Ergo si stant Bellarminianæ hypotheses, nullum est peccatum, quod aliter, quàm publica pœnitentia, procurari possit. Ergo publica hæc omnium & singulorum peccatorum pœnitentia, jure divino necessaria est; quod utrumque & per se longè absurdissimum, atque stultissimum est, & à Tridentinis disertè negatum. Itaque necesse est, si veritati, si Cypriano, si toti priscæ Ecclesiæ consultum velimus, duo illa portenta, quæ sanctissimo scriptori tribuit adversarius, falsò ei tribui; quod sanè verum est. Illud enim prius de *omnibus peccatis exomologesi procurandis, Vbi* quæso vel pronunciat, vel innuit Cyprianus? Constituit, fateor, *gravissima & extrema delicta*, qualia ista fuerunt de quibus in hac & in cæteris supra laudatis epistolis disputat, nimirum apostasia, & Christi abnegatio, in quam inciderant *sacrificati & libellatici*; constituit, inquam, huiusmodi delicta *exomologesi procuranda esse*, neque huius generis lapsos ad communionem antè esse admittendos, quàm apud Ecclesiam suum de tanto scelere dolorem ac pœnitentiam testati fuerint. Testatur idem, fateor, & *in minoribus etiam delictis, quæque in Dominum committebantur, pœnitentiam tum actam fuisse, & exomologesin factam.* In omnibus omninò delictis, quæ vel in Deum, vel in homines admissa essent, factam fuisse exomologesim, neque hic, neque alibi uspiam dicit; & si diceret, rem (quod absit) absurdissimam, & stultissimam, & falsissimam diceret. Quid ergo est, inquies? Res vero tota clara & aperta est, absit modò protervia, & causæ studium. Sæviente persecutione multi Carthagine suppliciorum metu territi

De la pœnit. publ. 1. part. l. 3. c. 13. p. 162.

Sess. 14. c. 5. Cæterum quoad modum.

territi idolis apud Ethnicorum aras sacrificaverant; qui mox subeunte facti pœnitentia, confessores & martyres adiverant. & ab iis *pacem*, & *litteras commendatitias* acceperant. Istos martyrum libellis, & suffragio fretos quidam presbyteri, inconsultô qui tum aberat, (Cypriano Episcopo, nulla pœnitentia, nulla exomologesi facta, ad communionem sacram admittebant; quod istorum factum vir sanctus, postquàm intellexit, gravissimè tulit ac reprehendit; vt ex multis eius epistolis constat. quarum una hæc est, ex quâ locum, de quô disputamus, descripsit Bellarminus. Ac inter cætera illorum presbyterorum temeritatem eò damnat, quod maximi gravissimique delicti reos, quô Christi, totiusque Christianismi abnegatio continetur, tam facilè, prostratis ac neglectis cunctis Ecclesiasticæ disciplinæ legibus, ad sacram mensam admitterent; cum alia peccata, etiam isto longè leviora, solerent accuratô pœnitentiæ ordine procurari. Argumentatur à minori ad maius, ut in scholis loquuntur, eum ordinem, qui in minoribus criminibus servatur, longè magis in hoc omnium gravissimô, observari debuisse. Iam ut hoc eius argumentum procedat, non est necesse quæcunque peccata isto minora erant, omnia exomologesi, & pœnitentiæ publicæ subjecta esse. Satis est si aliqua fuerint huius generis, quæ tum non aliter, quàm servatô istô quem describit, pœnitentiæ ordine, procurarentur. Fuisse autem aliqua huiusmodi certum est. Nam ex ipso Cypriano constat mœchiam, verbi gratia, cujus delictum rectà ac propriè non in Deum, sed in homines committitur, laboriosissima pœnitentia publicè in Ecclesia purgatam fuisse. Cum igitur in hoc delicto, & aliis nonnullis *pœnitentia justo tempore ageretur, & exomologesis fieret, inspecta vita ejus qui agebat pœnitentiam*, (hoc est postquàm per diuturnæ pœnitentiæ labores probatus esset peccatoris animus; quô demum tempore exomologesin in Ecclesia, perducente Episcopô faciebat) nonne multo magis decebat eandem illam disciplinam servari erga sacrificatos & libellaticos, quorum delictum & mœchia, & omni alio scelere in homines admisso, gravius erat? utpote quod in ipsum Deum propriè commissum erat? Hæc omninò Cypriani in his mens est; ut & in iis verbis, quæ suprà ex epistola ad presbyteros Carthaginenses adduximus. Ex quibus liquet eum hoc quidem sic ratiocinando necessariò præstruere, ac ut loquuntur) *supponere*, hunc pœnitentiæ ordinem in quibusdam idololatria minoribus peccatis fuisse tum servatum; fuisse in omnibus omninò delictis servatum, quod nulla ratione fingit Bellarminus, *non supponere*. Imò hæc ipsa ejus verba clarissimè id docent. Nam si omnia peccata exomologesi subjecta fuisse significare voluisset, dicendum erat, *cùm in minimis delictis*, &c. ut quivis videbit, qui non paulò attentiùs consideraverit. Atqui non ita Cyprianus; sed *cum in minoribus delictis*, &c. in gradu, ut loquuntur, *comparativo*, non autem *superlativo*. Ergo omninò hoc illis verbis significat fuisse quædam delicta, quæ tametsi apostasia, cuius isti rei erant, minora essent

Cap. v.

ep. Pam. 10.

Cap. v. essent, exomologesi tamen, & toti illi pœnitentiæ ordini subiicerentur; quod verum est, & ad Cypriani mentem satis. Sed neque usquequaque verum est illud alterum, quod affirmat adversarius, Cyprianum scilicet statuere omnem illum pœnitentiæ, atque exomologeseos ordinem *divino jure* fuisse necessarium. Primùm si hoc diceret, Tridentinorum sententiam manifestè everteret, qui confessionem publicam, de quâ Cyprianum loqui clarum est, divini juris esse negant. Sed neque sanè hoc dicit. Solennem tunc in Ecclesia pœnitentiæ ordinem describit; *eum in gravissimo delicto observari oportere dictitat*; ex Ecclesiæ scilicet jure; *secundum Domini disciplinam*, inquit, id est, eam, quæ in Domini domo & ex regulis in eius verbo traditis ad ædificationem, & decorum constituta est. Quamquàm equidem non negem publicam pœnitentiam in genere consideratam, non autem in his, aut illis propriè circumstantiis divini juris esse. Est enim satis perspicuè in divinis litteris constitutum, ut ex peccatoribus nonnulli publicè pœnitentiam suam testentur; tametsi non sit in illis sigillatim definitum qualiter & quô ordine & quibus circumstantiis publica illa pœnitentia administrari debeat. Quâ in parte nemo non videt, quàm graviter peccent adversarij, qui veterem illam exomologesim & divino jure in genere constitutam, & à Cypriano, & ab omni veteri Ecclesia tantoperè commendatam, omnem pœnè obliterarunt, suam illam auricularem confessionem, cujus neque in Scripturis, neque in vetustissima Ecclesia, vestigium ullum cernitur, velut ad salutem planè necessariam omnibus inviolabili lege imponunt. Atque ex his liquet quantoperè falsus sit noster antiquitatis helluo Perronius, qui ex hoc Cypriani loco clarissimè demonstrari putavit veteri Ecclesiæ, perinde ut suæ, persuasum fuisse omnium peccatorum, etiam occultissimorum confessionem planè esse ad salutem necessariam. Quod ut efficeret totum locum ita miserè corrupit, ac pervertit, ut vix eum Cyprianus, si hodie viveret, & Gallicè sciret, pro suo agniturus sit, qualis quidem apud Perronium vernaculo nostro sermone expressus extat. Sic autem habet, *Aux moindres pechés, qui sont commis, voire nō contre le Seigneur, la penitence se fait par un juste temps, & la confession par laquelle est descouverte la vie de celui, qui fait la penitence, ne peuvent venir à la communion, sinon que la main leur soit imposée par le Prestre, ou par le Clergé.* Deum immortalem! Tantum-ne in tam paucis, iisque clarissimis Cypriani verbis, errorum, atque peccatorum, admissum esse ab eo viro, qui tantus apud suos cluit! Primò, quam author dicit *exomologesin*, iste *confessionem*, hoc est vocalem delictorum enumerationem reddidit. O jecur antiquarij! Atqui & Erasmi, & Rhenani sciverant, & Albaspinei, & Petavij, & nunc omnes sciunt, & res ipsa, imò (quod suprà demonstravimus) hic ipse locus clamat aliud hic esse exomologesin, quam confessionem. Tum purpuratus noster interpres, verba Cypriani sic accepit, ac si is vellet *per exomologesim detegi, ac probari eius vitam*

Repl. ch. 5. p. 561.

vitam qui agit pœnitentiam. Atqui hæc totidem monstra sunt. Nam neque *vitam inspicere* est, *descouvrir la vie*, quòd iste absurdissimè posuit, sed examinare & diligenter intueri atque probare, ut scias qualis ea sit? neque Cyprianus ait *per exomologesin inspici pœnitentis* vitam (quod & dictu, & cogitatu longè stultissimum est) sed ait *exomologesin fieri inspectâ pœnitentis vitâ*, id est, lapsum tum demum exomologesim (pœnè ultimum scilicet pœnitentiæ actum) facere, postquàm vita eius ex pœnitentiâ, quàm justô tempore egit, satis perspecta atque explorata fuit; ut ipse Albaspineus optimè locum interpretatus est. Sed palmaria est istius fraus (nam superiora fortassè imprudens ex rei ignoratione potiùs quàm ex dolo peccavit) quod Cyprianum facit dicentem, *qu'aux moindres pechés, qui sont commis, voire non contre le Seigneur*, quasi scilicet Cyprianus scripsisset, *in minimis delictis, quæ committuntur, etiam non in Dominum, pœnitentiam agi*, quæ oratio significat, omnia omninò peccata, etiam minima, neque ea tantum quæ in Deum, sed ea etiam quæ in homines admittuntur, omnia inquam, publicæ pœnitentiæ subjecta fuisse; (nam de hac authorem loqui, & constat, & fatetur Perronius.) Atqui nihil istô dici potest amentius, & ab omni tum ratione, tum veterum praxi magis alienum, qui vix sexcentesimam peccatorum partem pœnitentiæ publicæ subjecerunt; ut posteà fusè cùm bono Deo docebimus. Quid ergo est? Nempe cū Cyprianus dixisset *in minoribus delictis* (id est in quibusdam peccatis minoribus, quam illa erant, de quibus agit, sacrificatorum scelera) iste perindè vertit, ac si scriptum esset, *in minimis delictis*; ac cum Cypriani mens ita esset interpretanda, *qu'en des pechés moindres que ceux la, & non commis contre le Seigneur*, &c. ille pessimô animô vertit, *aux moindres pechés.* Sed hæc de Perronianâ Cypriani ci huius loci interpretatione satis. CAP. V.

CAPUT VI.

Explicatur alterum Cypriani testimonium, ostenditurque ex eo confici libellaticos, non autem eos qui sola cogitatione peccaverant (quod vult Bellarminus) exomologesi, id est non confessioni Innocentianæ, sed publicæ pœnitentiæ subjectos fuisse.

SEQUITUR alter ex librô de lapsis descriptus; *Denique quanto & fide majore, & timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ suæ* P. 50. med.

 faciunt,

CAP. VI. *faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse*, Deus non deridetur. Hactenus Cyprianus. Quid hæc ad confessionem adversariorum auricularem? Quosdam laudat qui tantæ erant in Deum reverentiæ, tamque religiosi in Christum timoris, ut tametsi neque in sacrificio, neque in libellis reverâ impegissent, tamen quòd solâ cogitatione vel de sacrificando, vel de libellis sibi comparandis consilium agitassent, pollutos se crederent, eoque sacerdotes adirent; quô scilicet eorum operâ infixos animô culeos evellerent, & vulneri licet parvo, remedium quærerent. Istorum sanè religionem meritò celebrat Cyprianus. Nam cùm in talibus, quod in civilibus dixit Tacitus, *etiam deliberasse, defecisse sit*, meritò sibi suspectus est, cujus animo tam nefaria cogitatio obversata est. Itaque cùm in hujusmodi conscientiæ æstu & omnes intelligant, & nos in ipso operis limine præfati simus, consultum esse Pastores adire, eorumque manum, industriam, atque authoritatem adhibere, nihil habet hic locus, quod sententiam vel nostram pulset, vel adversariorum firmet, præsertim cum hac, de quâ agitur cogitatio, non de vulgari & modicô, sed de gravissimô, ac (ut Cyprianus suprà loquebatur) extremô delictô fuerit, nimirum de idololatriâ. Sed bonus Bellarminus hinc scilicet probare contendit *necessarium tum fuisse confiteri omnia peccata mortalia, etiamsi cogitatione sola commissa sint*. Quin & eô procedit, ut hinc se effecturum putet etiam *eos qui solâ cogitatione peccarent, pœnitentiam egisse, atque exomologesim fecisse*. Hoc quidem si effecerit, illum ergo non virum, sed heroem judicabo. Primò non de cujusvis peccati, sed de solius idololatriæ cogitatione hic agitur. Ergo etiamsi concederem ex illius temporis disciplinâ ad exomologesin necessariò coactos fuisse, qui de idololatriâ admittenda cogitaverant; non ideò tamen consequens esset, ut quicunq; de quovis aliô crimine, etiam minimô cogitassent, eos pariter ad exomologesim necessariò compulsos fuisse fateremur. Est enim huius sceleris singularis quædam præ cæteris omnibus peccatis atrocitas, quippe quô sacrum illud, quô Christo ipsi adhæremus, vinculum propriè abrumpitur; Itaque siquid vel in solam huius tanti: tamque horrendi criminis cogitationem durius à veteribus constitutum esset, non id usque adeò mirandum esset; cùm & in rebus humanis, longe alia sit eorum criminum, quæ Principem ipsum rectà petunt, ratio, quàm cæterorum, quæ ad privatos tantùm homines propriè pertinent. Sed & secundò nego verum esse, quod hinc conficere conatur Bellarminus, scilicet quicumque de sacrificiis & libellis vel cogitassent, eos olim Cypriani temporibus ex veteris Ecclesiæ disciplina ad exomologesin faciendam compulsos, ac coactos fuisse; Quod usque adeò absurdum est, ut ne ipsum quidem Bellarminum id affirmaturum fuisse putem, si scivisset, quid hoc sit. *Exomologesis* enim est, non quod ipse magno errore existimat, simplex in aurem unius sacerdotis delicti confessio

confessio, sed publicæ pœnitentiæ pars; ad quam coactos fuisse etiam qui sola cogitatione peccassent planè est incredibile. Sed Cyprianus, inquit, eos laudat, qui solius cogitationis sibi conscij, *hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes exomologesin conscientiæ fecerant.* Benè, inquam, laudat, quod magnam hoc factô animi sui in Deum religionem testati erant; Nam ideò tamen existimandum est eos ex publicâ Ecclesiæ lege id officij necessariò præstitisse. Neque enim ea modò laudantur, quæ ex necessaria lege fiunt, sed & multò magis, quæ ex spontanea animi religione; ut nihil vetet hanc istorum confessionem liberam fuisse, etiamsi à Cypriano laudatam. Neque aliud evincit, quod ait Cyprianus istos id fecisse scientes scriptum esse, Deus non deridetur. Nimirum eum magnam Deo deberi reverentiam scirent, neque quicquam esse vel ludicrum, vel parvi momenti in iis, quæ ad eius cultum pertinent, putarunt etiam de solâ, quâ pollutos se sentiebant, cogitatione ad Dei ministros referendum, vt eorum operâ & consiliô hunc animi sui æstum componerent ac sedarent. Sed non ideò tamen putandum est, aut tum in Ecclesiâ legem fuisse, quæ solâ cogitatione peccantibus *exomologesin*, id est publicam pœnitentiam indiceret, aut istis à sacerdotibus, quos adierunt hujusmodi aliquid impositum fuisse. Neque verò id probat, quod ait Cyprianus istos *conscientiæ exomologesin fecisse, & animi sui pondus exposuisse.* Nam tametsi *exomologesis* propriè & Cypriano & Tertulliano sit certus ille, de quo suprà diximus, publicæ pœnitentiæ actus, tamen aliquando propter similitudinem, etiam eô nomine ab iis significatur quævis peccati sui detestatio cũ gemitu, & aliis externis signis conjuncta, ut vel ex eô constat, quod Cyprianus hoc ipsô in librô, ait *Azariam simul cum sodalibus suis in medio ignis Babylonici exomologesin fecisse Deo*; Clarum enim est istic *exomologesin* non aliquam publicæ pœnitentiæ partem, sed ei similem hominis deprecationem esse, se cum detestatione suorum criminum miserrimum peccatorem agnoscentis; ut est ab Albaspineô pœnè totidem verbis observatum. Itaque & hic quoque eodem sensu ait Cyprianus istos *conscientiæ exomologesin fecisse*; hoc est de cogitatione, cuius sibi erant conscij, ingemuisse, & animi sui dolorem atque pœnitentiam cum detestatione impietatis suæ significasse; non autem publicè in oculis totius Ecclesiæ erroris huius sui pœnitentiam fecisse; eaque non mea est, sed Albaspinei ipsius interpretatio, qui rectè etiam observat ultima illa Cypriani de iisdem verba, *animi sui pondus exponunt*, significare istos, non *peccata sua in manus sacerdotum deposuisse*, sed *conscientiam* hâc suâ exomologesi leuasse, ac *liberasse scrupulô & onere offensi per cogitationes Dei.* Sed instat Bellarminus, & verba apud Cyprianum sequentia nobis obiicit; *Minùs planè peccaverit non videndo idola, nec sub oculis circumstantis, atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas sceleſtis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. Hoc eò proficit, ut sit minor culpa, non vel innocens*

CAP. VI.

L. de lapf. p. 94.

p. 117.

Ibid.

CAP. VI. *cens conscientia. Faciliùs potest ad veniam criminis pervenire; non est tamen immunis à crimine. Nec cesset in agendâ pœnitentiâ, atque in Domini misericordia deprecandâ, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Confiteantur singuli quæso vos Fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat; illi spes omnis incumbat.* Hæc Cyprianus. Bellarminus, ut hinc suum errorem confirmet, duo ponit; quorum prius est hîc de eô loqui sanctissimum Martyrem, *qui solâ cogitatione peccaverat*; posterius, pœnitentiam eum intelligere, quæ fit non apud Deum solùm, sed apud sacerdotes. Et hoc quidem posterius ergo libens concedo, quod ex istis verbis clarum est, *dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Quin & exomologesin, hoc est publicam in conspectu totius Ecclesiæ pœnitentiam Cyprianum intelligere, ac significare clamat tota eius oratio. Nam præter verba nuper descripta *pœnitentiam criminis veris doloribus exprimere, Deo & se anima prosternere, & mœstitia satisfacere, confessio, satisfactio, remissio per sacerdotes facta*, quæ in illius ævi scriptoribus plærumque, ac ferè semper ad publicam pœnitentiam referuntur; quæ sequuntur de Cypriani mente dubitare nos non sinunt. *Rogare* (inquit) *qualiter debeamus, dicit ipse* (nimirum Dominus) Revertimini (*inquit*) ad me ex toto corde vestro, simulque jejunio, & fletu, & planctu, & discindite corda vestra & non vestimenta. *Ad Dominum toto corde redeamus; iram & offensam ejus jejuniis, fletibus, & planctibus, sicut admonet ipse, placemus. Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus planctibus, Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra cum fœminis quotidie celebrat? qui epulis affluentibus pastus, & sagina largiore distentus, cruditates suas postridie eructat, nec cibos suos, & potus cum pauperum necessitate communicat? qui hilaris, ac latus incedit, quomodò mortem suam deflet? cumque scriptum sit*, non corrumpetis effigiem barbæ vestræ, *barbam vellit, & faciem comit? Et placere nunc cuiquam studet, qui Deo displicet? an illa ingemiscit, & plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi, quod perdidit, cogitare? accipere pretiosa ornamenta, & monilia elaborata, nec divini & cœlestis ornatus damna deflere?* Hæc ille; in quibus publicæ veterũ pœnitentiæ expressam formam vides, jejunia, fletus, planctus, illuviem, parcum victum, perpetuum mœrorem, barbæ & comæ, & vestis, totiusque habitus squalorem; quicquid denique

De pœnit. c. 9. exomologesis supra apud Tertullianum injungebat, ac mandabat. Non est ergo dubitandum, quin eam ipsam Cyprianus intelligat. Vnde liquet, quàm sit absurdum, quod priore locô ponebat Bellarminus, istum scilicet, de quo hic agit Cyprianus, *peccatorem fuisse, qui sola cogitatione delique-*

deliquerat. Quis enim crediderit huius generis peccatis publicam à Cypriano indictam, ac impositam fuisse pœnitentiam? & quidem necessariò, ac velut ex certâ, & inviolabili lege? neminem adeò tum fuisse fidelem, qui non, siquid vel solâ animi cogitatione deliquisset, statim inter pœnitentes extra Ecclesiam amandaretur spectaculum toti Ecclesiæ ob arcanum unius animi delictum futurus? Istam quidem tantam disciplinæ non duritiem, sed immanitatem Cypriano, & eiusdem ævi episcopis nemo pius, nemo sapiens tribuerit. Quinam ergo (inquis) isti sunt, quibus hancille pœnitentiæ legem scribit? Rogas? Profectò non alij sunt, quam *libellatici*, de quibus propriè totô hoc locô disputat; non quidem illi *sacrificio* reapse polluti, sed neque solâ cogitatione nocentes. Locum ita exorsus est; *Nec sibi quominùs agant pœnitentiam, blandiantur, qui & si nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt.* Et cætera, quæ omnia ad eos pertinent; & quæ de iis, qui solâ cogitatione peccarant, mox affert, obiter & propriè in horum gratiam affert, ut ostendat, quanta esset eorum inverecundia, qui cùm non solâ, ut isti, animi cogitatione, sed ipsô factô peccassent, pœnitentiam tamen abnuebant. Iis verò solis ad amussim congruit, quod ait Cyprianus; *Christus in præceptis suis dicit*, Qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis. *Et Christianum se putat, qui Christianus esse aut confunditur, aut veretur? Quomodo potest esse cum Christô, qui ad Christum pertimere aut erubescit, aut metuit?* Hæc ei quidé qui cogitatione tenùs peccavit, non conveniunt; *Libellatico* planè penitusque conveniunt; quemadmodum & illa quæ sequuntur, *Minus plane peccaverit non videndo idola*, & cætera quæ jam descripsimus. Ergo & ad libellaticum, nó autem ad eum qui solâ cogitatione peccaverat, propriè dicta putanda sunt, quæ continenter subiicit Cyprianus, *Nec cesset in agenda pœnitentia*, &c. *Confiteantur singuli quæso vos fratres*, inquit, *singuli*, id est non ii modo, qui idolis sacrificarunt, sed ii etiam, qui ne sacrificarent, *libellis* caverunt; quorum illos *sacrificatos*, hos *libellaticos* dictos fuisse notum est. *Sacrificati*, (inquit Baronius) *dicebantur omnes, qui quomodocumque immolassent, vel immolata gustassent. Thurificati autem, qui thus obtulissent, idololatræ æquè omnes, qui quemlibet religionis cultum idolis publicè exhibuissent.* *Libellatici* verò qui fuerint, non æquè clarè, ac commodè exponit; quod ut teneatur, sciendum est ejus Christiani nomine, qui ne ad sacrificandum cogeretur, cavere cupiebat, libellum ab eius amicis Paganis prætori oblatum fuisse, in quo is petebat, ne sibi sacrificandi necessitas afferretur, caussatus sibi nunc non licere sacra facere; idque eius amici Pagani ita apud prætorem interpretabantur, ac si ei ob pollutionem, vel piaculum aliquod sacris interesse, eave offerre nefas esset. Nam & apud ipsos Paganos quædam huiusmodi interdum accidebant, quæ homines à sacris tamdiu arcerent, donec expiati essent. Tum prætor, si vel horum deprecatione, vel etiam data pecunia placatus, eorum postulatis

Cap. VI.

A D. 253 §. 8. T. 2.

Cap. VI. annuendum putabat, libellum dabat, quô is pro quô supplicaverant, à sacrificandi necessitate eximebatur; quasi scilicet à sacrificando non ideo, quod Christianus esset, sed alias quasdam ob caussas abstineret; vel fortasse etiam istum τὸν δεῖνα puta Caium, aut Sempronium disertè testabatur Paganum esse, jamque alias sacrificasse; non adeò vexandum. Ergo qui huiusmodi libellos à magistratu acceperat, iis instructus ac munitus ad sacrificandum nequaquam urgebatur. Illi sunt propriè *libellatici*; qui tametsi non immolassent, tamen quod turpi fraude Christianismum dissimulassent, Paganismum verò simulassent, meritò velut fidei negatores habiti sunt, & similibus censuris, similique exomologesi subjecti, adeoque à communione proscripti, donec justâ pœnitentiâ Ecclesiæ satisfecissent. *Libellaticus* quidem *idola non viderat, nec sub oculis circumstantis populi sanctitatem fidei profanaverat, nec polluerat manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculaverat*; quod ait Cyprianus. Cæterum *fecisse se dixerat, quicquid alius* scilicet sacrificatus, *faciendo commiserat; Christianumque se esse abnuerat*, ut idem paulò ante loquebatur. De hoc igitur *libellatico*, non autem (quod somniat Bellarminus) de eô qui nudâ animi cogitatione peccaverat, omninò capienda sunt objecta Cypriani verba. Atque ex his jam, ni fallor, luce meridianâ clariùs liquet totum hunc eius locum docere quidem iis, qui fidem Christianam quocumque modo negaverant, id est & *sacrificatis*, & *libellaticis*, impositam tum fuisse exomologesim, id est publicam pœnitentiam; (quod nos justum ac legitimum fuisse confitemur) de *confessione* verò adversariorum *auriculari* non magis, quàm de triplici Papæ tiarâ agere. Neque necesse est verbosissimam Gregorij de hoc locô disputationem sigillatim refellere, quod ea tota non aliis, quam duobus illis Bellarmini fundamentis nitatur; nimirum exomologesin Cypriano esse *arcanam* sive *auricularem confessionem*; *tum eam ad omnia peccata, etiam quæ solâ cogitatione commissa essent, pertinuisse*. Cùm ergo utrumque quam futile & vanum sit satis demonstraverimus, omnem his subnixam Gregorianam disputationem eô ipsô labefactavimus, atque evertimus. Quæ verò contra Chemnitium declamitat, missa quoque facimus, quod ea nihil prorsùs adversùs eam, quam attulimus, Cypriani eorum verborum interpretationem valeant, ut quivis per se videre potest.

Tom. 4. in 3. Thom. disp. 5. q. 8. puncto 3. p. 1174. 1175.

CAPUT

Caput VII.

Excutiuntur testis VI. Origenis dicta.

Itaque ad Origenem, qui Cypriano aliquot annis vetustior fuit, nunc veniamus. Primò hæc ex eô ad confessionis constituendum mysterium affert Bellarminus; *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panis die ac nocte, & cùm non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundùm eum qui ait*, Dixi, pronunciabo adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. *In quo impletur & illud, quod Iacobus Apostolus dicit.* Siquis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleô in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum; & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Hæc ille. Ego verò possem si liberet, hoc testimonium elevare, ex iis scilicet homiliis desumptum, quas ille ipse qui nunc objectat Bellarminus, alibi negat *magni esse authoritatis*; dubiique ac incerti parentis esse vult, non *Cyrilli*, cuius nomine sæpe citantur ab adversariis, sed vel *Origenis*, *vel* (inquit) *nescio cujus alterius, qui passim litteram destruit, & mysticos sensus ex capite suo statuit.* Sed concedamus sanè hæc verè esse Origenis, è cuius commentariis, vel etiam homiliis haustum esse totum hoc opus, multis fortasse ab Interprete vel resectis, vel additis præter Origenis mentem, equidem haud dubitarim. Hinc verò non modo quod adversarij contendunt, auricularem confessionem haberi, nego; sed insuper eam everti affirmo; quod sic demonstro. Cum iste quisquis est scriptor Mosaica quædam veterum pro peccatis sacrificia enarrasset, obiectionem quandam quæ ex illô sermone suboriri videtur, occupat. *Sed fortasse* (inquit) *dicant auditores Ecclesiæ, Melius ferè agebatur cum antiquis, quàm nobiscum; ubi oblatis diverso ritu sacrificiis peccantibus venia præstabatur. Apud nos uno tantummodo venia est peccatorum, quæ per lavacri gratiam in initio datur. Nulla post hæc peccanti misericordia, nec venia ulla conceditur.* Hanc ille objectionem pauca præfatus sic solvit; *Audisti quanta sint in lege sacrificia pro peccatis. Audi nunc quantæ sint remissiones peccatorum in Evangeliis. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est in passione martyrij. Tertia est, qua pro eleemosyna datur. Dicit enim Salvator*, veruntamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Quarta nobis fit remissio peccatorum, per hoc quod & nos remittimus peccata fratribus nostris. Sic enim dicit ipse Dominus, & Salvator noster*; quià si dimiseritis fratribus vestris ex corde peccata ipsorum, & vobis remittet Pater peccata vestra, &c. *Quinta*

peccato-

L. 1. de pœnit. c. 7. §. Origen. Orig. hom. 2. in Lev. multum infra med.

De verb. D. l. 4. c. 11.

CAP. VII. *peccatorum remissio est, cùm converterit quis peccatorem ab errore viæ suæ,* &c. *Sexta quoque fit remissio per abundantiam caritatis, sicut & ipse Dominus dicit,* Amen dico tibi remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum &c *Est adhuc & septima licet dura;* & quæ deinceps sequuntur, ut ea nuper descripsimus. Ex his liquet non fuisse tum apud Christianos in usu confessionalem adversariorum disciplinam. Primò enim, si quotquot erant fideles, tunc apud presbyteros, ut nunc fit, peccata in aurem sua omnia crebrò; solenniterque confitebantur; si confessi eorum veniam atque remissionem presbyterorum ministeriô consequebantur; si nullus denique, qui quidem ad ætatem idoneam pervenisset, huic officio deesse citrà Christiani nominis jacturam poterat; quâ rationis, aut veri specie Ecclesiæ auditores talia objectantes inducuntur ab Origene? *Melius ferè agebatur cum antiquis, quàm nobiscum. Apud nos uno tantum modo venia est peccatorum, quæ per lavacri gratiam in initio datur. Nulla post hæc peccanti misericordia, nec venia ulla conceditur?* Profectò stupere eum, aut insanire necesse est, qui in hodiernâ Romanorum hominum disciplinâ educatus, talia quæsierit. Cui enim istorum in mentem venire queat meliùs actum cum veteribus, quàm secum, cui quoties presbyterum adire libet & pauca in eius aurem demurmurare, totiès paratam esse novit omnium criminum, etiam gravissimorum remissionem? cùm veteres præter eandem illam peccati sui confessionem (nam & hanc isti, ut suprà ex Bellarminô didicimus, veteribus sub Mose impositam fuisse volunt) ad remissionem obtinendam sacrificia insuper offerre necesse haberent? Quis istorum illa, quæ apud Origenem aiunt Ecclesiæ auditores, vel dixerit, vel etiam cogitaverit, *nulla nobis nunc alia ratione nisi per baptismum peccata dimitti; post hæc nullam veniam concedi?* Atqui nemo est apud istos usqueadeò infans, qui nesciat post baptismum veniam apud presbyterorum tribunalia quibusvis prostare; nemo, qui non suô ipse experimentô hoc edoctus fuerit. Ergo necessariò fatendum est vel delirasse Origené, qui Ecclesiæ auditores ac domesticos ista objectantes inducit, vel certè alios tum fuisse, quàm nunc sunt, Christianorum hac in parte ritus ac mores. Nimirum parcissimè tunc iis, qui post susceptum baptisma lapsi erant, pax ab Ecclesiâ dabatur; & fuisse etiam aliquandò eam severitatem, quod omnes fatentur, patet, ut lapsis pax omninò negaretur; nedum ut quivis peccatores passim auriculari nescio quâ confessione defuncti statim absolverentur. Meritò illis temporibus, legibusque viventibus sermonem istum tribuit Origenes, sub hodierna Romæ disciplinâ educatis nonnisi stultè, atque absurdè eumdem affingeret. Tum idem ex ipsâ Origenis ad hanc objectionem responsione, multò etiam clariùs elucescit. Fac enim aliquem hodie (quod non est credibile) in adversariorum communione adeò stultum & hebetem reperiri, ut nullam post baptismum lapsis peccatorum veniam concedi putet, atque objectet, quid isti talia quærenti, vel objectanti respon-

responderi par est ex istorum disciplina? Certè nemo non videt hominem inprimis objurgari debere; qui huiusmodi sermone testetur sibi confessionis mysterium, sinè quô isti salutem nemini adulto obtingere posse censent, totum ignotum esse. Tum explicanda erit ipsa confessionis disciplina; monendúsque iste multò nos, quam antiquos, beatiores esse, quibus egregio hoc Sacramentô Dominus ita consuluit scilicet, ut quoties post baptismum peccamus, veniam delictorum arcanâ & facili confessione functi, ab eius vicariô sacerdote, statim impetremus. Siccine Origenes? Nihil minus. Principio sanctissimè monet Christianum *pro quo Filius Dei oblatus est, decere districtioris esse disciplinæ,* quàm veteres illos *pro quibus oves, hirci, boves & oves jugulabantur.* Mox appositè ne summus rigor animos hominum desperatione frangeret, subiicit multas etiam esse sub Novô Testamentô veniæ obtinendæ rationes; & septem illas, ut diximus, recenset. Sed tantis ambagibus opus nihil erat, si tum obtinebat hodierna disciplina. Vnô verbô res confici poterat, allato confessionis arcanæ sive pœnitentiæ sacramentô. Quod cum Origenes tali loco non fecerit, meritò concludendum est ignotum ei fuisse totum hoc mysterium. Denique idem quoque evidenter ac necessariò inde conficitur, quod præter baptismum ac confessionem sacerdoti factam, quinque alias rationes commemorat, quibus à Domino peccatorum remissio obtinetur. Non ergo iste putavit sine vocali confessione apud sacerdotem vel in re, vel saltem in votô edita, nullius peccati remissionem haberi posse. Respondet Bellarminus *modos illos* quos recenset Origenes, *non esse omnes & singulos per se sufficientes ad peccati remißionem, sed plerosque eorum includere alios saltem in voto, certum enim esse solam eleemosynam, aut injuriæ condonationem, aut cætera, quæ ibi enumerantur sine baptismo in re, vel in voto non sufficere ad justificationem, licet suo modo juvent, & quemadmodum non baptizatis illa non sufficiunt sine baptismo, ita etiam baptizatis illa non sufficiunt sine confessione in re, vel in voto.* Sed hæc inania sunt hominis caussæ studio excæcati figmenta. Primùm illud fateor istas ab Origene commemoratas veniæ obtinendæ rationes solas per se non sufficere aliquo sensu dici posse; quatenus scilicet fidem omnes & singulæ requirunt, sinè quâ nihil ad justificationem prodest. Itaque eam Origenes in istis omnibus (ut vulgò loquimur) supponit. Nam neque baptismus, neque martyrium, neque eleemosyna, neque cætera vel seorsim singula, vel simul universa ab homine præstita nullâ in Deum fide præditô, quicquam prosunt. Sed hæc non ita intellexit Bellarminus; qui (ut patet) *istos modos per se non sufficere* eô sensu dixit quasi unus ex iis modis sinè alterô non sufficiat; Id verò tum per se absurdum est; tum ab Origenis mente alienum. Nam & baptismus verâ modò fide susceptus, etiam sine martyriô & eleemosinâ, & cæteris, ad obtinendam peccatorum remissionem satis est; & martyrium pariter sine baptismô, & aliis, ad idem sufficit. Origenis

Cap. VII.

L. 3. de pœn. c. 10. §. Sed facilis.

CAP. VII. verò institutum non minùs cum hoc sensu pugnat. Opponit enim has remissionis rationes iis, quæ per sacrificia à veteribus sub lege obtinebantur; sacrificia autem illa in suo quæque genere satis fuisse liquet, ut nihil opus fuerit eum, qui vitulum, verbi gratia, aut hircum obtulisset, ad consequendam eiusdem pro quô illa obtulerat, peccati veniam, arietem quoque vel agnum offerre. Ergo neque qui hæc inter se comparat Origenes, necessarium existimavit, ut qui eleemosynam, aut fratris conversionem Deo obtulisset, is confessione quoque apud sacerdotem fungeretur. *Cùm veneris* (inquit) *ad gratiam baptismi, vitulum obtulisti,* ub. supr. *quia in morte Christi baptizaris. Cùm verò ad martyrium duceris, hircum obtulisti, quia authorem peccati diabolum jugulasti. Cùm verò eleemosynam feceris, & erga indigentes affectum misericordiæ sollicitâ pietate dependeris, altare sacrum hœdis pinguibus onerasti.* Tum qui *ex corde remiserit peccatum fratri*, eum ait *immolasse arietem vel agnum*; *turturem* verò *aut columbas, qui peccatorem ab errore converterit*; *panes similagineos in oleo caritatis subactos, qui proximum magis quàm se ipsum dilexerit*; *similam* denique *à sartagine*, vel à craticulâ, qui pœnitentiæ laboribus *carnem suam maceraverit*. Ergo ut septem illæ veterum oblationes singulæ per se in suo genere sufficiebant; ita & septem has, quas illis comparat, remissionis sub Nov. Testam. rationes per se singulas in suo genere satis esse intelligit indubiè Origenes. Sed (inquit Bellarminus) eleemosyna sinè baptismo non sufficit ad justificationem, Quid hoc est? An iste vult homini Christiano & initiato ad consequendam peccatorum remissionem non sufficere eleemosynam, nisi unà quoque baptizetur? Nemo dixerit. Baptismum enim semel suscipi, non sæpius, notum est. An intelligit homini nondum baptizato nihil profuturam eleemosynam, nisi baptismum receperit? Hoc quidem verum est, sed nihil ad rem. Nam si hoc sensu loquutus est adversarius, eô quidem conficiet hominibus, qui nunquam confessi fuerint apud presbyterum, nihil profuturas eleemosynas; non conficiet, quod cupit, nihil eas etiam pridem confessis profuturas, nisi quoties peccant, toties de novo confiteantur. Vt enim baptismum semel suscepisse satis est, ut posteà valeant nostræ pietatis actus: sic quoque semel confessum fuisse olim ex hac quidem Bellarmini ratione, satis erit; neque confessionem magis, quàm baptismum, iterare necesse erit, quoties nobis venia opus est. Sed quid in istis moror? Clarum est Bellarminum lectoribus suis illudere; Fingit enim ille Origenem hoc velle, quodvis istorum septem, quæ commemorat, ad quodvis omninò peccatum dimittendum valere, ac (ut ille loquitur) juvare. Atqui non ita est. Hæc tantum affert, ut doceat nullum esse crimen tantum, cuius venia [illegible] sub Novô Testamentô tam facilè, quàm sub veteri, impetrare non [illegible]ssimus. Nam si quis vel Paganus, vel Iudæus, vel Catechumenus fuerit, ipsô illô baptismô, cujus facta erat in objectione mentio peccatorum omnium remissionem ipsi conferri. Idem martyriô effici.

effici. Siquis verò baptizatus lapsus fuerit, ne huic quidem præcisam esse veniæ spem. Nam & eleemosynis, & fratrum conversione, & aliis, & confessione denique si qui post baptismum peccarunt, eorum crimina dimitti. Priores nimirum quatuor rationes, *eleemosyna, injuriarum condonatio, conversio peccatoris, caritatis abundantia*, videntur ad ea peccata pertinere, quæ quod non essent nota, nullô Ecclesiæ ministerio indigebant. Septima verò ad ea potissimum referri, quæ, quod essent cum scandalo conjuncta, publica exomologesi procurabantur. Ex his jam satis constat nihili esse Bellarminianam argutiam, & ex hoc Origenis loco clarè, certoque colligi non fuisse tunc hoc Ecclesiæ dogma nullum peccatum absque confessione vocali dimitti; quin planè contrà existimasse illius temporis homines plurima peccata fuisse, quorum remissio eleemosyna, injuriarum condonatione, alicuius peccatoris instructione, & eximio aliquo caritatis opere absque ulla apud sacerdotem confessione, à Domino impetraretur. Iam quod postremo loco observare nos Bellarminus jubet *inter tot modos ab Origene numeratos nullum locum fidei esse tributum, cui soli nos solemus tribuere justificationem*; id inquam frustrà est. Fides enim hic ab Origene inter modos istos consequendæ peccatorum remissionis idcircò nominatim expressa non fuit, quod ea in illis omnibus pariter requiratur & includatur. Neque enim vel baptismus, vel martyrium, vel eleemosyna, vel ullus caritatis actus, vel ipsa denique confessio quicquam valent, nisi cum vera fide conjuncta sint, & ex ea proficiscantur, quod ne ipse quidem Bellarminus negaverit. Imò neque baptismi, neque martyrij, vel eleemosynæ, aut caritatis vel confessionis & pœnitentiæ nomine digni sunt actus, qui sine fide fiunt; impropriéque ac æquivocè istis nominibus appellantur quicumque actus sine fide fiunt. Itaque clarum est Origenem ipsis illis vocabulis, quibus hic propriè utitur, fidem quoque in singulis, quos intelligit, actibus complecti, includere, ac ut vulgo loquimur, *supponere*. Verbi gratiâ, cum dicit *primam remissionem esse, quâ baptizamur in remissionem peccatorum*; Secundam, in *passione martyrij*; tertiam, quæ *pro eleemosyna datur*; baptismum, martyrium, & eleemosynam credentium intelligit; non autem incredulorum. Et sic de cæteris. Ita *pœnitentiam*, cui septimam remissionem tribuit, credentis pœnitentiam haud dubiè intelligit, cum fide conjunctam & ex fide profectam. Quæ enim sine fide suscipitur, ea neque ad salutem quicquam valet; neque sanè si verum amamus, propriè pœnitentia est, sed eius larva ac inane simulacrum. Ergo fidem, quæ in istis omnibus actibus clarè ac necessariò includitur, atque intelligitur, disertè ac nominatim memorari nihil necesse fuit. Actus pœnitentiæ sive confessionis, qui ab Origine inter septem illos remissionis modos memoratur, alia planè ratio est. Is enim actus nullo sex aliorum actuum necessariò includitur, aut continetur, cùm & verè eleemosynam dare queat peccator, qui tamen apud ministrum Ecclesiæ non confite-

Cap. vii.

L. 1 de pœnit. c. 10 §. Sed facilis.

Cap. vii. tur, & vicissim verè apud ministrum confiteri quis possit, etiamsi nullam det eleemosynam. Et sic de cæteris. Ergo qui alios præter confessionem remissionis consequendæ modos esse dicit Origenes, clarissimè sentit non esse ad veniam quorumvis peccatorum necessariam cõfessionem. Nunc ergo explosa sacramentali illa confessione, quam statuunt adversarii, patet quâ de confessione capienda sint Origenis verba, nimirum de publica, quæ tum erat in usu, ut ex Cypriani, & Tertulliani testimoniis nuper allatis patuit. Prior eius pars, quâ peccator ad ministros accedens, pœnitentiam poscebat his verbis significatur, *non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* Posterior, quæ *exomologesis* dicebatur, his describitur, *lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panis die, ac nocte*; & rursum paulò post istis, *si in amaritudine fletus tui fueris luctu, lacrymis & lamentatione confectus; si carnem tuam maceraveris & ieiuniis ac multa abstinentia aridam feceris, & dixeris*, Quia sicut frixorium confrixa sunt ossa mea; quæ omnia planè cum iis congruut, quæ Tertullianus & Cyprianus nuper in publica exomologesi requirebant. Quod verò Bellarminus Origenem *de occultis peccatis*, quæ publicâ pœnitentiâ procurari non solebant, intelligere indè arguit, quod istum pœnitentem, de quô loquitur, dicat, *non erubescere indicare peccatum suum*, id inquam, nihil concludit. Nam rei, etiam cognita peccata apud præsides Ecclesiæ rotundè confiteri erubescunt; ut communis sensus testatur, & nos, qui publicam exomologesin in usu habemus, quotidiè experimur; quâ de re pluribus ad Tertulliani loca quædã ab Arnaldo in alia controversiæ huius parte objecta dicendũ erit. Iam veterum exomologesis quàm longe à confessione adversariorum hodierna distaret, nemo non intelligit. Illa *pœnitentium* tantùm erat, ut loquebantur veteres, id est publicè pœnitentium; hanc omnium omninò fidelium esse volunt. Illa sacramentum non erat; hanc sacramentum esse pugnant. Nihil ergo ad hanc facit objectus Origenis locus.

Hom. 3 in Levit. circa med. Alter sequitur ex eodem opere descriptus: *Si peccaverit* (inquit) *unum aliquid de istis, pronunciet peccatum, quod peccavit. Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod jubet pronunciare peccatum. Etenim omni genere pronuncianda sunt, & in publicum proferenda cuncta quæ egerimus, si quid in occulto egerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem ab illo, qui & accusator peccati est, & incentor. Ipse enim nunc nos ut peccemus, instigat, ipse etiam, cùm peccaverimus, accusat. Si ergo in hac vitâ prævenianius eum, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam Diaboli inimici nostri, & accusatoris effugimus. Sic enim & alibi Propheta dicit*, Dic tu (*inquit*) iniquitates tuas prior, ut iustificeris. *Nonne evidenter mysterium, de quo tractamus, ostendit, cùm dicit*, Dic tu prior? *Vt ostendat tibi, quià tu prævenire illum debeas, qui paratus est ad accusandum. Tu ergo* (inquit) dic prior, *ne te ille præveniat; quia si prior dixeris, & sacrificium pœnitentiæ obtuleris,*

obtuleris, secundùm ea quæ in superioribus diximus offerenda, & tradideris carnem tuam in interitum, ut spiritus salvus fiat in die Domini, dicetur & tibi, quia percepisti & tu in vita tua mala, nunc verò requiesce. Hactenus ille. *His verbis* (inquit Bellarminus) *Origenes sicut docet in die judicij omnia peccata nostra, etiam occultissima, & solo sermone, vel cogitatione patrata à Satanâ in medium proferenda; ita docet, ut si velimus ea purgari omnia videlicet, etiam occultissima, & solo verbo, vel cogitatu admissa, sacerdoti prodamus.* Rectè sanè omnia, si unum illud demus, *sacerdoti*, de quô nihil Origenes. Vult nos accusatoris officium occupare, & quicquid peccaverimus, id ipsos nostra sponte ultrò accusare, confiteri, ac damnare. Quis non assentiatur? Omnem hanc nostram cuiusvis peccati accusationem, ac confessionem apud ministrum Ecclesiæ & quidem clam, ac in aurem fieri, atque institui debere, neque scribit, neque verò cogitavit Origenes. In genere de re tota loquitur, adeoque & siqua sint Ecclesiastica censura digna, ea publicè, ut tum moris erat, defleri, solenniqne exomologesi apud Dei plebem procurari vult. Fateor. Cætera, quæ plurima sunt, peccata, à nobis apud Deum Christumque Dominum, verum ac unicum nostrum sacerdotem, proferri, agnosci, damnari debere intelligit; apud homines ministros, neque dicit, neque sanè existimavit. Hic autem Origenem & eam quæ apud unum Deum fit, peccati confessionem intellexisse patet; tum ex illis Isaiæ verbis quæ ex LXX. versione citat, *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris*; tum etiam ex his quæ continenter subiicit; *Sed & David eodem spiritu loquitur in Psalmis, & dicit*; Iniquitatem meam notam feci, & peccatum meum non cooperui. Dixi, Pronunciabo adversum me injustitiam meam, & tu remisisti impietatem cordis mei. Nam in utroque loco eam confessionem intelligi planum est, qua iniquitates nostras Deo dicimus; & David in posteriori id ipsum diserte expressit; Sic enim habent eius verba ex vulgata interpretatione; *Delictum meum cognitum tibi feci.* Ergo neque hic Origenis locus adversariorum caussam juvat.

Neque majus in eo momentum est, quem ex eiusdem homiliis in Lucam afferre solent; *Unde & nos si peccaverimus, debemus dicere*, Peccatum meum notum feci tibi, & iniquitatem meam non abscondi. Dixi, Annunciabo injustitiam meam contrà me Domino. *Si enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed & iis, qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait,* Ecce delebo ut nubem, iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua. Hæc ille. Respondeo nihil ista ad Romanæ confessionis institutum pertinere. Dixerat verbis proximè præcedentibus *cogitationes*, malas scilicet, *quandiù absconditæ sunt nec prolatæ in medium, impossibile esse penitus interfici.* Ideò suadet nobis, si in huiusmodi peccatis versemur, ut mentis arcana non Deo tantum, sed & fratribus, siqui sint medendi periti, aperiamus, vulneraque, ut sic dicam, cordis nostri nudemus; quô

CAP. VII.

ub. supr. c. 7. §. Idem Orig.

Psal. 31. (lat. 31.) 5.

Hom. 17. in Luc, non procul ante finem.

Cap. VII. eorum opera malum animis altè infixum curari, penitusque revelli possit; Id verò, ut quivis videt, ad eam confessionis speciem pertinet, quam & nos maximè probamus, & Estius à sua Sacramentali alienam esse agnoscit; cùm scilicet peccata fratri peritiori indicamus, ut eius consilio atque precibus tum in obtinenda à Deo admissi venia, tum in expugnando ipso peccati (ut loquuntur) habitu, adjuvemur, quæ quàm à mystica adversariorum confessione aliena sint nemo non videt.

Hom 2. in Ps. 37. in verbo, Quoniam iniquitatem meam pronuncio. ♆. 19.

Superest quartus ejusdem cum isto ingenij ex Origene allatus locus, *Vide ergo* (inquit) *quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortaßis enim sicut ij, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris, vel phlegmatis, stomacho graviter & molestè imminentia si uomuerint, relevantur; ita etiam hi, qui peccaverunt, siquidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simulque evomit, & delictū, atque omnem morbi digerit caussam. Tantummodò circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas caussam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit disciplinam; ut ita demùm siquid ille dixerit, qui se priùs & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, siquid consilij dederit, facias, & sequaris, si intellexerit, & praviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaßis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satu perito medici illius consilio procurandum est.* Ex his

ob sup c. 7. §. Idem auctor.

Bellarminus ait *nos discere confeßionem esse necessariam, etiam occultorum criminum, nec tamen oportere omnia peccata publicè confiteri, sed omnia quidem privatim, publicè autem solum publica, aut ea, quæ maturò consilio sacerdos judicabit esse prodenda.* Sed ille multipliciter fallitur. Primò quod putat pœnitentes olim sua peccata publicè prodidisse, ac confessos esse; quod procul à vero est. Quod verò ait hic auctor *languorem in conventu totius Ecclesiæ exponi & curari*, eo non diserta & expressa singulorum nominatim peccatorum expositio, qualis hodie apud adversariorum sacerdotes fieri solet, significatur, sed (quod optimè est à Petavio Iesuita ob-

In Epiph. p. 249.

servatum) *ea profeßio, quæ factis ipsis, ac pœnitentium officiis editur, generalisque scelerum agnitio, & improbitatis suæ profeßio ac delectatio.* Secundò, in eo etiam fallitur Bellarminus, quod *omnia peccata privatim confiteri necessarium* fuisse ex hoc loco colligit. Id enim neque scriptor ipse hic dicit, neque sanè verum est. Nulla quippe apud veteres alia peccata ministris privatim confiteri fideles ex legibus Ecclesiæ tenebantur, nisi quibus publica ex canonibus constituta erat pœnitentia, ut posteà suo loco demonstrabitur. Tertiò denique eo etiam peccat adversarius, quod illum apud quem peccata sua fidelem privatim confiteri vult hic scriptor, *sacerdotem* esse ait. Atqui in toto hoc loco ne semel quidem

sacer-

sacerdotis meminit. Tantùm dicit magna cura eum hominem deligendum, *qui condolendi & compatiendi noverit disciplinam*; nihil autem vetat vel in clericorum, vel in monachorum, vel etiam in laïcorum ordine huiusmodi hominem inveniri, qui tamen sacerdos non sit. Ergo hoc quoque istius scriptoris consilium est, superioris planè geminum; quô suadet, non de omnibus omninò peccatis, quod perperam fingit Bellarminus, sed de iis quæ ipsi per nos curare, ac dissolvere non valemus, cum fratre aliquo pio & sapienti deliberandum; ut adhibita eius opera & veniam delicti à Deo impetrare, & caussas peccandi amoliri queamus. Quo loco enixè etiam monet, ut diligenter eius, cui nos crédituri sumus, fidem, industriam, ac peritiam exploremus; tum consilium sequamur, & publica etiam exomologesi, si is auctor fuerit, procuremus; quoties scilicet & cæterorum ædificatio, & nostra ipsorum salus id exiget. Quid hæc ad hodiernum confessionis mysterium? Sed piget plura de isto scriptore addere; quem ipse Bellarminus fatetur à nonnullis in dubium vocari. *De homiliis in Psalmos* (ex quibus desumptus est superior locus) *aliqui* (inquit) *dubitant, an sint Origenis*. Erasmus quidem quàm suspectas has homilias habuerit, his verbis testatum reliquit. *Hoc opus* (inquit) *vix refert ingenium, & phrasim Origenis. Suspicor eum qui scripsit fuisse Latinum, aut si vertit Ruffinus, more suo quod alienum erat, fecisse suum tractando; hoc est contaminando. Nec ipse qui præfatur, profitetur se has homilias ex Origene vertisse. Vix arbitror Ruffinum esse tam infantem. Quod siquis contendat Ruffinum non esse alienum ab ineptiendo, huic non admodum repugnabo, modò fateamur operis genium non referre Origenicã fælicitatem*. Hæc ille: quod autem hic scriptor Latinus, ut Erasmus suspicatur, fuerit, inde confirmat Cocus noster, quod in locis Scripturæ enarrandis Latina cum Græcis aliquando comparat; quod à Græcorum more, & usu planè alienum est. Tanta autem est istius operis inepta, atque etiam interdum barbaries, ut ne Ruffinum quidem, quod videtur Erasmus concedere, eius auctorem putem. Cum ergo testes, qui in hanc caussam inducuntur, certos atque indubitatos esse oporteat, istum de quo tam multæ sunt dubitandi rationes, ne rogari quidem vel audiri debuerat.

CAP. VII.

L. de script. Eccles. presb. in Orig.
T. 8. op. Er.

Cens. script. vet. in Orig. p. 37.

CAPUT

Caput VIII.

Quarti sæculi & sequentium inducti ab adversariis testes audiuntur; quorum ordinem ducunt Lactantius VII. testis, & Synodus Laodicena VIII. Vtriusque testimonia ad veterum disciplinam, id est publicam pœnitentiam pertinere.

Iam tria Christianismi priora sæcula emensi sumus; nec dum ullum auricularis confessionis vestigium apud scriptores istorum temporum deprehendimus; quod præter alia à nobis in superioribus observata, magno argumento est neque à Christo, neque ab Apostolis traditum fuisse id institutū; quod non sit verisimile primos illos Christianos eam rem, siquidem à Domino, & principibus eius ministris accepta esset, neglecturos, neque uspiam commemoraturos fuisse.

Nos nunc ordo institutæ disputationis vocat ad quartum, & quintum sæcula; de quibus præcipua nobis est cum adversariis concertatio.

In hoc censu primus occurrit Lactantius Crispi Cæsaris, Constantini filij institutor; quem constat ineunte quarto sæculo vixisse. Ex hoc ergo scriptore, & Bellarminus*, & Gregorius de Valentia† hunc locum describunt; *Quoniam pars* (inquit) *illa hominis, quæ circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda; ob hanc caussam Deus nudari eam jussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, id est ne quod pudendum facinus intrà conscientiæ secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de quâ Prophetæ loquuntur, quam Deus a carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Volens enim vitæ, ac saluti nostræ consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, ut si cor nudaverimus, id est si peccata confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem, sicut homo, sed intima & arcana pectoris intuetur.* Hæc ille, quæ (ut quivis videt) nihil ad istorum confessionem faciunt. *Cor nudandum* ait, id est *peccata confitendo satis Deo faciendum, ut veniam consequamur.* Quis negat? Debita in aurem uni sacerdoti confitenda; & quidem omnia, neque aliter veniam impetrari posse, neque hic, neque alibi dicit. Atqui & *confitetur peccata* etiam is, qui apud Deum omnes cordis sui sinus expandit, & quicquid pudendum pectori inest, apud eum retegit; ac, ut ille de Evangelio publicanus, apud se confusus, & vix oculos præ pudore attollens, unam Domini misericordiam invocat, qualis ecce David, *Delictum meum cognitum tibi feci,* (inquit) *& injustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Contumaces verò sunt, qui peccatum se habere præfractè negant;

* vb. supr. c. 8.
† vb. supr. p. 1175.
L. 4. inst. c. 17.
Psalm. 32. (lat. 31.) 5.

negant; quique cum foris speciosi, intus toti maculosi sint, in externa illa justitiæ larva ita sibi placent, ut etiam apud Deum merita sua ac præclarè gesta ostentare non vereantur, qualis est in eodem Evangelio superbissimus ille ac superciliosissimus de Pharisæorum natione hypocrita. Quamquam etiamsi ista Lactantij referantur ad confessionem, quæ à pœnitentibus apud homines Ecclesiæ ex veteri more fiebat; non ideò tamen quicquam promotum fuerit confessionis auricularis negotium. Neque enim Lactantius docet hanc, quam intelligit, confessionem vel omnium omninò delictorum fuisse, vel ab omnibus fidelibus exactam esse, vel denique uni sacerdoti factam fuisse.

Neque verò firmior est alter ex eodem opere allatus à Perronio, & aliis adversariiis locus; *Quia* (inquit) *singuli hæreticorum cœtus se potissimum Christianos esse, & suam Ecclesiam Catholicam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est religio, confessio, & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus est subjecta imbecillitas carnis, salubriter curat.* In his damnari à Lactantio Novatianos & fatetur Bellarminus, & verum est. Atqui Novatianis ullam cum Catholicis fuisse de auriculari confessione controversiam nunquam fando accepimus. Illi de pœnitentia & pace lapsorum litigabant, quos sacra communione in perpetuum excludebant. Ergo non aliud hic intelligit Lactantius, quàm quod apud istos deerat id in Ecclesia fuisse; nimirum spem veniæ etiam lapsis propositam, certumque confessionis ac pœnitentiæ ordinem iis definitum, ac præstitutum, quô ad communionem recuperandam decurrerent. Quis verò ille ordo fuerit, an is qui nunc adversariorum est (quod nos negamus) an alterius generis, non docet Lactantius; adeoque frustrà affertur locus. Profectò & ex superioribus jam patet, & ex iis quæ infra dicenda erunt, etiam luculentius patebit, neque omnes qui post baptismum in quodcumque peccatum labuntur ad veterem illam pœnitentiam coactos fuisse, sed certi tantùm generis peccatores, neque privatim & in arcano, sed publicè & in totius Ecclesiæ conspectu factam fuisse ab ijs exomologesim, quam ego putaverim à Lactantio Latina *confessionis* voce expressam significari; tametsi nihil interfit id vocabulum in communi, & apud Latinos scriptores solenni sensu sumi. Quisquis enim pœnitentiam vel suscipiebat, vel agebat, is eo ipso se peccatorem esse confitebatur, etsi delicta sua sigillatim ex scripto, vel ex memoria minimè numeraret, aut recenseret.

Repliq. p. 561.

L. 4. Inst. c. u.t.

Post Lactantij testimonium sequitur vt Laodicenæ Synodi canonem à Bellarmino, & Perronio * laudatum expendamus; eam enim Synodum ante Nicænam habitam fuisse volunt adversarij, Περὶ τοῦ τοὺς ἐξαμαρτάνοντας ἐν διαφόροις πταίσμασι, καὶ προσκαρτεροῦντας τῇ προσευχῇ τῆς ἐξομολογήσεως καὶ μετανοίας, καὶ τὴν ἀποστροφὴν τῶν κακῶν τελείαν ποιουμένους, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ πταίσματος, καιροῦ μετανοίας δοθέντος, τοῖς τοιούτοις διὰ τοὺς οἰκτιρμοὺς καὶ τὴν ἀγαθότητα τοῦ Θεοῦ προσάγεσθαι τῇ κοινωνίᾳ,

Vb supr. c. 1. S Primum igitur.

* Repl. p. 561.

Can. 2.

CAP. IX. *Eos, qui in diversis delictis peccant, & in confessionis, sive exomologeseos, pœnitentiaque oratione fortiter perseverant, & se à malis perfectè convertunt, tempore pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato, propter Dei miserationes & bonitatem offerri communioni. Hic habemus confessionem*, inquit Bellarminus, *& quidem in specie, & hominibus faciendam. Nam alioqui non possent homines pro qualitate peccati tempus pœnitentiæ assignare.* Respondeo *confessionem* sanè hic haberi; sed eam, quæ Græcè est *exomologesis*, hoc est publicæ pœnitentiæ pars; quæque, ut suprà tum ex re ipsa, tum ex Albaspinei, Petavij, & Rigaltij testimoniis demonstratum est, planè aliud est, quam *auricularis* adversariorum *confessio*. Fateor qui exomologesin faciebant, eorum delicta Ecclesiæ præsidibus cognita fuisse, & ex eorum ratione variam ipsis secundum canones impositam fuisse pœnitentiam. Omnia delicta exomologesi subjecta fuisse, & eorum quæ ei subiiciebantur, confessionem in aurem unius presbyteri & necessariò & particulatim, expressis etiam circumstantiis, factam fuisse, nego hinc, nego aliunde ex illius quidem sæculi scriptoribus haberi. Ergo nullum est in hac Synodo auriculari istorum confessioni præsidium.

CAPUT IX.

Explicantur testis IX. & X. hoc est Athanasij, & Hilarij dicta; ostenditurque ea ad Innocentianam confessionem minimè pertinere. Menda de Hilarij verbis obiter tollitur.

HUc quoque Bellarminus inducere non dubitavit magni Athanasij nomine ineptissimi impostoris sermonem in hæc verba; *Profecti in pagum, qui ex adverso est, invenietis pullum alligatum*; quo opere ne fingi quidem quicquam potest clarissimo præstantissimoque Athanasij ingenio indignius. Itaque Nannius inter supposititia maleferiati nugatoris fœtum relegat. & Erasmus homini stigma his verbis inussit, *Apparet* (inquit) *esse fragmentum ex opere quopiam decerptum*; *Torquet Scripturas, quasi ludens.* Lectoribus ergo imponit Bellarminus, dum hunc iis testem pro Athanasio obtrudit, quæ fraus eo indignior est, quod nullo operæ pretio facta est. Nihil enim confessionem auricularem juvant, quæ hic testis, quisquis fuerit, pronunciat; Ἐπιζητήσωμεν (inquit) τὸν ἀληθινὸν βασιλέα τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. Ἐξετάσωμεν ἑαυτοὺς, εἰ ἐλύθησαν ἡμῶν οἱ δεσμοὶ, καὶ εἰ λελυμένοι εἰσί, προκόψωμεν ἐπὶ τὸ βέλτιον, εἰ δὲ μήπω λέλυνταί σου οἱ δεσμοὶ, ἐπίδος ἑαυτὸν τοῖς μαθηταῖς τοῦ Ἰησοῦ. πάρεισι γὰρ οἱ λύοντες ἡμᾶς, ἐξουσίαν ταύτην εἰληφότες παρὰ τοῦ Σωτῆρος, ὅτι ὃ ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Investigemus

Ep nuncup.

In tom. 8. oper. Erasm. edit. Bas. A. 1540.

T. 1. Athan p. 990. D.

gemus verum nostrum Regem Iesum Christum, nosque ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula. Quod si soluta sint, in melius proficiamus. Quod si nondum soluta sint vincula, tradas te ipsum discipulis Iesu. Adsunt enim, qui te solvant pro potestate ea, quam à Salvatore acceperunt. Quæcunque enim (*inquit*) ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlis; & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in cœlis, &c. Hæc ille, in quibus de auriculari confessione nihil. In genere eos hortatur, quorum nondum sunt soluta vincula, ut discipulos Christi, id est, & Apostolos, & qui iis successerunt Episcopos & presbyteros adeant, seque iis tradant. Hoc verò vel ad catechumenos pertinet, qui nondum baptismo tincti erant, vel ad eos etiam fideles, qui quod in aliquod ex iis peccatis, quæ canonibus Ecclesiæ notata erant, incidissent, per publicam pœnitentiam reconciliandi erant. Illos monet, ut suscepto quamprimùm baptismo peccatorum vinculis se exsolvant; hos ut pœnitentiam agant, in quorum utroque necessarium erat præsidum Ecclesiæ ministerium. Nullum peccatum fuisse, cuius vinculum sine ministrorum opera, solvi posset, quantavis alioqui esset fidelis, qui eo se obstrinxerat, contritio ac resipiscentia, neque iste dicit, neque verum est. Postremò concedo etiam aliquo sensu dici posse quicumque ullo omninò peccato soluuntur, eos à discipulis Iesu solvi; ita scilicet, ut eorum vel propriè manu, & ministerio, ut baptizati & pœnitentes; vel certè doctrina & instructione soluti intelligantur, ut ii qui audito vel lecto Evangelio compuncti, veroque delictorum sensu affecti, apud Deum gemunt, & resipiscunt; Quâ ratione quæ iste dicit interpretanda sunt, si modò ea universaliter ad eos omnes extendi placet, quid quodvis peccatum admiserunt, ut *discipulis Iesu se tradere* nibil aliud sit, quàm divinam eorum disciplinam consulere, & quæ isti docent, iis se morigerum ac dicto audientem præbere. Alioqui ne ipsi quidem adversarii tueri possunt omnia omninò peccata, sacerdotum operam necessariò desiderare, qui (ut notum est, docent venialia sine eorum ministerio multis modis solvi ac expiari.

Cap. IX.

Matth. 18.

Athanasio apud Bellarminum succedit Hilarius; cuius hæc ex commentariis in Matthæum verba describit; *Ad terrorem autem metus maximi, quô in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ iudicium præmisit; ut quos in terris ligaverint, id est peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, confessione scilicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in cœlis quoque, aut soluti sint, aut ligati.* In his verò, si unam *confessionis* vocem demas, nihil fuit, quod Bellarmino suadere posset ista ad hanc caussam trahere. Quid enim aliud dicit Hilarius, quam id ipsum, quod extat in Evangelio, rata fore, quæcumque pronunciavarint ac gesserint Apostoli? ligata, solutaque quæ ipsi caussa cognita ligaverint vel solverint? (Inde autem non sequi ut fideles, quicquid deliquerint, Apostolis, id est ministris, seorsim in aurem sigillatim revelare ac explicare necessariò debeant, suprà cum de ipsa Scri-

Can. 18. in Matth. p. 551. E.

Cap. x. pturâ ageremus, fusius demonstratum est, quàm ut nunc quicquam repetendum sit. Bellarminum una *confessionis* vocula transversum egit; qui pro more quascunque rei, quam probare studet, vel tenuissimas umbras aut videt, aut videre se putat, in eas statim involat; eas arripit, ac retinet; ad eas, velut ad solidum rei, quam quærit, corpus adhærescit. Sed id quidem ei hoc loco parum bellè cessit. Videtur enim ipsa illa *confessionis* vox, quam ille ita avidè complectitur, non ab Hilario scripta, sed ab imperito librario pro alia quadam simili adhibita in hunc locum irrepsisse. Quid enim quæso est *confessione veniæ recipere in salutem?* Profectò ista boni sensus inania esse videntur. Omninò locum corrigendum putaverim, & levi mutatione legendum; *& quos solverint, concessione scilicet veniæ receperint in salutem.* Sic enim omnia clara sunt, & expedita. Atque hæc quidem obiter.

Caput X.

Ad clariorem hujus caussæ cognitionem, explicatur quæ, qualisque fuerit publica veterum pœnitentia. Pœnitentes. Pœnitentiæ quatuor gradus. Ea semel data; primò severissima, mox paulatim mitigata. Testis XI. Basilius ab adversariis inducitur; cujus expenduntur ac solvuntur tria objecta testimonia.

Sed jam Bellarminus telorum in nos nimbum effundit, ex Basilij, Ambrosij, Gregorij Nysseni, Paciani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, & aliorum libris, qui partim exeunte quartô, partim decurrente quintô Christianismi sæculo floruerunt. Quorum omnium cum una fere eademque sit ratio, ne eadem ad singula repetendo molesti simus, operæ pretium est hic simul, & semel quam brevissimè, clarissimeque fieri poterit, id exsequi, quô plæraque ex tam multis Patrum istorum locis pertinere videntur.

Quod ut commodè explicetur, inprimis tenendum est, qui scelerata vel flagitiosa vita Christiano nomini infamiam, cæteris fidelibus labem conciliabant, eos secundùm Domini præceptum, & disertam Apostoli in priore ad Corinthios Epistola doctrinam, ex Ecclesia ejectos proscriptosque fuisse. Siqui verò ex eo censu essent, qui vel suopte impulsu, vel Ecclesiæ censuris ac correptionibus admoniti mentem mutarent, & ad meliora redire cuperent; iis quidem fidelium communio reddebatur; sed hac lege, ut antequam sacrorum participes fierent, variis pœnitentiæ, iisque laboriosissimis exercitiis & Ecclesiæ satisfacerent, & inolitas vitiorum labes eluerent. Ac principiò quidem, cùm fervente exterorum odio, ac persecutione, pauci essent, iique castigatissimæ sanctimoniæ, & in-

& invictæ in libidines fortitudinis Christiani, rari videntur fuisse in Ecclesia; qui in hujusmodi disciplinæ flagitia inciderent. Mox crescente, ut fit, numero cum multi sequiorũ ac deteriorũ morum Christo nomẽ darent, crebriora occurrere cœperunt prostratæ inter eos sanctimoniæ exempla. Itaque tum certa disciplina constituta est, quâ huiusmodi peccatoribus consuleretur. Ac primò quidem magna erat, & pro temporum innocentia, ac castitate, singularis severitas, mox in mitiora itum. Constat enim in quibusdam Ecclesiis, ne anno quidem trecentesimo mœchis, & apostatis ullam datam pacis & communionis spem. Ac in Ecclesia quidem Romana cum circà tertij sæculi initia, mœchis communionem post pœnitentiam reddi placuisset, intercessit Tertullianus, negandamque talibus pacem libro contumeliosissimo præfractè defendit; ex quo etiam discimus homicidis & apostatis communionis spem ab iis ipsis tum negatam fuisse, qui eam mœchis dabant. Sed & ipsis Apostatis Romæ quidem, & Carthagine tandem indultum fuisse Decianæ persecutionis temporibus jam adulto tertiò Christianismi sæculo ex Cypriani epistolis clarum est; repugnante Novatiano, Romanæ Ecclesiæ presbytero; cujus severitatem multi, facto nobili schismate, secuti sunt. Cæteris Christianis veriora, ac mitiora placuerunt. Itaque passim; prout se dabat occasio, facti sunt à diversis episcopis canones quibus pro scelerum ac flagitiorum varietate varia ac multiplex lapsis pœnitentia constituebatur; quales non pauci extant ab omni tandem Ecclesia recepti, ac velut in unum disciplinæ corpus compacti, ut exempli gratia Dionysij & Petri vetustissimorum Alexandriæ præsulum, Gregorij Neocæsariensis, Athanasij, Basilij, Nysseni, aliorum, & variorum Synodorum, tum uniuersalium, tum particularium. Ex his ferè administratam constat sub finem quarti sæculi, quintoque deinceps & sequentibus omnem lapsorum pœnitentiam. Quo loco primum observandum est, quod verè à Bellarmino alibi proditum est, ex hac pœnitentiæ administratione duos factos esse Christianorum ordines; quorum unus *fidelium* erat, alter *pœnitentium*. De Catechumenis enim nihil nunc dicere necesse est, quorum & suum seorsim fuisse ordinem actum est. *Fideles* ij dicebantur, qui sacra communione fruebantur. *Pœnitentes*, qui ob aliquem à baptismo lapsum sacra mensa exclusi, & à cæteris fidelibus segregati erant. Pleni sunt ista distinctione veterum scriptorum libri. Patres Toletani rem disertè definiunt; *Eum verò* (inquiunt) *pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravißimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub concilio divino fuerit reconciliatus altari.* Sic Augustinus in epistola ad Seleucianam pœnitentes propriè appellari ait *illos qui agunt pœnitentiam, quod post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & posteà reconciliari mereantur.* Vnde illa eiusdem sunt, Bellarmino observata, *Quod dico competentibus, ac fidelibus, audiant pœnitentes. Quod dico fidelibus, dico & competentibus, & pœnitentibus.*

CAP. X.

L. 1. de pœn. c. 21.

Conc. Tolet. Can. 1.

Ep. 108. T. 2. p. 191. B.

L. 50. hom. hom 49.

Cap. x. *tentibus*. Et alia huius generis, tum apud hunc, tum apud alios veteres innumerabilia. Ac ut Catechumenorum, tametsi unus esset ordo, plures tamen erant gradus (alij enim erant simpliciter *catechumeni*, alij *audientes*, alij *orantes*, alij denique *competentes*. ut videre est apud Albaspineū)
Obser. l. 2. obs. 2. sic etiam *pœnitentium* diversi gradus, diversæque classes erant; Alij erant προσκλαίοντες, alij ἀκροῶντες, alij ὑποπίπτοντες, alij denique συνιστάμενοι, quos Latinè dicere licet *flentes*, *audientes*, *substratos*, & *consistentes*. *Flentes extra portam oratorij stabant, fidelesque ingredientes orabant; ut pro se precarentur*: Sic enim hunc gradum definit Gregorius Neocæsariensis.
Can. 11. *Audientes* cum catechumenis cognominibus in Ecclesia Christianæ religionis rudimenta audiebant; dimittebanturque postquam eæ lectiones, & institutiones absolutæ erant. *Prostrati* pœnitentiæ operibus maximè incumbebant, ac in certo Ecclesiæ loco abjecti, ac *prostrati* (unde & nomen nacti sunt) accepta ab Episcopo cum precibus benedictione & manuum impositione discedebant, unde quivis videt, quàm absurdus & immanis sit Bellarmini error, qui istorum loco ὑπόπτωσιν ideò dictum hariolatur, *quod esset quasi contemplatio rerum supernarum*.
L. 4. de pœn. c. 22. §. Habitus. *Consistentes* in Ecclesia cum fidelibus manebant, & orationibus communicabant; (cùm *prostrati* unà cum Catechumenis ante sacram illam synaxin discederent) nondum tamen Eucharistiam sumebant. Peracto demum hoc gradu ad ipsam Sacramenti participationem τὴν μέθεξιν unà cum reliquis fidelibus admittebantur. Hi erant priscæ pœnitentiæ quatuor gradus, πρόσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις, quibus demum succedebat μέθεξις; in veterum libris ac canonibus celeberrimi; de quibus, qui accuratius ac plenius cognoscere volet, tum alios qui eam rem ex professo tractant,
Observ. l. 2. observ. 12. 13. 14. 25. tum in primis Albaspineum adeat, harum antiquitatum diligentissimum indagatorem. Nobis satis est hæc, quæ apud omnes in confesso sunt, breviter delibasse. Neque hic necesse est investigare, quô propriè tempore hæc pœnitentiæ in quatuor illos gradus distinctio in Ecclesia constituta sit. Illud quidem satis superque constat eam quarto, quintoque sæculo frequentatam esse. De tectio parum fidei faciunt canones, qui Gregorio Neocæsariensi sive Thaumaturgo vulgò tribuuntur, quod ii alterius recentioris esse videantur. Ego facile crediderim istam disciplinam secundò & tertio sæculo inchoatam non ante quartum planè, ac plenè in Ecclesia constitutam fuisse; cui sententiæ & Albaspineus*,
* obs. l. 2. obs. 21 p. 131. † 1 part. de la comm. publ. l. 1 c. 8. p. 218. & multò etiam magis Petavius† favere videntur.

Iam ex his apparet, quod etiam à Toletanis Patribus disertè proditum est, publicam fuisse istam veterum pœnitentiam, cum πρόσκλαυσις, & ἀκρόασις, & ὑπόπτωσις, & σύστασις, quæ præcipuæ erant eius functiones in totius Ecclesiæ conspectu peragerentur. Quo & multa alia accedebant in ea solennia, quæ latere non poterant. Nam & ciliciis induti, & cinere conspersi, sive, ut Tertullianus loquitur, *conciliciati*, & *concinerati*, ad cutem tonsi, squalentes, macie & situ obsiti, jejuniis & lacrymis con-

fecti

fecti pro Ecclesiarum foribus conspiciebantur; & conviviis, balneisque, cæterisq; lætis, imo & conjugum usu abstinebant, nullis negotiis, aut curis sæcularibus sese immiscebant, immutato denique totius vitæ statu, atque habitu in mœrore, ac horrore, omne pœnitentiæ tempus agebant; ut ex veterum monumentis patet, & ab ipsis adversariis, Perronio*, Albaspineo†, aliis passim observatum est. Tempus pœnitentiæ pro criminum ratione, variè definiebatur; interdum in annos triginta, viginti, decem, tres; ut ex priscis Canonibus liquet. Sed & quod diù mansit: pœnitentia dabatur tantùm semel. Siquis post reconciliationem denuò in eadem crimina relaberetur, communione in perpetuum excludebatur, quod nisi esset confessum, facilè ex Ambrosio & Augustino & alijs probari posset. Siricius, qui Romæ anno 385. Episcopus sedit, iis qui post pœnitentiam & absolutionem rursus peccant, omninò eripit alterius pœnitentiæ locum & remedium; tamen concedit hanc veniam, ut rebus divinis intersint; & Eucharistiam, sed non nisi in morte, sumant *. Sed eo decreto *Severitas antiqua cœpta minui*, ut ait Albaspineus. Vtcumque sit, certum est neque tum, neque diù postea, pœnitentiam secundò datam. Hæc ergo (ut cætera mittam) pœnitentiæ olim quartò & quintò sæculô ratio, ac forma fuit; ad quam illa ferè omnia pertinent, quæ veteribus de *confessione* dicta Bellarminus huc attulit; quæque adeò nihil cum hodierna istorum auriculari confessione commune habent. Eadem enim confessionis est, quæ pœnitentiæ ratio, cùm ad hanc illa tota referatur.

*vb. supr p. 517. †vb. supr l. 2. obs. 3. p. 96. Vide Albasp. ub. supr obl. 5. Bell. lib. 1. de pœn. c. 21 §. Secundo. *ep 1. ad Himer. cap. 5.

Sed quò res clarior evadat, singula jam Patrum loca percurramus; & ad hæc quæ diximus de solenni istorum temporum pœnitentia, exigamus. Hic primum occurrit Basilij locus à Bellarmino, Gregorio de Valentiâ, Estiô, & Perroniô allatus, in quô quærenti, an flagitiosè facta inverecundè omnibus passim enunciari debeant; an certis quibusdam, Basilius sic respondet, ἡ ἐξαγόρευσις τῶν ἁμαρτημάτων τοῦτον ἔχει τὸν λόγον, ὃν ἔχει ἡ ἐπίδειξις τῶν σωματικῶν παθῶν. ὡς οὖν τὰ πάθη τοῦ σώματος οὐ πᾶσιν ἀποκαλύπτουσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀλλὰ τοῖς ἐμπείροις τῆς τούτων θεραπείας. οὕτω καὶ ἡ ἐξαγόρευσις τῶν ἁμαρτημάτων γίνεσθαι ὀφείλει ἐπὶ τῶν δυναμένων θεραπεύειν, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ὑμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζετε, τουτέστιν αἴρετε διὰ τῆς ἐπιμελείας. *Omninò in peccatorum revelatione, sive enunciatione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temerè hominibus aperiunt, sed iis tantummodò, qui rationem, qua ea curanda sunt, teneant; eodem modo etiam peccatorum revelatio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare; consentaneum in modum illi, quod scriptum est*; Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmiorum portate, *hoc est tollite diligentia & cura vestra.* Respondeo primò, ne ipsum quidem confessionis vocabulum usquam hic in Græcis occurrere; ἐξαγόρευσιν dicit Basilius, non ἐξομολόγησιν. Secundò. Quod ad rem ipsam attinet, apparet nihil minus cogitasse Basilium, quam isto-

*Repl. p. 561. Reg. brev. resp. ad interr. 229. T. 2. p. 701. B.

Cap. x. rum confessionem, quam sacramentalem esse volunt, & ad peccatorum remissionem proximè atque præcipuè pertinere. Ea verò de quâ Basilius loquitur peccatorum ἐξαγόρευσις revelatio, sive detectio, non tam ad reatum, quàm ad habitum peccati tollendum, vitiumque ipsum, è quo profluxerunt delicta, ex animo evellendum fiebat; sic ut exempli causa, ex avaro benignus, ex iracundo mitis, ex intemperante castus, & sobrius fias. Idque patet; tum ex medicorum, quam adhibet Basilius, similitudine, qui non alia de caussa consuluntur, quàm ut nos hærente in nobis morbo liberent; tum ex Pauli loco, quem in fine affert; Non enim istic Paulus de remittendo peccato, sed (ut quidem vult Basilius) de curanda ac tollenda fratrum infirmitate intelligit; neque suum illud præceptum solis sacerdotibus, sed quibusvis è fidelium numero firmioribus, atq; in pietate confirmatioribus destinat, sive ii laïci fuerint, sive clerici. Ergo & Basilius similiter siquis vitio aliquo laborare se sentiat, eũ jubet eos adire, atq; cõsulere, qui donis ad huiusmodi morbos curandos necessariis instructi sunt, sive illi ex sacerdotum ordine (in quô hujusmodi spirituales medicos potissimum vulgò inveniri ac quæri debere fateor) sive etiam ex populi censu fuerint. Vnde sequitur istam, quam commemorat, τὴν τῶν ἁμαρτημάτων ἐξαγόρευσιν planè eam esse *confessionem*, quam Estius suprà à sua *sacramentali* disertè distinguebat, quæ scilicet *fit viro docto ac sapienti, qui peccatorem instruere, & peccati salutare remedium possit monstrare*; de quâ etiam, ut posteà fusiùs dicemus, intelligendus est Hieronymi in Ecclesiasten locus. Tertiò. Dato, non concesso, Basilium hic de ea confessione loqui, quæ ad obtinendam peccati remissionem præcipuè fit; nihil inde efficient adversarij. Non enim definit omnibus Christianis id necessariò incumbere, ut peccata sua alicui enuntient; Tantũ pronunciat, qui ea confiteri ac enuntiare cupiunt, iis tantùm ea enũtiare debere, qui rationẽ, quâ curanda sunt, tenent. Neq; ex eo quod morbos corporis qui alicui retegunt, medico retegunt, nõ alij; sequitur omnes homines quicquid patiuntur in corpore morbi, medico aperire ac nudare necessariò debere; etiam eos qui per se convalescere possunt. Eodemque pertinet alter ab istis allatus Basilij locus; (si tamen is verè Basilij est; quæ enim hinc ad finem libri sequuntur, ea testantur editores in vetustissimo exemplari defuisse) in quo similiter rogatus, an qui peccata sua confiteri ἐξομολογήσασθαι vult, *ea quibusvis confiteri debeat*, respondet, ἀναγκαῖον τοῖς πεπιστευμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα, *necessarium esse peccata confiteri iis, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Qui confiteri, vel (ut verius existimo) exomologesin facere volunt, eos pronuntiat necessarium esse apud præsides confiteri; de quo interrogabatur. Omnes verò, quotquot sunt, Christianos, debere necessariò confiteri, non dicit; neque sanè de eo fuerat interrogatus; ut nihil iis sit futilius, quæ hic Bellarminus argutatur.

In 4 sent. d. 17. q. 4.

T. 2. p. 728. B.

Reg. brev. inter. 288.

Mitto

Mitto alium locum in quô Gregorius † ait Basilium statuere oportere *occulta peccata præsidibus confiteri*, vafrè, ac inverecundè. Longè aliud ait Basilius. Præcipit enim monachis, sive ascetis (ad quos, non autem ad omnes Christianos hæ regulæ pertinent) *occulta omnia cordis*, nimirum bona & mala, *nudare fratribus, quibus infirmorum cura credita est. Hoc enim modo* (inquit) *fiet. ut & quod laude dignum sit, in nobis confirmetur, & quod minus probandū congruo remedio sanetur.* Si illa monachis istis à Basilio præscripta communicatio, omnium Christianorum est; sequitur non tātùm peccata (quod isti volunt) sed omnes omninò bonas malasve animi cogitationes singulos fideles sacerdotibus necessariò revelare, ac aperire debere; *μηδὲν ψυχῆς κίνημα ἀπόκρυφον φυλάττειν παρ' ἑαυτῷ.* (hæc enim ibidem habet Basilius) *nullum animi sui motum apud se servare*; quæ sanè nova erit & hàctenus inaudita confessionis sacramentalis species. Nimirum ista quæ ibi traduntur à Basilio, pleraque pertinent ad ea instituta; quæ sunt monachorum, & ascetarum, qui in cœnobiis vitam sub eius regulis degunt, propria, ac singularia, non autem omnium Christianorum communia. Quale illud est verbi gratia, quod alibi idem auctor præcipit, *Admissum delictum nullo modo occultum teneto, sed in medium AVDIENTIBVS CVNCTIS enunciato, ut per communem orationem sanetur morbus* illius, qui *in huiusmodi malum incidit*, *μὴ ἐπικρυπτέσθω τὸ πλημμέλημα, ἀλλὰ τῷ κοινῷ ἐξαγγελλέτω, ὡς ἂν διὰ κοινῆς προσευχῆς θεραπευθῇ τὸ πάθος, τοῦ συνισχεθέντος τῷ τοιούτῳ κακῷ.* Singula enim pœnitentium peccata *omnibus audientibus in medium enuntiari*, nunquam in publicis omnium fidelium ritibus fuit, ut ex Leone P. R. I. postea audiemus. Id vero monachorum singulare fuit; neque id aliis quam monachis Basilius præcipit; ut & res ipsa loquitur, & Baronius diserte ad hæc ipsa Basilij verba observavit. Vnde apparet etiamsi iste suis monachis, ipsam illam quæ hodie apud adversarios in usu est, auricularem confessionem disertè, totidemque verbis (quod ut liquet, minimè fecit) præcepisset; non tamen inde consequens futurum, ut eam apud omnes Christianos, qui monachi non erant, in usu publicô tum fuisse existimemus. Nam quis nescit quàm multa apud monachos sint, ac fuerint peculiaria, privatique instituti, quibuscum nihil erat apud Christianorum cæterorum vulgus simile. Ergo infirmissimum, atque ineptissimum est totum hoc istorum ex superioribus Basilij locis ductum argumentum, duobusque maximis laborat vitiis; alterô, quod ut ostendimus, nihil istius auricularis quam ponunt confessionis, apud Basilium extat; alterô, quod etiamsi ea illic, ut isti volunt, extaret, nō tamen inde concludi posset, quod tuentur; scilicet istam confessionem in omnium fidelium usu tum fuisse. Sed hæc quidem de Basilio satis.

Cap. x.
† p 1179.
regul. fus. disput. interr. 26. T 2 571. C.
Basil. de instit. Mon. 2 exerc. T. 2. p. 514. E.
Baron. A. D. 58 § 15.

Caput XI.

Testis adversariorum XII. Ambrosius. Ostenditur eum vel de confessione apud Deum, vel de publicâ, non autem arcanâ pœnitentiâ loqui.

L. 1 de pœnit. c. 6. NUNC expendamus quæ afferunt ex Ambrosio, qui eius æqualis fuit. Primum ergo hunc ex eo locum recitat Bellarminus; *Si vis justificari fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio.* Sed cum hæc verba, quæ Dei sunt, videret adversarius de ea confessione accipienda esse, quæ fit apud Deum; quæque eorum superbiæ opponitur, qui ut ipse ibidem ait Ambrosius, *gloriantur quasi innocentes, seque justificando plus ingravantur*; alium ex eodem opere locum affert;
Ibid. c. 9. *Plerique* (inquit) *futuri supplicij metu, peccatorum suorum conscij pœnitentiam petunt; & cum acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore;*
Ibid. c. 10. quibus ista verba addit ex initio capitis sequentis; *An quisquam ferat, ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? & pudeat te Deo supplicare, quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini, quem lates, confiteri?* Hæc ille; quæ nihil ad hodiernam istorum sive pœnitentiam, sive confessionem. Clamat enim ipse, ut quivis videt, Ambrosius sibi de *publica supplicatione* sermonem esse; & idem docent, quæ istis continenter subiicit; *An testes precationis & conscios refugis, cum si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres ut dignentur intervenire, ad genua te ipse prosternas, osculeris vestigia, filios offeras culpæ adhuc ignaros, paternæ etiam veniæ precatores? Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras, ubi nihil est, quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cum omnes simus peccatores? ubi ille laudabilior, qui humilior? ille justior, qui sibi abjectior? Fleat pro te mater Ecclesia, & culpam tuam lacrymis lavet.* Planè exomologesin, sive ἐξαγόρευσιν describit; confessionem, fateor, verum publicam, non arcanam; apud Deum & apud Ecclesiam, non apud unum sacrificulum, in conspectu sanctæ plebis, non in aure unius hominis; quâ pœnitens & peccata & dolorem, contritionemque animi, non verbis inanibus, sed veris lacrymis, humilique prece, & totius corporis abjectione confitetur. Neque si admitti debet aliô spectat, quod de sancto viro à Paulino proditum hoc quoque retulit Bellarminus; *Quotiescunque illi* (inquit) *aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum jacente jacere. Caussas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.* Primò vehementer nobis suspectus est ille Paulinus,
Cens. T. 1. Ambr. quem Erasmus non abs re judicat *eumdē illum esse artificem, qui tam multa contami-*

contaminavit in scriptis Hieronymianis, & Augustinianis, natū ad hunc lu lum. CAP. XI.
Sed si Paulinus est, qui quinti sæculi initio scripsit non aliam *pœnitentiam* significare potest, quam quæ suo tempore in usu erat; id est publica; quam cùm ab Episcopis lapsi peterent, mirum non est vel lapsos Ambrosium *ad eam percipiendam* adiisse; eique hac de caussa, quid deliquissent, revelasse; vel virum gravem, quæ ab iis intellexisset, non vulgasse. Satis ei erat lapsos Ecclesiæ pro more sui sæculi satisfacere, & solenni apud eam exomologesi Dei misericordiam provocare, ac impetrare. Nam quod quidam sentiunt, pœnitentis crimina palam in illa veterum exomologesi apud Ecclesiam fuisse recitata, ac omnibus sigillatim significata, id neque Petavio, neq; nobis sanè persuadent. Sed & ex Ambrosiô hæc recitat Perronius; *Quæ vox alia vestra est* (inquit, Nouatianos compellans) *cum etiam minoris* (quam Christi proditio à Iuda admissa scilicet) *peccati reus vobis proprium factum confitetur? Quid respondetis aliud, nisi hoc*, Quid ad nos? Tu videris; quod scilicet Iudæi Iudæ culpam suam agnoscenti respondisse in Euangelio leguntur. Sed quid hæc ad præsentem controversiam? in quâ, non quæritur, an peccatori culpam confitenti & pœnitenti venia danda sit, & communio Ecclesiæ restituenda (quod affirmanti contra Novatianos Ambrosio utrique, id est & nos & adversarij assentimur) sed an nullius peccati remissio à Deo impetrari possit, nisi quod pœnitens sacerdoti explicitè confessus fuerit, quod aiunt adversarij, nos negamus, Ambrosius verò eo loco neque ait, neque negat, vt liquet. Tum addit Perronius * hæc ex eodem opere; *Si quis igitur occulta crimina habens propter Christum tamen studiosè pœnitentiam egerit, quomodo istic recipit, si ei communio non refunditur?* Et hæc inquam, in Novatianos dicta sunt, significantque pœnitentem reconciliari debere (quod nos nō negamus) nemini, nisi peccata apud sacerdotem occultè confesso, ullum peccatum remitti, quod nos negamus, non significant. Mitto quæ idem affert ex exhortatione ad Pœnitentiam; quod libellus sit incerti parentis; quippe qui & Augustino tribuitur; & inter quinquaginta eius homilias loco quadragesimo primo occurrit.

In Epiph.
Repl. p. 561.
Ambr. l. 1. de pœn. c. 5.
Matth. 27.
* Repl. p. 562.
L. 1. de pœn. c. 16.

CAPVT XII.

Testis XIII. Gregorius Nyssenus, cujus duo objecta loca solvuntur, & ad pœnitentiam publicam pertinere demonstrantur. Grauis Bellarmini in priore vel fraus, vel oscitantia.

SEQVITVR ex canonica Nysseni ad Latirium epistolâ descriptus locus; *Rectè* (inquit) *habuerit si hodierno die* (diem autem Paschæ intelligit) *non solum eos, qui ex regeneratione per lavacri gratiam transmutati, ad Deum adducamus, sed eos etiam, qui per pœnitentiam & confessionem à mortuis operibus ad viventem viam ascendunt, ad viventem spem tanquam manu deducamus, à qua per peccatum alienati sunt.* *Meminit* (inquit Bellarminus) *confessionis peccatorum, quæ singulis annis circa Paschæ festum fieri solet.* Sed vel iste lectori, vel ipsi interpres imposuit. Gregorius quidem certè confessionis nullius meminit; cuius hæc sunt verba; καλῶς ἂν ἔχοι κατὰ τὴν ἡμέραν ταύτην, οὐ μόνον τοὺς ἐκ παλιγγενεσίας μεταστοιχειουμένους διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ χάριτος τῷ Θεῷ προσάγειν, ἀλλὰ καὶ τοὺς διὰ τῆς μετανοίας τε καὶ ἐπιστροφῆς ἀπὸ τῶν νεκρῶν ἔργων εἰς τὴν ζῶσαν ὁδὸν πάλιν ἐπανιόντας καὶ τούτους χειραγωγεῖν πρὸς τὴν σώζουσαν ἐλπίδα, ἧς διὰ τῆς ἁμαρτίας ἀπεξενώθησαν. Habet μετανοίαν τε καὶ ἐπιστροφὴν, *pœnitentiam & conversionem*, non quod bonus somniavit Bellarminus, *pœnitentiam & confessionem*, quod esset, μετανοίαν τε καὶ ἐξομολόγησιν. Neque hæc aliter in Balsamonis codice leguntur. Vides, quanta sit istorum in hac agenda caussa vel oscitantia, vel certe animi studio excæcati perturbatio. Cum ergo ne confessionis quidem nomen hic apud Gregorium extet, ludit operam Bellarminus, dum quærit qualem ille confessionem intelligat, & multis probare studet eum de confessione non generali, sed singulorum peccatorum loqui, qui ne de ulla quidem confessione quicquam dicit. Ducit autem inde argumentum, quod in sequentibus Gregorius sumpta à morbis & medicamentis similitudine docet varias curationes adhibendas esse peccatoribus pro peccatorum varietate; *Sacerdotes autem* (inquit) *non possunt varietatem peccatorum cognoscere, nisi pœnitentes ipsis peccata sua sigillatim aperiant.* Neque nos sanè Bellarmine, lapsos negamus sua olim crimina episcopis patefecisse, dum pœnitentiam petebant. Negamus alios ad id officij compulsos, quam eos, quibus publicè agenda erat pœnitentia. Ergò, vel proba omnes olim peccati cuiusvis post baptismum reos publicæ pœnitentiæ subiectos fuisse, vel certe, quod verum est, fatere illam, quæ olim in usu erat, peccatorum confessionem, non ab omnibus peccati reis exactam fuisse, nedum ut ea ab omnibus fidelibus exigeretur. Vnde sequitur

T. 2. p. 114.

tur eam à vestra; quam omnibus utriusque sexus fidelibus imponitis, planè aliam fuisse. Cap. xiii.

Sed & alium Bellarminus ac Perronius ex Nysseno locum afferunt; in quô pœnitentem de sacerdote alloquens, πρὸ σωματικῶν (inquit) πατέρων θάῤῥησον τῷ κατὰ θεὸν σε γεννήσαντι. δεῖξον αὐτῷ ἀπροφασίστως τὰ κεκρυμμένα. γύμνωσον τὰ τῆς ψυχῆς ἀπόῤῥητα, ὡς ἰατρῷ πάθος δεικνύων κεκρυμμένον. αὐτὸς ἐπιμελήσεται καὶ τῆς ἀσχημοσύνης, καὶ τῆς θεραπείας. *Major tibi in eo fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in illis, à quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi, quæ sunt recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege. Ipse & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit.* Hactenus Nyssenus. Ego verò nego eum caussam adversariorum juvare. Non enim quemvis fidelem alloquitur, sed eum cui pœnitentia sive exomologesis publica ex illius ævi canonibus opus erat; ut patet primo in genere ex eô, quod cum hæc & cætera quæ in hac homilia leguntur, ad eam pœnitentiam pertineant, quæ tum in usu erat; nullam autem appareat aliam, quæ quidem legitimè & ex sacerdotis judicio fieret, in usu tum fuisse, præter publicam; omninò consequens est, ut & hæc & alia eiusdem homiliæ omnia ad eam referantur. Sed & ipse auctor se de ea loqui apertissimè docet. Primò enim de hoc argumento disserere incipiens ita orditur; *Nunc mihi* (inquit) *vos quibus in viam redeundum est*, τοὺς ἐπιστροφῆς δεομένους, *ad resipiscendum, attendite. Errantes extra viam*, hoc est extra Ecclesiæ communionem positos alloquitur, qui non aliâ tum pœnitentia, quam publicâ reducebantur, & communioni restituebantur. Tum peccatricis ex Lucæ septimô exemplum, veluti verum ac genuinum ejus pœnitentiæ, quæ ipsis agenda erat, typum, ob oculos iis proponit. Atqui publica fuit eius mulieris pœnitentia, idque ipse disertè notat, *Ea* (inquit) *publicè*, δημοσίᾳ, καὶ εἰς τὸ ἐμφανὲς, *aperteque peccata luxit.* Mox eos reprehendens, qui hac, quam commendat pœnitentiâ, non ut decebat fungebantur, *publicam* apertissimè describit. Ait enim eos *a mysteriis, arcanorumque communione sacramentorum culpâ suâ decidisse, ac separari.* Significat nullam *in eorum vultu hilaritatem, nullum in corporis cultu victuque splendorem* esse decuisse; adhæc vigilare, negotiis, & occupationibus sæculi renuntiare eos debuisse, quæ omnia publicæ pœnitentiæ, ut ex iis quæ suprà diximus patet, certa & indubitata signa, atque adjuncta sunt. Denique idem docent quæ paulò ante allata à Bellarmino verba idem ait, συνάγαγε σεαυτὸν (inquit) ὅσον δυνάμει. ζήτησον καὶ τῶν ἀδελφῶν ὁμοψύχων πλῆθος βοηθοῦν σοι πρὸς τὴν ἐλευθερίαν. *Suscipe ex eo dolorem, quantum maximum potes. Affligе te fratresque benevolos atque unanimes adhibe, qui simul doleant, adjumentoque sint, ut liberreris.* Planè, ut paulò ante Ambrosius, fraternitatem huius pœnitentiæ participem esse vult. Non est ergo dubitandum, quin hæc vulnerum nudatio ac retectio, quam apud sacerdotem vult fieri, ad eandem quoque pœnitentiam, id est publicam, illius ævi solennem, referenda sit;

Or. in eos qui alios acerbe judicant T. 2. p. 171. B. & p. 176.

Ibid. p. 156. C. & 173 B.

Ibid. p. 174. A.

Ibid. B.

Ibid. A.

Ibid p. 175. D.

Cap. XIII. sit; quin adeo ab adversariorum confessione, quæ ad privatam & arcanam pœnitentiam pertinet, omninò aliena sit.

Caput XIII.

Testis adversariorum XIV. Pacianus, ex quo objecta diluuntur, & ad publicam quoque pœnitentiam pertinere clarissimè demonstrantur.

Sed & Pacianus, quem deinceps testem adducit adversarius, non sibi de alia, quam de publicâ pœnitentiâ sermonem esse clamat. Nam, ut cætera per totam parænesim fusa, ac sparsa mittam; quid hæc quæso, sibi volunt, quæ suorum pœnitentium ignaviam objurgans stomachans fundit? *Nè hac quidem* (inquit) *quæ videri etiam à sacerdote possunt, & Episcopo teste laudari, nè hæc quidem quotidiana servamus, flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, provolvi; siquis ad balneum vocet, recusare delicias; siquis ad convivium roget, dicere, Ista fœlicibus. Ego deliqui in Dominum; & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare quam pereas.* Non potuit clarius *pœnitentiam publicam* describere, in quâ hæc omnia suprà recognovimus. Ergo & ad eandem quoque pertinet ea, quam flagitat, confessio. *Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam* (scilicet publicam) *recusatis*; *vos* (*inquam*) *post impudentiam timidos, post peccata verecundos; qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri; qui cum malâ conscientiâ Dei sancta contingitis, & altare Domini non timetis*; hoc est, qui cum à sacra communione ob admissa crimina summovendi essetis, irrumpitis tamen in adyta, & impudenti contumacia inter fideles versamini, quos pro foribus cum pœnitentibus flere, aut in vestibulo cum iisdem prostratos exomologesin facere decuerat. Tum exagitato ipsorum scelere; *Ecce* (inquit) *iterum Apostolus ad sacerdotem*; Manus citò nulli impònas, nec communices peccatis alienis. *Quid facis tu, qui decipis sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem, probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur; ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos.* Nimirum eos reprehendit, qui quæ *publicâ pœnitentiâ* digna gesserant, ea Ecclesiæ præsides celabant, & iis vel ignota, vel partim tantùm cognita clàm habebant. Unde liquet (ut hoc obiter dicam) non omnes tum fideles peccata

Paræn. T. 3. Bibl. Patr. p. 71. E.

Ibid. p. 71. D.

Ibid. p. 71. C. D.

peccata sua sacerdotibus in aurem omnia confiteri solitos. Istorum e- nim crimina, si tum is usus obtinuisset, non ignoraturus erat sacerdos. Ergo hæc confessio, quam ab istis Pacianus requirit, eorum tantum erat, qui cùm crimina publicâ exomologesi digna admisissent, debebant ex il- lius Ecclesiæ moribus inter *pœnitentes*, id est ut suprà demonstravimus, *publicè pœnitentes* nomen profiteri suum. Non erat adeò hæc confessio omnium fidelium; (nisi, quod absurdissimum est, omnes Barcinonen- sis Ecclesiæ *fideles* in ordine pœnitentium fuisse dixeris.) Itaque non e- rat hæc hodierna Romanorum confessio; quæ omnium omninò fide- lium esse fingitur. Neque aliud suadent, quæ à Bellarmino quoque lau- data, idem scriptor paulò post in eadem Parænesi subiicit; *Nunc ad eos sermo fit. qui benè ac sapienter vulnera sua, pœnitentia nomine confitentes, nec quid fit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina noverunt, similesque sunt illis, qui plagas quidem aperiunt ac tumores, medicisque etiam assidentibus confi- tentur, sed admoniti, quæ imponenda sunt negligunt, & quæ bibenda fasti- diunt.* *Ex hoc loco* (inquit Bellarminus) *habemus confessionem accuratam semper in usu fuisse apud Christianos.* Tu verò inquam, malè colligis, si confessionem tuam, quæ omnium est fidelium, intelligis. Clarum enim est Pacianum de eorum duntaxat loqui confessione, qui *publicam pœni- tentiam* suscipere se velle profitentur, id enim est quod ait *pœnitentia no- mine confiteri*; hoc est ad *pœnitentiam*, publicè scilicet, peragendam. Hos ille meritò damnat, *qui pœnitentiam, cuius nomine confessi erant*, nequa- quaquam implebant. Atque hæc de quarti sæculi scriptoribus dicta sunto. Cap. XIII. Ibid. p. 72. E.

Caput XIV.

Testis excutitur XV. ab adversariis inductus Chrysostomus, cuius loca complura explicantur, & vindicantur. Gregorij & Estij vanitas notatur.

Eadem est eorum ratio, quos ex quinto sæculo afferunt; & quo- rum familiam ducit Chrysostomus. Bellarminus pauca quædam ex eô habet; ac primò hunc ex opere in Genesin, locum; ἡμᾶς προσήκει ἐπεὶ εἰς τὴν μεγάλην ταύτην ἑβδομάδα (Paschalem intelligit) ἐφθάσαμεν τῇ τοῦ θεοῦ χάριτι, νῦν μάλιστα καὶ τῆς νηστείας τὸν δρόμον ἐπιτεῖναι, καὶ τὰς εὐχὰς ἐκτενεστέρας ποιεῖσθαι, καὶ πολλὴν καὶ ἀκριβῆ τὴν ἐξομολόγησιν τῶν ἡμαρτημένων ἐπιδείξασθαι καὶ τὴν περὶ τὰς ἀγαθὰς πράξεις ἐργασίαν, ἐλεημοσύνην δαψιλῆ, ἐπιείκειαν, πραότητα, τὴν ἄλλην ἅπασαν ἀρετήν; *Quia in magnam hanc hebdo- madam pervenimus Dei gratiâ, nunc maximè & ieiunij cursus intendendus, &* L. 3. de pœn. c. 5. Quarto. Hom. 30. in Gen. init.

Cap. XIV. *magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum confessio, & in bonis operibus sedulitas, eleemosyna larga, æquitas, mansuetudo, aliæq; virtutes. Meminit* (inquit Bellarminus) *confessionis, quæ in hebdomadâ sanctâ ante festum Paschæ fieri debet, cujus etiã Gregoriũ Nyssenum meminisse suprà notavimus.* Tu verò quam graviter in Nysseno hallucinatus fueris, abundè demonstravimus. In Chrysostomo, non multò es fœlicior. Nam quam ille dicit τῶν ἡμαρτημένων ἐξομολόγησιν, interpres *peccatorum confessionem,* eam scito non tuam auricularem, sæculo isti ignotam, confessionem esse, sed *exomologesin*, hoc est peccatorum detestationem, dolorisque ac pœnitentiæ nostræ significationem, quæ illi antepaschali tempori maximè congruit. Hanc enim huius vocis ἐξομολογήσεως vim apud veteres scriptores esse fusè suprà demonstravimus. Neque ea hoc loco, quod tu perperam putasti, de ea pœnitentium confessione intelligi potest, quâ ij *pœnitentiæ nomine*, sive ad pœnitentiam suscipiendam, delicta sua aperiebant. Nam cùm feriâ Paschatis hebdomadis quinta pœnitentes reconciliarentur, quod tu ipse alibi verè ex Innocentio & aliis observasti; pœnitentia verò feria quarta ante primam quadragesimę dominicam, ut tu ibidem affirmas, imponeretur; profectò te necesse est fateri quo tempore dicta est hęc homilia (nimirũ hebdomade Paschali) pœnitentes peccata sua jamdudum confessos fuisse; nisi forte ex nova nescio quâ disciplina statuas eos non ante sacerdotibus peccata sua confessos esse, quàm pœnitentiam peregissent. Itaque *exomologesis* hoc locô planè id significat quod diximus; referrique potest vel ad ipsorum pœnitentium propriè sic dictam *exomologesin*; vel, quod multò mihi verius, totique loco accommodatius videtur, ad communem omnium fidelium de læso Deo, admissisque peccatis dolorem, pœnitentiæque significationem; quô sensu Cyprianũ suprà dixisse meminimus *Azariam cum sociis Deo exomologesin fecisse.* Piget referre, quæ secundò ex Chrysostomi opere in Iohannem affert Bellarminus, adeò illa sunt à præsenti caussâ aliena; *In peccatis* (inquit) *quæ commisimus confitendis neminem vereamur. Deum duntaxat, ut decet, formidemus, qui & nunc opera nostra videt, & hinc quos in præsentia non pœnitet damnabit.* Primum vocabulum *confitendis* quod miserum Bellarminum decepit, interpretis est, qui id de suo Chrysostomo commodavit. Græca enim simpliciter sic habent, ἐπὶ τοῖς οἰκείοις ἁμαρτήμασι μὴ αἰσχυνώμεθα ἀνθρώπους, ἀλλὰ φοβώμεθα ὡς χρὴ θεὸν τὸν καὶ νῦν ὁρῶντα τὰ γινόμενα καὶ τότε κολάζοντα τοὺς μὴ μετανοήσαντας νῦν. *In propriis peccatis ne vereamur homines, sed Deum, ut decet, timeamus.* Illa verò quæ sequuntur uncinis in Græco Codice inclusa, *qui & nunc opera nostra videt,* &c. non Chrysostomi ipsius verba, sed alterius alicuius glossema esse videntur, è margine in textum temerè (ut fit) traductum. *In peccatis* autem *Deum timere, homines non vereri*, nihil aliud est, quàm unum Dei de iis judicium spectare; quid homines de iis censeant vel loquantur, parum curare, quid de iis statuat Deus, unum attendere; ut ex iis, quæ

L. 1. de pœnit. c. 11. §. Iam verò.

Hom. 1. in Ioan (Gr. 14) p. 214 C.

statim subiicit Chrysostomus, apparet, ὁ γὰρ αἰσχυνόμενος ἀνθρώπων ὑφορώμενος νῦν μόνον, θεοῦ ὁρῶντος μὴ αἰσχυνόμενος πράξει τι ἄτοπον, μὴ θέλων μετανοῆσαι καὶ μεταβάλλεσθαι, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, οὐκ ἐνώπιον ἑνὸς ἢ δευτέρου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ὁρώσης, παραδειγματίζεται. *Qui enim nunc solum hominum pudorem reformidat, qui Deo vidente non veretur aliquid mali & indecori agere, qui pœnitere & mutari non vult, is in illa die, non coram uno aut altero, sed vidente ac spectante universo orbe traducetur.* Quæ quam nihil ad confessionem auricularem faciant, vel cæci vident. Etiam ab interprete nonnihil corrupta, ac interpolata sunt, quæ mox addit adversarius; *Commisisti aliquod scelus, aut animo agitasti? Homines celas, non Deum, & nihil curas, oculos hominum formidas.* Græca paulò aliter habent; ἔπραξάς τι πονηρὸν, ἢ ἐνενόησας, καὶ κρύπτεις ἀνθρώπους; ἀλλὰ θεὸν οὐ κρύπτεις. ἀλλ' οὐδὲν τούτων σοι μέλει. οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ τῶν ἀνθρώπων τοῦτό σοι φόβος. *Malum aliquod fecisti, aut cogitasti. & homines celas. Atqui Deum non lates. Verum nulla tibi huius rei cura est. Vnus tibi metus, hominum oculi*; quæ ultima verba & ipsa quoque vncinis in Græco includuntur; Et sane vacant, planeque πλεονάζουσι. Significat Chrysostomus frustrà homines celari, quæ Deus videt; stultissimos adeò esse, qui hunc spernunt, illos solos verentur; quam amentiam in sequentibus quoque exagitat. Quid hæc ad confessionem auricularem? Denique & hæc etiam postremò ex eadem homilia describit Bellarminus; παρακαλῶ τοίνυν, κἂν μηδεὶς ἴδῃ τὰ ἡμέτερα, ἕκαστον ἡμῶν εἰς τὸ ἑαυτοῦ συνειδὸς εἰσελθεῖν, καὶ καθίσαι ἑαυτῷ δικαστὴν τὸν λογισμὸν, καὶ εἰς μέσον ἄγειν τὰ πεπλημμελημένα. καὶ εἰ μὴ βούλοιτο ἐκπομπευθῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ φοβερᾷ, ἐπιτιθέτω τὰ φάρμακα τῆς μετανοίας, καὶ ἰάσθω τὰ τραύματα. *Vos autem hortor dilectissimi, ut etsi nemo res nostras videat, suam unusquisque conscientiam ingrediatur, sibi judicem atque arbitram rationem constituat, errata sua in medium adducat, sique nolit ea in horrenda illa die publicari, ac diffamari, pœnitentiæ pharmaca iis imponat, vulneribusque medeatur.* Atqui hæc confessionem auricularem potius evertunt, quam firmant. Nam hic quoque, ut ferè semper aliàs, unicuique fideli de suis peccatis judicium permittit. Illa verò *pœnitentiæ pharmaca*, quæ ab unoquoque *suis vulneribus imponi* vult, ne *confessionem auricularem* esse putaveris. Ipse mox quæ, qualiaque hæc sint, demonstrat; fuseque explicat, nimirum bona pro malis, opera; eleemosyna pro rapina; pro scortatione castitas; prò maledicentia charitas. *Pœnitentiam* verò de qua dixerat, definit τὸ μηκέτι τὰ αὐτὰ ποιεῖν, *non amplius eadem facere.* Sed me adversarij in rebus usque adeò ab hac caussa alienis chartam, & otium perdentis piget, ac miseret. Is verò mox ex alio Chrysostomi opere locum hunc citat; Διὰ τοῦτο πολλῆς χρεία τῆς μηχανῆς, ἵνα πεισθῶσιν ἑκόντες ἑαυτοὺς ὑπέχειν ταῖς παρὰ τῶν ἱερέων θεραπείαις οἱ κάμνοντες, καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ χάριν εἰδῶσι τῆς θεραπείας αὐτοῖς. *Quamobrem multa quidem arte opus est, ut iis qui laborant, Christianis persuadeatur, ut ultrò se ac volentes sacerdotum curationibus submittant; neque id solum, sed etiam, ut curationis ac medicinæ nomine gratiam illis habeant.* Quibus & hæc, quæ paulò

Cap. XIV. Ibid. D.

Ibid. p. 215 A. B.

Ibid. E.

L. 2. de sacerd. c. 3. T. 4. p. 17. B.

Cap. xiv. post apud Chrysostomorum sequuntur, continenter subiicit, καὶ πολλοὺς ἂν ἔχοιμι λέγειν τοὺς εἰς ἔσχατα ἐξοκείλαντας κακὰ, διὰ τὸ δίκην ἀπαιτηθῆναι τῶν ἁμαρτημάτων ἀξίαν. οὐ γὰρ ἁπλῶς πρὸς τὸ τῶν πλημμελημάτων μέτρον δεῖ καὶ τὴν ἐπιτιμίαν ἐπάγειν, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἁμαρτανόντων στοχάζεσθαι τῆς προαιρέσεως. μή ποτε ῥάψαι τὸ διεῤῥωγὸς βουλόμενος, χεῖρον τὸ σχίσμα ποιήσῃς. *Equidem complures recensere possem, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud, nisi quod digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset exigeretur. Neque enim temerè ad delictorum modum oportet & multam ipsam adhibere; sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, neque fiat, ut dum consuere vis, quod interruptum est, scissuram deteriorem facias.* Hinc ait Bellarminus apertissimè colligi confessionem peccatorum apud sacerdotem esse faciendam; quod scilicet in injungenda pœnitentia sacerdoti habenda sit ratio, non solum gravitatis & multitudinis peccatorum, sed etiam infirmitatis & debilitatis eius, qui peccavit. quæ nisi ex confessione diligenti & accurata delinquentis cognosci posse non videntur. Quid si delictum manifestum fuerit, Bellarmine? An nisi ex confessione arcana, id quoque genus cognosci non poterit? Nullius-ne ergo peccatum, nisi à solo confessario sciri potest? Si isti credimus, omnia hominum peccata, nisi ubi confessarij sunt, latent; neque sub veteri olim Testamento quemquam peccasse cognosci potuit; quod tum scilicet nondum accensa esset confessionalis tribunalis lux. Atqui de hoc ipso peccatorum genere, quæ se scilicet produnt, & foras erumpunt, hîc agit Chrysostomus. Nam principiò monet, eô difficillimum esse sacerdotis munus, quod τὰς τῶν ἀνθρώπων ἀῤῥωστίας οὐκ ἔστιν ἀνθρώπῳ ῥᾴδιον ἰδεῖν, *homini hominum morbos haud facile est videre*; ignotis verò morbis medicinam adhibere nemo potest. Vndè, ut obiter hoc dicam, liquidò conficitur iis temporibus nondum fuisse in usu confessionis auricularis tormentum; quod scilicet si obtinuisset, haud quaquam affirmaturus erat Chrysostomus ovium morbos Pastoribus ignotos fuisse. Tum pergit; ἐπειδὰν δὲ (inquit) καταφανὴς γένηται (nimirum ἡ ἀῤῥωστία) τότε πλείστην αὐτοῖς παρέχει τὴν δυσκολίαν. *Cum verò manifestus fuerit* (morbus) *tum ipsi* (sacerdoti) *majus facessit negotium*, quod nimirum medicinæ ac curationis suscipiendæ facultas in eô posita sit, non qui curat, sed qui laborat, quique cogi neque potest, neque debet. Ex quibus id concludit, quod est ab adversario allatum, multa arte opus esse, ut laborantibus, hoc est, lapsis persuadeatur, ut se ultrò sacerdotis medicinæ submittant; neque ea, quæ adhibentur, remedia excutiant; eaque ideo ipsorum etiam viribus accommodanda atque attemperanda esse, non soli morbi ingenio. Ergo Chrysostomus de iis peccatis loquitur, quæ manifesta sunt; ad quæ adeò cognoscenda, non delinquentis confessione, sed pastoris ipsius diligentia ac vigilantia opus est. Cæterum non nego ubi semel Pastor lapsi fidelis morbum vel ex fama & aliorum relatione, vel ex ipsius ore in genere didicit, & licere & expedire

Ibid. c. c 4.

Ibid. c. 1. init.

Ibid p. 16 2.

pedire hominem interrogare, atque explorare diligentiùs, ut in eô curando prudenter atque utiliter versari possit; & si res ferat, etiam fortissima remedia, putà *pœnitentiam publicam*, adhibere; quæ istis temporibus, ut notum est, in magno passim usu erat. Itaque Chrysostomus hoc loco neque *confessionem* istorum arcanam memorat, neque quicquam dicit, ex quô ea legitimè concludi possit. Quod verò Bellarminus nos librum de sacerdotiô tertium etiam videre jubet, neque locum libri indicat, quem consuli vult, neque quid inde colligat, monet, eô, ut mollissimè dicam, frustrà est. Ego tamen suspicor eum in animo habuisse locum illius voluminis, in quô Chrysostomus de sacerdotis dignitate ac munere magnificè sane, ac ut solet, eloquentissimè disputat; ligandique ac solvendi datam à Christo Apostolis dignitatem extollit, Sed cum nihil toto illo capite de *confessione* habeat, & nos eam ex ligandi solvendique potestate minimè colligi posse alibi demonstraverimus, non est quod hic diutiùs moremur. Atque hæc quidem ex Chrysostomo Bellarminus. Gregorius de Valentia alia quædam attulit; ac inprimis locum ex homiliis in Genesin, in quô ait *facile eum peccata sua emendaturum, qui conscientiæ adjumento uti, & ad confessionem peccatorum venire voluerit, & medico ulcus ostendere, qui curet, neque exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia*; Sed quem medium intelligat, ipse statim aperit, nimirum, τὸν πάντα μετ᾽ ἀκριβείας εἰδότα τὰ πλημμελήματα, τὸν πάντα εἰδότα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, *eum qui omnia nostra accuratè novit delicta, quique omnia scit, antequam fiant*: Is verò, ut quivis videt, non alius est quam Dominus Deus; Et fatetur Gregorius; Sed ait tamen *confeßionem* hanc *fieri homini*; Deo fieri ideò dici, quod homini fit, *non ut homini, sed ut vicem Dei tenenti, idque secretò, nullo alio conscio*. Hoc verò est non disputare, sed dictare; suaque nobis insomnia narrare; non quæstionem ex Chrysostomo demonstrare; qui cum de istis Gregorianis ne γρῦ quidem dixerit, nos qui nunc quærimus, non quid Gregorius, sed quid Chrysostomus de confessione senserit, istas affanias tam fortiter contemnimus, quam eæ ab isto temerè atque inverecundè afferuntur. Mitto cæteras istius nugas, qui nihil aliud pensi habuisse videtur, nisi ut plurimas chartas inanibus logis impleret. Nam & huc affert quod Chrysostomus alibi ait *Christum esse archiatron, ministros verbi divini medicos, quibus curandorum vulnerum commissa est cura*; quasi quisquam neget, quibus Evangelium, omnium malorum panacea, creditum est, eos medicos esse; & ex Gratiani rhapsodiis locum nescioquem describit, in quô hæc aureô Ioannis nostri ore plane digna leguntur *perfectam pœnitentiam habere in corde contritionem, in ore cõfeßionem, in opere humilitatem*. Quis verò tam bellos rythmos alij, quam Chrysostomo, tribuerit? Denique narrat nobis Gregorius horribile quoddam arcanum, Marianum Victorinum Reatinum in bibliotheca Regis Christianissimi librum Chrysostomi vidisse de confessione

Cap. XIV.

cap. 5.

Hom. 10. in Gen. T. 1. p. 194.b.

Hom. 1. in Psal. 57.

De pœnit. d. 1. can. perfecta.

 scriptum;

Cap. XIV. scriptum; seque id à Iacobo Pamelio didicisse. Sed quid ille liber narraret, neque Marianus, neque Pamelius, neque Gregorius produnt. Mirum, ni Confessariorum aphorismos, vel quærenda in confessione, vel certè paræneses de servanda confessis fide, aut aliquid huiusmodi mysticum habuerit beatum illud, & solis istis visum, vel auditum volumen. Eiusdem farinæ est quod queritur Estius insignem quemdam Chrysostomi ex decima in Matthæum homilia locum *diversis editionibus variè ab hæreticis corruptum fuisse*; in quo ait distincta fuisse duo hominum genera, quibus confessio sit necessaria; aliis quidem ad publicam, aliis verò ad privatam & secretam pœnitentiam, & in hanc sententiam citatum olim fuisse locum à Thoma Valdensi tom. 2. de Sacram. cap. 135. *consentireque vetusta exemplaria*. Ista verò omnia totidem sunt Estij insomnia. Ac ne de cuiusquam fide conqueri possit, en tibi locum illum integrum ex editione Parisiensi ; expressa quidem (ut est in operis titulo) ex Bibliotheca Christianissimi Regis, impensis verò ac liberalitate Gallicani Cleri procurata; ac denique nobilissimi Iesuitæ Frontonis Ducæi laboribus, ac recognitione aucta. Ita ergo illic Chrysostomus, de Baptistà loquens; Τοῦτον δὴ καὶ ἡμεῖς ζηλώσωμεν, καὶ τὰς τρυφὰς καὶ τὴν μέθην ἀφέντες ὅτι τὸν συνεσταλμένον μεταδιώκωμεν βίον. καὶ γὰρ ἐξομολογήσεως ὁ καιρὸς, καὶ τοῖς ἀμυήτοις, καὶ τοῖς βαπτισθεῖσι· τοῖς μὲν ἵνα μετανοήσαντες τῶν ἱερῶν τύχωσι μυστηρίων, τοῖς δὲ, ἵνα ἀπονιψάμενοι ἐν τῷ βαπτίσματι τὰς κηλῖδας καθαρῷ συνειδότι τῇ τραπέζῃ προσέλθωσιν. *Hunc igitur etiam nos studeamus imitari, & omnem luxuriam, ac temulentiam relinquentes, ad frugalem & moderatam vitam nos undique coartemus. Nam tempus quidem confessionis æquè & lotis sive baptizatis, & illotis, necdum initiatis incumbit; illis quidem, ut acta pœnitentia sacrorum mysteriorum participes fiant, his verò, ut ablutis in baptismo maculis ad Dominicam mensam munda conscientia accedant.* Hic ipsissimus ille locus est, de quo Estius paratragœdiat, non ex *hæreticorum*, quos vocat, scriniis, sed ex eorum, quos Catholicos censet, codicibus descriptus. Duo sane commemorat hominum genera, quibus opportuna & necessaria est confessio, non utrosque, quod falso & perversè ponit Estius, baptizatos; sed alios baptizatos, alios illotos, & catechumenos. Confessionem verò unam & eandem utrisque necessariam; non, quod idem post Valdensem suum somniat Estius, duas; secretam unam, publicam alteram. *Confessionem* autem illam unam, eandemque non *auricularem adversariorum* esse, vel illud clamat, quod eam τοῖς ἀμυήτοις, id est, nondum baptizatis præcipit, quos nemo nescit ab *auriculari* esse immunes. Quæ ergo (inquis) ista est hic à Chrysostomo intellecta & commendata *confessio?* Illa verò est *exomologesis*, (quod ipsum nomen hic usurpavit Chrysostomus, καὶ γὰρ ἐξομολογήσεως καιρὸς) eadem illa, quæ suprà ab eodem homilia in Genesin vicesima commemorata est, & à nobis ad eum locum explicata, detestatio scilicet peccatorum, eiusque in tota vita significatio, sive vera ad Dominum Deum conversio, quæ peccatorum admisso-

[Margin notes:]
In 4 d. 17. §. 6. p. 247. 248.

Lutet. Par. a. 1636. apud Seb. Cramoisi.

Hom. 10 in Matth. p. 139. C.

admissorum odium, ac pœnitentiam, non eorum inani apud unum sacrificulum enumeratione, sed factis, & moribus, totaque vita in melius immutata fatetur. Quod optimè vidit Antonius Arnaldus Sorbonæ Doctor, qui cum hunc locum Gallicè exhiberet, ἐξομολογήσεως καιρὸς, non *confessionis*, sed *pœnitentiæ tempus* reddidit. Atque id esse hoc loco *exomologesin*, τὴν ἐξομολόγησιν, probat primò solennis vocabuli apud veteres scriptores usus, à nobis suprà fusè obseruatus & firmatus; secundò res ipsa, cum clarum sit hujusmodi exomologesin tam catechumenorum, quam fidelium esse communem; non autem enumerationem peccatorum apud sacerdotem, quam isti solis fidelibus præceptam esse volunt: tertiò ipse Chrysostomus idem docet, dum & mox ait, οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστιν ὁμοῦ καὶ ἐξομολογεῖσθαι καὶ τρυφᾶν, *nequeunt enim omninò, nequeunt in unum convenire exomologesis & luxus*, vel (ut hic quoque habet Arnaldus) *pœnitentia & luxus*; & quinto abhinc versiculo rem eandem μετάνοιαν vocat, κἂν ἐν ταῖς πόλεσιν ὄντες ἐπιδειξώμεθα τὴν μετάνοιαν, *Saltem in urbibus constituti pœnitentiam monstremus*; ac denique clarissimè paulò post ita eam describit; Μετάνοιαν δὲ λέγω, οὐ τὸ τῶν προτέρων ἀποστῆναι κακῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἄμεινον, ἐπιδείξασθαι καλά. ποιήσατε γάρ φησι καρποὺς ἀξίους μετανοίας, πῶς δὲ ποιήσωμεν; ἂν τὰ ἐναντία πράττωμεν. οἷόν τι λέγω. ἥρπασας τὰ ἀλλότρια; δὸς καὶ τὰ σὰ λοιπόν. πολὺν ἐπόρνευσας χρόνον: ἀπόσχου καὶ τῆς γυναικὸς τῆς σῆς ὡρισμένας ἡμέρας, ἄσκησον ἐγκράτειαν. ὕβρισας καὶ ἔπληξας παριόντας; εὐλόγει λοιπὸν τοὺς ὑβρίζοντας, καὶ εὐεργέτει τοὺς πλήττοντας, & cætera divina. *Pœnitentiam verò dico, non solùm, ut à malis prioribus desistamus, verum etiam, quod maius & melius est, ut bona faciamus. Facite* (*inquit*) fructus dignos pœnitentiæ. *Quomodo autem faciemus? Si utique prioribus contraria faciamus. Verbi gratiâ. Aliena rapuisti? Dona & tua in posterum. Longo es tempore fornicatus? A legitima etiam uxore ad aliquot definitas dies abstine: castitatem exerce. Proximos injuriâ affecisti, & pulsasti? De caterò benedicito maledicentibus, & percutientibus benefacito.* Hanc verò exomologesin, sive *confessionem*, neque nos vel *juris divini* esse negamus, vel omnibus omninò Christianis, fidelibus, & catechumenis necessario incumbere.

Cap. XIV.

Tradit. de l'Egl. sur la penit. & la comm. p. 61.

ub. supr. p. 110. c.

Capvt XV.

Solvuntur dicta duorum sequentium testium XVI. & XVII. Innocentij scilicet & Hieronymi; ostenditurque ea ad confessionem auricularem non pertinere.

Ep. 1. ad Decent. cap 7. Iam Chrysostomo succedat σύγχρονος Romæ antistes Innocentius, ex quo hæc Bellarminus recitat; *Cæterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* Respondeo Innocentium hic agere de *publicè pœnitentibus*, ut primò ex ipso capitis titulo apparet, qui sic habet, *capit. 7. de pœnitentibus*, & ex his ipsius Innocentij verbis, *De pœnitentibus verò, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.* Nam & *pœnitentes* ita simpliciter dictos veteribus de *publicè pœnitentibus* intelligi suprà tum ex Concilio Toletano I. tum ex Augustino didicimus, & istos cum Innocentius quinta ante Pascha feria velit absolvi, apparet non alios esse, quàm publicè *pœnitentes*, cùm eos qui *pœnitentes* hodie cēsentur, privatim tantū & in arcano hoc officio fungentes, quovis die sine ullo discrimine absolvi notum sit. Denique ipse Bellarminus alibi idem docet, dum explicans solennis publicæque veterum pœnitentiæ ritus, eò disertè refert hanc Innocentij Epistolam; ex eâ demonstrans, qui solennem illam publicamque pœnitentiam egerant, quinta feria majoris hebdomadæ reconciliari, ac communicare solitos. (L. 1. de pœnit. c. 21. §. Iam verò.) Ex his, quæ sunt indubitata; apparet ex hoc Innocentij loco haberi quidem qui publicam illam apud veteres solennem pœnitentiam suscipiebant, eos apud Dei ministrum à quo eam petebāt, & accipiebant, lapsum suum, confessos fuisse; (quod nemo negat, & idem apud nos quoque fit.) Omnes omninò fideles confessos fuisse singula in aurem sacerdotis delicta, hinc nequaquam conficitur. Breviter, confessio, quam significat Innocentius, non erat omnium Christianorum baptizatorum communis, sed unius Christianorum ordinis, nempe *pœnitentium*, propria. Nos verò nunc de ea disputamus, quæ non duntaxat est publicè pœnitentium, sed quæ omnium omninò fidelium communis esse defenditur. Ergo nihil ad propositam quæstionem allatus Innocentij locus.

In Ecclesi. c. 10. T. 7. fol 41. C. Nunc ad Hieronymum venio utriusque, id est, Chrysostomi & Innocentij æqualem. Hæc ejus in Ecclesiasten verba describit adversarius; *Si quem serpens Diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus*

vulnus suum fratri, & magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. Respondeo. Hieronymus hic quidem docet bonum, ac sapientem virum nonnisi iis, quorum cognitos habet morbos, mederi; qui ipsum non consulunt, neque ei morbos animi aperiunt, iis haud facilè prodesse posse; quod nemo negat. Omnes omninò fideles, vel saltem in peccatum aliquod lapsos divino jure eô obstringi, ut in sacrificuli unius aurem delicta omnia immurmurent, neque quantumvis resipiscentes, ac emendatos, aliter nisi hoc fecerint servari posse; neque hic, neque alibi vspiam docet. Imò ne illud quidem constat, an quem *fratrem, & magistrum* vocat, *sacerdotem* intelligat. Potiùs crediderim significari eo nomine quemvis sapientem, ac rerum divinarum peritum virum; sive clericum, sive laïcum; qui *linguam habet ad curandum*, id est sermonis donum habet ad mitigandos & sanandos animi morbos; ad explicandos & liberandos ex Diaboli laqueis peccatores; sive ii in hæresim, sive in vitium aliquod inciderint. Neque enim tam de remittendo crimine, quàm de ipso vitij habitu sanando loqui videtur Hieronymus. Itaque nihil aliud hinc colligi potest, nisi consultum esse, vt qui in vitio aliquo hæret, neque se ipsum expedire potest, is sapientem, sive etiam pastorem adeat, (si *magistrum* de munere potius, quàm de peritia, ac scientia accipere placet) ei morbum aperiat, eius denique ope atque opera utatur; quod nos æquè ac adversarij docemus. Necesse verò esse, ut etiam qui occultos diaboli morsus per se & sensit, & sanavit, id est, qui verè contritus & apud Dominum confessus, & reapse emendatus est, is nihilo feciùs sacerdotem adeat, & in arcano quicquid sibi acciderit, narret, non aliter veniam peccati impetraturus, id profectò non ex hoc magis Hieronymi locô, quàm ex nostro ipsorum dogmate sequitur. Ad medicinalem illam confessionem ea quoque referenda sunt, quæ apud Isidorum Hispalensem leguntur; vt Monachus, *qui nocturna illusione polluitur, publicare hos Patri monasterij non moretur, culpæque sua merito hæc tribuat; item qui fornicationis tentamentis exæstuat ne erubescat confiteri libidinis æstum quo uritur; quia* (inquit) *vitium detectum citò curatur, latens verò quanto amplius occultum fuerit, tantò magis profundius serpit, quod revera qui publicare negligit, curari minime cupit.* Confessionis istius, ut vides, finis fuit non tam reatus, qui ex peccato contrahitur remissio, quam ipsius vitij, ex quo peccatum nascitur, curatio, pravique *habitus* (ut loquuntur) expugnatio, atque abolitio. Huiusgeneris fuit illa Adamani confessio, de qua est apud Bedam; qui *accedens* (inquit) *ad sacerdotem, à quo sibi sperabat iter salutis posse demonstrari confessus est reatum suum, petiitque,* non, quod nunc à suis confessariis Latini, extemporaneam absolutionem, sed *consilium quô posset fugere a ventura Dei ira. Qui audito eius commisso dixit, Grande vulnus grandiori curam medela desiderat; & ideò jejuniis, Psalmis, & orationibus quantum*

Cap. xv.

Reg. Monach. c. 11.

L. 4. hist c. 25.

CAP. XV. *quantum vales insiste, quo praeoccupando faciem Domini in confessione* id est, ut liquet, in exomologesi, sive satisfactione) *propitium eum invenire merearis.* Sed hæc obiter. Ad Hieronymum redeamus, ex quo alter sequitur à Bellarmino allatus locus, in illa Domini verba, Quodcunque

L. 3. in Matth. in c. 16. T. 9. fol. 23 g.

ligaveris super terram, erit ligatum in cælis, *Istum* (inquit) *locum Episcopi, & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc a sacerdotibus immundi fiant, non quo sacerdotes leprosos faciant, & immundos, sed quod habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum, vel immundum facit; sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, & presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxij, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus.* Hæc ille; unde Bellarminus ait *apertissimè colligi oportere sacerdotem audire peccatorum varietates, atque id pro officio suo, ex quo intelligimus non satis esse, si pœnitentes generatim, aut manifesta peccata tantum confiteantur, sed omninò necessarium esse, ut sigillatim peccata omnia sacerdotibus detegant.* Respondeo istic haberi, quod sit sacerdotum officium, ut sciant nimirum ex peccatoribus, quorum delicta ad se relata audierint, quinam vel ligandi, vel solvendi; non haberi, quæ sit fidelium ex diuino jure obligatio, an scilicet omnia peccata sua, an quædam tantùm sacerdotibus deferre debeant; & an ea quæ deferre debent, in genere tantum, an verò sigillatim in specie unà cum circumstantiis revelare teneantur. Itaque cùm non propriè de sacerdotum, sed de fidelium omnium officio hic quæramus, frustrà allatum est Hieronymi testimonium, quo illud prius, non autem hoc posterius definitur. Medicus certè *pro officio suo, cùm morborum audierit varietates,* scit qui *vinciendus sit, qui solvendus*; qui hoc, illo remedio curandus; Non tamen inde quisquam puto concluserit neminem esse ægrotum, qui morbum suum medico aperire non debeat, idque necessariò. Si qui laborat, sine medici manu curari, ac convalescere potest, nemo negabit nihil eum cogere, ut medico mala sua denudet. Et jurisprudentium officium est audita quæsitorum varietate consulentibus respondere, & prætorum litigantium controversias decidere. Nemo ideò dixerit omnes litigantes & jurisprudentes consulere, & prætores adire necessariò debere. Quod verò Bellarminus de comparatione ministrorum Evangelicorum cum Leviticis sacerdotibus hic ab Hieronymo adhibita philosophatur, & letalem plagam, quam ea suæ de prætoria sacerdotum authoritate sententiæ infligit, obiter amoliri studet, id quod ad præsentem quæstionem nihil pertinet, nullum nunc quidem facimus.

Postremò nos jubet Bellarminus Hieronymi inspicere commenta-

rios in caput secundum Hieremiæ. Inspexi. Sed omnia sunt ab hac caussa usque adeò aliena, ut quid ille in animo habuerit, divinare non possim. An illa quæ istic leguntur? *Frustrà, inquit* (Dominus scilicet ad Ierusalem) *non vis confiteri scelera tua, & jactas munditiam, & idololatriæ polluta es sordibus, & impudenter negas te coluisse idolum Baalim.* Tum paucis interjectis. *Iuxta tropologiam, impudentiam frontis eorum, qui nolunt vitia sua confiteri, operibus* (inquit) *arguamus.* Eorum scilicet impudentiam damnat, operibusque ipsorum coarguendam monet, qui de sceleribus suis à Domino reprehensi, audacter se peccasse negant. Nos verò libenter concedimus quemcunque peccatorem de suis delictis à Domino increptium, vel etiam interrogatum, ea confiteri debere. Itaque novos, ac veteres Pelagianos meritò aversamur, qui de perfectione suæ justitiæ gloriantur, neque fatentur peccatum se habere; & illud Hieronymi quod in eodē loco adversus eos scriptum legitur, ultro exosculamur. *Audiat nova ex veteri hæresis, iram Dei esse vel maximam nolle peccatum confiteri humiliter; sed impudenter jactare justitiam.* Sed quid hæc ad auricularem apud sacerdotem omnium delictorum confessionem? Eiusdem est perversitatis, quod ista Hieronymi ex epistola ad Pammachium & Oceanum accipit Bellarminus, *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri*; quasi scilicet de auriculari confessione intelligat. Atqui palam est eum de impij dogmatis, si quod sis secutus, eiuratione intelligere. Nam de Origene disputat, cuius hæreses olim secutus putabatur. Respondet per concessionem rhetoricam, etiamsi antea secutus esset, nunc certè se eas exsecrari; confiterique culpam esse talia vel docere, vel credere. *Imitari* (inquit) *estis errantem; imitamini & correctum. Erravimus juvenes, emendemur senes. Iungamus gemitus, lacrymas copulemus, ploremus & convertamur ad Dominum, qui fecit nos. Non expectemus Diaboli pœnitentiam.* Hæc scilicet *culpa confessio* est, quam ab hæreseos alicuius sectatoribus, & Hieronymus, & omnes pij exigunt; quæ cum arcana istorum confessione nihil, ut palam est, commune habet.

Sed Estij etiam, quam Bellarmini, major est in Hieronymum inverecundia; qui hoc locò non dubitavit testimonium ei tribuere, quod in *Regula Monachorum* legitur; cuius opusculi tanta est in verbis barbaries, tanta in sensibus stultitia, ut fœnum esse eos oporteat; qui id viro doctissimo, atque disertissimo tribuendum putant. Auctorem quidem Erasmus *asinum* simpliciter, ac verè vocavit; quem sub Hieronymi larva frustrà se occultantem auriculæ prominentes produnt. Opus verò ipsum Marianus Victorius in tomum nonum reiicit, inter ea, quæ constare dicit non esse Hieronymi.

Cap. xv.

L. i. in Hier. T. 5. fol. 118. c.

Ibid. fol. 119. E.

T. 2. fol. 69. b.

Ibid.

Cens. in hanc reg. T. 4.

Caput XVI.

Explicantur & solvuntur, quæ adversarij afferunt XVIII. testis, Augustini dicta.

ex Tom 4. c. 17. † de Scrip Eccl. * Censf. in lib. ipsum. † Censf. in append. T. 4.

Nunc ergo misso tanto nugatore ad Augustinum veniamus; ex cuius operibus frustrà affertur liber de falsa & vera pœnitentia, quem eo constat nō esse Augustini, quod ipsum citet & ab eo dissentiat. & fatentur Trithemius †, Erasmus*, Lovanienses & Parisienses editores†, Possevinus, ipse Bellarminus tum in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, tum hoc ipso in loco, in quo ait non videri eum *S. Augustini esse*. Quod verò ait negari non posse, *quin sit alicuius antiqui, probatique scriptoris, cùm inde Gratianus, & Petrus Lombardus, multa testimonia in libros suos transtulerint*, (imò illi pœnè totum in decreta & sententias transtulerunt) eò inquam se ridiculum præbet. Quis enim nescit istos sæculo demum duodecimo, pæne octingentis post Augustinum annis vixisse, & multa suppositititia ac recentia pro veris antiquorum Patrum testimoniis crasso errore accepisse?

T. 1. Ambr. exhortatio ad pœnit.

Idem judicium est de homilia duodecima, & quadragesima prima, ex quinquaginta homiliis, quæ hic quoque à Bellarmino nequicquam laudentur; quæ neque ab Erasmo, neque à Lovaniensibus, neque à Parisiensibus pro veris & indubitatis Augustini operibus habentur. Duodecimæ quidem in utraque hac editione hæc censura præfixa est; *Quibusdam prior pars videtur esse Eradij, posterior Augustini.* Locus autem à Bellarmino laudatus extat in priori parte paulò post homiliæ initium. Prima verò supra quadragesimam adeò dubia est, ut pænè tota inter Ambrosij opera repetiatur quod me suprà jam dixisse memini. Quam ineptus autem fuerit. quisquis est eius auctor, vel hinc discere licet, quod ita orditur, *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes*; tum ex frigida illa observatione liquet, *Tantum valent tres syllabæ; Tres syllabæ sunt* peccavi; *Sed in his tribus syllabis flamma sacrificij coram Domino ascendit in cœlum.* Ista verò, qui vel Ambrosij, vel Augustini esse mihi persuaserit, facilè quoque effecerit, ut auream illam (quam vocant) *Sanctorum legendam* à Chrysostomo, vel ab Hieronymo scriptam fuisse credam. Possevinus, qui quas ex istis quinquaginta homiliis in Possidij indiculo non repetit, eas pro ambiguis habet; hanc quæ in isto indiculo nulla est, necessariò, ut vides, inter dubias & incertas reliquit. Quæ non ideo observo, quod citata ex his libris testimonia aliquid firmum & evidens pro auriculari istorum confessione cōtineant (nihil enim est facilius, quàm ista & alia huiusmodi solvere) sed quod pigeat in incertis & dubiis tempus perdere; & quod Augustini ipsius

mult·

multò verò magis nostra intersit, ne partim falsa & supposititia, partim incerta & ambigua pro veris & indubitatis eius operibus nobis obtrudi patiamur. Reiectis ergo dubiis, iam quæ vera sunt videamus. Cap. XVI.

Gregorius de Valentia ex quadragesima homilia, quæ quod à Beda citata sit, videtur esse Augustini, hæc verba describit; *Agite pœnitentiã, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat. Occultè ago; apud Deũ ago; novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine caussa dictum est.* Quæ solveritis in terra, soluta erũt in cœlo? *Ergo sine caussa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangeliũ Dei; Frustramus verba Christi? Promittimus vobis quod ille negat?* Antequam respondeo, locus integer est exhibendus, cuius principiũ & finem malo animo omisit Gregorius. Principium hoc erat; *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si, præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur*; & cætera, quæ nuper descripta sunt. Ex his constat Augustinum non omnes promiscuè fideles (quod nobis persuasum voluit Gregorius) sed solos adulteros alloqui, quos ex veteribus canonibus constat ad pœnitentium censum pertinuisse. Quæ verò sequuntur apud Augustinum, ita habent, *Nonne vos decipimus? Iob dicit,* Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea. *Talis justus thesauri divini obrizi, tali camino probatus ista dicit, & resistit mihi filius pestilentiæ, & erubescit genu figere sub benedictione Dei? quod non erubuit imperator, erubescit nec Senator, sed tantùm curialis? Superba cervix, mens tortuosa, fortassis, imò quod non dubitatur, propterea Deus voluit, ut Theodosius imperator ageret pœnitentiam publicam in conspectu populi, maximè quia peccatum eius celari non potuit; & erubescit Senator, quod non erubuit Imperator? Erubescit nec Senator, sed tantum curialis, quod non erubuit Imperator? Erubescit plebeius, sive negotiator, quod non erubuit Imperator.* Iam respondeo primò nullum in istis verbum occurrere de *confessione.* Omnia sunt *de pœnitentiâ.* Secundò neque de istorum pœnitentia loquitur Augustinus, quæ sub unius sacrificuli conscientia occultè fit; sed de veteri, hoc est publica. Clara sunt eius verba, *Agite,* inquit, *pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia.* Ergo pœnitentiæ, quam præcipit, Ecclesiam consciam esse vult, non unum sacerdotem. Tum illa Iobi, quæ horsum adducit, idem docent; *in conspectu populi peccata confiteri.* Idem ergo ab istis exigit, ut *in conspectu populi sua confiteantur peccata.* Quo loco (ut id obiter dicam) cave ne *confitendi* verbum eo sensu esse positum putes, quô nunc apud adversarios sumitur, pro *sigillatim & particulatim enumerare delicta sua. Confiteri peccata* est agnoscere ac testari seu verbis, seu actu alio, te peccasse, errasse, Dominum offendisse. Neque aliter sumas, quoties lapsi apud Ecclesiam *confessi* dicuntur. Est enim non modò improbabile, sed etiam certò falsum (ut Petavius optimè observavit) quod nonnulli putant veterum pœnitentes coactos fuisse apud totam plebem sua ipsi delicta enumerare ac referre, quô modo nunc sua apud sacerdotem recensent adversarij.

L. 50 hom. 40 hom. c. 8.

Iob. 31.

In Epiphan. p. 245 245. & seqq.

KK 2 Illi

Cap. xvi. Illi gemitu, lacrymis, precibus, corporis ad pedes fratrum abiectione peccata confitebantur, nemo verbis (quod immane fuisset, neque sanè sine scandalo) singula exsequi cogebatur. Tertiò idem docet, quod subiicit Augustinus, *Erubescit genu figere sub benedictione Dei*, quibus verbis, ὑπόπτωσιν describit, ut ex iis, quæ suprà diximus, apparet. Quartò idem clarissimè conficit illa Theodosij *publica pœnitentia in conspectu populi*; Quod enim Imperator præstitit, id Augustinus ab adulteris exigit. Hæc ergo est *confessio*, de quâ toto hoc loco intelligit, non arcana in unius presbyteri aurem tuorum criminum narratio, vel enumeratio, sed publica in conspectu totius Ecclesiæ doloris ob admissa peccata tui contestatio ac significatio, quam (ut suô loco probavimus) veteres uno verbo *exomologesin*, id est si verbum verbo reddas, *confessionem*, dicebant. Sed neque illud omittendum est, quod hic locus totam adversariorum confessionalem disciplinam funditus evertit; tantùm abest, ut eam confirmet; quod nobis Gregorius persuasum cupit. Isti enim, ut notum est, etiam *adulteros*, de quibus Augustinus, non aliam pœnitentiam agere cogunt, quam *in occulto*. Atqui talem adulterorum pœnitentiam planè penitusque, velut inanem, ac, ut sic dicam, frustraneam, repudiat Augustinus. *Nemo sibi dicat* (inquit) *occultè ago*; (nimirum pœnitentiam). *apud Deum ago, Novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago*. Quin & eos, qui occultam huiusmodi pœnitentiam agebant, *frustrare Evangelium, & verba Christi* significat; quasi sine caussa dictum sit, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo*; quasi sine caussa claves datæ sint Ecclesiæ Dei. Quô clarissimè docet, potestatem clavium illis verbis à Domino significatam, non in alio necessariò versari, quam in publicæ huius pœnitentiæ ministerio; frustrà adeò esse adversarios, qui eam ad suæ quoque confessionis tormentum extendunt. Iam istos, perindè ut illos quos explodit Augustinus pœnitentiam occultè imò non aliter ferè; quam *occultè agere* notum est. Neque verò est quòd dicas eos non apud unum Deum confiteri, aut pœnitere; sed sacerdotem etiam adhibere. Fateor; sed apud quem ita occultè ac mysticè agunt, ut quicquid in toto hoc negotio apud eum agunt, id apud unum Deum agi velint; & sacerdotem, quæ in illo arcano didicit, ea non ut *hominem*, sed ut *Deum* scire iubent; & quæ apud eum fiunt, ea apud Deum fieri dictitent; quod suprà ad Chrysostomum affirmabat Gregorius. Tum pœnitentiæ illi, quæ apud Deum in occulto agitur, eam opponit Augustinus, non quæ in arcano apud sacerdotem, sed quæ in publico apud Ecclesiam fit, *in conspectu populi*. Ergo cùm hanc adversarij ab adulteris minimè exigant, sed eam tantùm, quæ *occultè agitur*; apparet Augustinum eos explodere, ac ex illius quidem sententia, eos tota hac sua disciplina *Evangelium, & verba Christi frustrare*. En qualem sibi testem asciverit Gregorius!

His ita explicatis, cætera quæ ex Augustino afferunt nihil habent difficultatis. Sunt enim omnia ad publicam pœnitentiam referenda, quam

quam unam Ecclesiæ ministerio pœnitentibus necessariò inflictam scivit Augustinus. Illi verbi gratia, quos Lazaro ex tumulo procedenti comparat *in confessione peccati pœnitentes*, illi, inquam, sunt publicè ex illius Ecclesiæ disciplina *pœnitentes*; non *in occulto* ex hodierna Romæ observatione, peccata in aurem unius sacerdotis enumerantes; qui, quod Augustinus de illis disertè affirmat, *ab occultis velut exeundo se manifestare dici* non possunt. Et ipse Augustinus paulò ante initio huius capitis profitetur se de tertia pœnitentia dicturū, quæ eorum erat, *qui propriè* (ut ipse ait) *vocabantur in Ecclesia pœnitentes, etiam remoti à Sacramento altaris participandi*; & quos ideò ait *ligatos esse*; *Lazarus* (inquit) *ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam*; quæ omnia nulli alij, quam publicæ pœnitentiæ conveniunt. Publica item pœnitentia est, quam alibi ab eo negligi queritur, qui *implicatus mortiferis vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cælo*; quod ipse apertissimè docet, cùm paulò post *id eum agere* jubeat, quod *non solum illi prosit ad accipiendam salutem*; *sed etiam cæteris ad exemplum*; & mox, *ut si peccatum ejus* (inquit) *non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur ministro in notitia multorum vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset*. Itaque hæc, quam intelligit, pœnitentia, cum publica sit, planè alia est ab adversariorum pœnitentia, quæ tota arcana est; alia adeò confessio, quæ ad illam, alia quæ ad hanc refertur.

CAP XVI.

Hom 27. c. 6. & tract. 49 in Ioan.

Tract 49. in Ioan.

hom. 50.

Quæ verò ex commentario in Psalmum sexagesimum sextum afferuntur, aliò pertinere videntur; scilicet ad quamvis pœnitentiam, quâ fidelis sive apud Deum unum, sive etiam apud homines, se peccasse, & agnoscit, & deflet. Illa Prophetæ verba interpretatur Augustinus, *Cantate Domino omnis terra*; *Confiteantur tibi populi, Deus*. *Ipsa cantatio* (inquit) *confessio est, confessio peccatorum tuorum, & virtutis Dei. Tuam iniquitatem confitere*; *gratiam Dei confitere*. *Te accusa, illum glorifica*. *Te reprehende, illum lauda*; *ut & ipse veniens inveniat te punitorem tuum, & exhibeat se tibi salvatorem tuum*. Hæc quidem quàm nihil ad auricularem adversariorum confessionem pertineant, quivis videt. Mox illa, quæ in Psalmo continenter sequuntur, *Lætentur, & exultent gentes*, enarrans, *Si plangunt* (inquit) *ante homines confessi latrones, lætentur ante Deum confessi fideles. Si homo judicet, exigit à latrone confessionem tortor, & timor*; *imò aliquando confessionem premit timor, exigit dolor, &c. Sed lætentur, & exultent gentes. Unde? Per ipsam confessionem. Quare? quia bonus est, cui confitentur. Ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem, ad hoc damnat confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto antequam confitearis*; *confessus exulta. Iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet medicus fomenta verborum & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione*

In Ps. 66. T. 8. p 181. b.

Cap. xvii. *ptione tribulationis. Tu agnosce medici manum; confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies. Iam exulta, Iam letare; quod reliquum est facilè sanabitur.* Certè (inquit Bellarminus) *omnis sanies omnia peccata significat, & sicut ex apostemate omnis sanies quam diligentissimè exprimenda est, ita judice Augustino omnia peccata in confessione aperienda sunt.* Esto, inquam. Quid tum fiet? An omnia peccata in aurem sacerdotis immurmuranda? Atqui de sacerdote ne unum quidem apud Augustinum verbum. De omni in genere *confessione* loquitur; sive quæ Deo soli fit, sive quæ etiam *homini*, si necesse est, ut in criminibus, quæ publicæ pœnitentiæ subiecta erant. Ergo, vel per illam solam, vel, ubi id requiritur, etiam aliquando per hanc peccata aperienda statuit Augustinus, (fateor) per hanc solum, omnia aperienda esse, neque statuit, neque ego sanè concedo, neque ipsi adversarij assentientur, qui nulli pænè crimini publicam pœnitentiam necessariò adhibendam censent. Neque vero omnem eam, de qua istic Augustinus, confessionem ideo homini faciendam intelligi putaveris, quod ille dicat, *Adhibet medicus fomenta verborum, &c.* Hic enim medicus, non homo est, sed Deus; ut ex eô liquet, quod eum ait in correptione tribulationis medicinale ferrum adhibere: Correptionem enim tribulationis non sacerdos, sed Deus lapsis fidelibus immittit. Eos peccantes primò verbis, minis, promissionibus, quæ vel in Scripturis leguntur, vel in Ecclesia audiuntur; mox etiam ferro, id est tribulatione sive flagello, corripit. Confessionem ergo Augustinus necessariò à peccatore requirit, scilicet vel eam quæ apud unum Deum fit, vel etiã eam quæ apud homines, quoties opus est, ut in criminibus publica pœnitentia dignis; Auricularem adversariorum confessionem, quæ in omni peccatorum genere necessaria censetur, ne in animo quidem unquam habuit. Atque hæc quidem sunt, quæ illi ex Augustino.

Caput XVII.

Diluitur ac refutatur ex Patrum Carthaginensium testimonio petita objectio, quæ pertinet ad XIX. testimonium. Excutitur testis XX. Sozomenus; insignisque in eo Bellarmini fraus detegitur.

L. 1 de pœn. c. 6. § in Ecclesia Latina. Conc. Carth. 3. can. 31. & Conc. Afric. cap. 10.

Sed hic etiam expendendus est Concilij Carthaginensis, cui ille interfuit, canon à Bellarmino alibi descriptus; *Vt pœnitentibus secundum peccatorum differentiam Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Idem habetur in Concilio Africano. *Dubium verò non est,* (inquit Bellarminus) *quin oporteat peccata omnia in confessione detegi, si juxta peccatorum*

torum differentias pœnitentiæ tempora decernantur. Ego verò concedo ea peccata, quibus pœnitentia decernenda est, ab Episcopo, qui eius tempus constituit, necessariò noscenda esse, eique adeò à pœnitente revelari debere. Omnibus omnino peccatis decernendam illam *pœnitentiam*, quam Afri intelligunt, nego. Intelligunt enim *publicam*, neque aliam ulli veterum canones decernunt; neque *pœnitentes* alios, quam *publicè pœnitentes*, commemorant; ut ea docent, quæ nos suprà ex Concilio Tolerano I. & ex Augustino attulimus, ipsi etiam Bellarmino observata. Ergo ex hoc canone illud quidem, quod nos non negamus, conficitur, quibus publica pœnitentia agenda erat, eorum crimina quæ, qualiaque essent Episcopum debuisse scire, adeoque nisi jam aliunde sciret, ex ipsorum *confessione* discere; *fidelium* omnium utriusque sexus omnia omninò delicta debuisse Episcopum sigillatim ex arcanâ eorum confessione pernoscere, nunquam hinc quisquam conficiet, nisi prius demonstraverit *fideles omnes* olim in *publicè pœnitentium* censu & ordine fuisse, nullumque singulorum delictum fuisse in quod Episcopus *publicam pœnitentiam* decernere non deberet; quæ cum stultissima sint, atque absurdissima, conclusum esto nihil Africanum canonem ad præsentem caussam pertinere. Cap. XVII.

Sequitur Sozomeni testimonium, quod Bellarminus ita recitat; *Cum prorsus non peccare natura sit humana divinioris, pœnitentibus, quamvis frequenter deliquissent, veniam dare Deus jussit, & ad impetrandam veniam peccata confiteri necessarium est. Hic audis*, inquit Bellarminus, *ab homine Græco, & jus divinum, & confessionis necessitatem.* Audio quidem, inquam, verum non *ab homine Græco*; sed à Latino, eoque Græcæ, quod aiunt, id est pessimæ fidei, hominis Græci interprete. Illa enim ultima verba, *& ad impetrandam veniam peccata confiteri necessarium est*, Bellarmini sunt, non Sozomeni, apud quem citato loco nihil plane legitur huiusmodi. Is enim Nectarij factum narraturus sic exorditur; ἐπεὶ τὸ μὴ ἁμαρτεῖν παντελῶς θειοτέρας ἢ καθ' ἄνθρωπον ἐδεῖτο φύσεως, μεταμελουμένοις δὲ καὶ πολλάκις ἁμαρτάνουσι συγγνώμην νέμειν ὁ Θεὸς παρεκελεύσατο, ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεὼν. φορτικὸν ὡς εἰκὸς ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν. Hęc ille, in quibus quid, quæso, est unde illa à Bellarmino allata verba exsculpi possint? *peccata* scilicet *confiteri necessarium esse*? Ergo cum hanc ille laciniam, non à Sozomeno, sed ex suo unius cerebro habeat, non est quod in ea excutienda tempus teramus. Hist. lib. VII. c. 16.

CAPVT

Caput XVIII.

Recitantur & explicantur duo loca Leonis, qui testis est adversariorum XXI. Demonstratur utrumque ad publicam pœnitentiam pertinere. Reiiciuntur Perronij, Bellarmini, & Gregorij in primo loco ineptiæ.

Du Perron. repliq. p. 262.

Epist. 80 ad Episc. Camp. Samn. & Piceni c. 1.

LEONIS, qui Sozomeni σύγχρονος fuit, & Romæ anno quinti sæculi XL. sedere cæpit, allata ab adversariis loca nunc expendamus. Primum ex epistola 80. quam anno Christi 459. Recimere scilicet consule datam fuisse apparet, hæc verba recitant. *Illam etiam, contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur; dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti; qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur pœnitentis confitentis.* Hactenus Leo. Ille vero, ut patet, de ea pœnitentia loquitur, quæ publice fiebat; usque adeo, ut quidam in Campaniæ, Samnij, Picenique provinciis, ad cæteros eius actus, quos *exomologesin* apud veteres dictos fuisse observavimus hanc etiam singulorum pœnitentis peccatorum ex scripto libello recitationem accedere vellent. Tum idem ex eo probatur, quod istos de quibus loquitur, peccatores *pœnitentiam poposcisse* ait. *Poscere* autem *pœnitentiam* apud illius ævi scriptores est *pœnitentiæ publicæ* agendæ potestatem, ius, ac leges, modumque & rationem à sacerdote petere, neque vel unum exemplum exstat, in quo aliter, nimirum de pœnitentia aliqua arcana, ea locutio accipiatur. Fateor igitur, quod nemo nostrum negat; id ex hoc Leonis loco haberi, nimirum qui pœnitentiam publice agere vellent, eos inprimis Ecclesiæ præsides adiisse, & ipsos de suis criminibus, quatenus ad legitimum pœnitentiæ modum iis imponendum necesse erat, docuisse. Neque sane aliter res administrari vel olim poterat, vel nunc potest; Et apud nos, quos isti tantos putant confessionis hostes, plane ita fit; quoties enim aliquis publice ἐξομολογεῖσθαι vel ipse sponte conscientiæ stimulis impulsus cupit, vel ab Ecclesiæ ministris ob nota crimina compellitur, is peccata de

quibus

quibus exomologesis facienda est, ipse ante omnia apud presbyterium edit, ac confitetur. Iam postquam lapsus præsides Ecclesiæ conuenerat, suumque apud eos & crimen, & pœnitendi consilium confessus erat; tum indictam ab iis pœnitentiam publice, ac in totius Ecclesiæ conspectu obibat, temporeque præstituto vel extra ædis sacræ fores, vel intra eam quidem, sed tamen cum catechumenis ἐξιέναι αὐτῶν & ὑποπίπτειν, cæterasque sibi imperatas pœnitentiæ functiones explebat; Cæterum non cogebatur suos ipse lapsus, apud plebem recitare, & ea ratione enumerare, qua nunc in aurem sacerdotis exsequuntur adversariorum confitentes. Id enim & per se absurdum est, neque usquam à veteribus præceptum, aut traditum fuisse legitur; & qui aliter sentiunt, ij merito à Dionysio Petavio Iesuita castigantur, ac refelluntur. Quod siquis veterum *confessionem publicam* ab aliquo lapsorum genere requiri dixerit, dubitandum non est, quin is *confessionis* vocabulum acceperit non eo sensu, quo nunc vulgo accipitur pro diserta & explicita singulorum delictorum enumeratione, sed eo, quo & Græcum, Latinumque etymon, & totius antiquitatis usus, id sumi posse suadet, scilicet pro clara protestatione, qua nos peccasse in Deum, & extrema commeritos, non tantum verbis, sed etiam actibus publice significamus, tametsi alioqui quæ, qualiaque fuerint in specie singula nostra delicta, minime explicemus. Hæc omnino erat veterum de *publica exomologesi*, sive *pœnitentia*, aut *confessione* sententia; ubique, quantum animadvertere licet, olim observata. Itaque cum Leo resciuisset, in tribus illis provinciis, ad quarum Episcopos scribit, pœnitentes insuper eo compelli, ut præter cæteras exomologeseos passim receptæ & usitatæ partes, de *singulorum peccatorum*, in quæ lapsi erant, *genere libellis scriptam professionem*, aut ipsi, aut alij ipsis præsentibus publice recitarent, merito absurdum & periculosum morem reprehendit, ac damnat. Merito eum *ab Apostolica regula alienum* vocat, quem neque Apostoli uspiam præceperunt, neque Apostolicæ Ecclesiæ servabant, neque recta ulla ratio suadet. Quæve contra afferuntur, ut hunc ipsum ritum apud veteres in usu fuisse probetur, ea & per se infirma sunt omnia, & à Petavio sic explicata, ut nihil necesse sit nos in ea parte diutius immorari. Sane vel unus hic Leonis locus tam absurdæ quorumdam persuasioni confutandæ satis est. Quis enim eum tanta cum vehementia repudiaturum ac rejecturum fuisse crediderit, quod apud omnes passim sui temporis Christianos institutum, & in usu publico positum sciuisset? Ergo *confessio illa secreta*, qua pronunciat satis esse *conscientiarum reatus solis sacerdotibus indicari*, *quamque Deo primum offerri* ait, *tunc etiam sacerdoti*, ea est, qua lapsi peccata sua primum coram Deo confitentes, de iisdem mox sacerdotes docebant; pœnitentiam publicam petentes, qua totius Ecclesiæ precibus adiuti tandem reconciliarentur. Vnde nemo non videt sequi, non quod volunt Bellarminus, & Gregorius, omnes omnino fideles, sed (quod nos concedimus) eos tantum, qui

Not. ad Epiphan. p. 145. 146. &c.

CAP. XVIII. tum, qui publicè pœnitentiam acturi erant, debuisse tũ temporis apud sacerdotes delicta sua cõfiteri; ut ex iis scil. legitime statueretur pœnitētię & modus, & tempus. Neque aliter hunc locum interpretatur Petavius. Ex quibus porro liquet, primo, quam vana sint Perronij figmenta, qui sine ulla ratione, solaque libidine impulsus hinc extundit privatam ac secretam pro occultis peccatis pœnitentiam à veteribus Episcopis indictam fuisse, quasi videlicet secretæ, ac non publicæ fuerint illæ pœnitentiæ, de quibus hic Leo loquitur: secundò, quam ridicula, & ἀπροσδιόνυσα sint, quæ ad hunc locum tum Bellarminus, tum Gregorius disputant, posito uterque futili & inani fundamento, scilicet *in tota Ecclesia secundum disciplinam Ecclesiasticam aliquando usitatum fuisse, ut recitatio publica fieret enormium criminum, quæ à pœnitentibus admissa fuerant.* Hoc vero cum & ab ipso Petavio, istorum sodali, sed antiquitatis Ecclesiasticæ longe ipsis peritiore confutetur, neque ab iis ulla vel levissima ratione confirmetur; non est quod de eorum somnio multum hic laboremus.

in Epiph. p. 246.

p. 115.

Alter Leonis locus, ex epistola ad Theodorum à Bellarmino, Perronio, Gregorio, Estio, & multis aliis frustra allatus, eodem quoque pertinet. In primis ipse Leo ita orditur; *Sed ut quoquomodo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula, non tacebo. Pœnitentium ordo*, ut diximus, à *fidelium* ordine distinctus erat. Ergo qui de *eorum statu secundum Ecclesiasticam regulam* dicturum se profitetur, eo ipso docet sibi de iis sermonem futurum, quæ non ad omnes omnino Christianos baptizatos, sed ad unum duntaxat eorum ordinem pertinent; id est publice *pœnitentium*: de quibus solis statuit regula Ecclesiastica, neque alios, quam hos intelligit, cum *pœnitentes* simpliciter nominat, ut ipse Bellarminus alibi ex Concilio Toletano primo, & ex Augustino docuit. Itaque istorum tantum sunt, non omnium absolute fidelium, quæ his Leo, ab adversariis allata, continenter adiicit. *Multiplex* (inquit) *misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotũ nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatē, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Hæc Leo, quæ ius & ordinem, quo administrabatur publica lapsorum pœnitentia apertissime docent. Ad eam enim primo pertinet ipsa *pœnitentia*, quam appellat, *medicina*; quæ non aliter fere veteribus, quam de solenni illa & publica intelligitur, quæ in oculis Ecclesiæ à lapsis fiebat. Tum idem suadet, quod ait, *qui regenerationis donum violassent*, Id enim est, non *peccare* simpliciter (neque enim quisquis peccat, eo statim *regenerationem violasse* dicendus est) sed magnũ aliquod,

Epist. xci c. 1.

Lib. 1 de pœn. c. 21.

aliquod, & atrox peccatum, excommunicatione dignum, admisisse; qualia apud veteres existimabantur ea, quibus pœnitentia publice agenda indicebatur. Quod & ipsum significat *criminum* quod statim usurpat, vocabulum; quo & iste, & Augustinus, & alij passim ea peccata significãt, quæ publica pœnitentia procurabantur; ut est ab Arnaldo vere observatum. Idem quoque probat, quod mox addit *sacerdotes actionem pœnitentiæ dare* quod apud veteres, nõnisi de publicæ pœnitentiæ modo, ordine, & tempore usurpatum invenies, ut supra jam diximus. Neque alio denique ultima Leonis verba spectare possunt, *salubri satisfactione* (id est publica exomologesi) *purgatos ad communionem Sacramentorum* (qua scilicet multati, ac privati ad tempus fuerant) *per januam reconciliationis* (quę impositione manuum toto spectante populo solenniter fiebat) *admittere.* Ergo quibus *confitentibus actionem pœnitentiæ* ab Episcopo, sive sacerdote *datam* ait, ij non alij sunt, quam qui pœnitentiam publicam poscentes sacerdotem adibant, & apud eum postulati huius sui caussas edebant; docentes, quid peccassent, & quam cuperent admissum crimen pœnitentia sive exomologesi eluere; Vnde (quod iam toties diximus) sequitur, qui pœnitentiam publicè sunt acturi ex Episcopi præscripto, eos apud ipsum debere crimina sua edere, ac confiteri; non sequitur, quosvis utriusque sexus fideles, qui non sunt in pœnitentium ordine, sacerdoti peccata sua omnia in aurem minimùm, semel quotannis, immurmutare, atque numerare una cum singulorum circumstantiis debere. Hæc potestas est (quis negat?) à Domino Christo præpositis Ecclesiæ tradita, ut lapsis in peccata excommunicatione digna pœnitentiam publicam scilicet, eiusque modum, ac tempus statuant; eosdem illa rite impleta, communioni Ecclesiæ restituant. Nemo est, qui id iuris aliis, quam *presbyteris*, sive, (quod idem est) *Episcopis* à Deo traditum contendat. Itaque eodem quoque necessariò restringenda sunt, quæ supra dicit Leo, *divinæ bonitatis* (erga lapsos scilicet, publica pœnitentia dignos) *præsidia sic esse ordinata, ut indulgentia Dei*, id est, reconciliatio, & in Ecclesiæ communionem restitutio, nisi supplicationibus *sacerdotum nequeat obtineri*, à lapsis scilicet publice pœnitentibus; qui, ut notum, in publicam Ecclesiæ communionem non aliter, quam prece, & benedictione Episcopi sive sacerdotis restitui solebant. Neque aliter fieri decet. Cum enim actus omnes, ut vocant, Ecclesiastici totidem sint *muneris episcopalis*, sive *presbyterij* functiones, nefas est quemquam in Ecclesiam, alteris quam Episcopi, sive presbyteri manu, atque opera, ut primum admitti per baptismum, ita iterum, ac (ut sic dicam) postliminio restitui per pœnitentiam. Hæc nos *divini juris* esse & à Christo Domino instituta Bellarmino facile concedimus. Sin illa Leonis verba simpliciter & absolute sic interpreteris, ut nullius cuiquam peccati remissio sine sacerdotis supplicatione & ministerio à Deo obtingere possit, is sensus multipliciter falsus, & absurdus erit. Primò enim quis nescit

CAP. XVIII.

part. 2 de la frequen. cõm. c. 4 p. 151. & suivant.

Cap. xix. apud adversarios sine ullius sacerdotis opera, vel supplicatione, infantes ab obstetrice, vel à quovis laïco, imò etiam pagano tinctos omnium peccatorum indulgentiam à Deo impetrare? Tum quibus nulla baptismi copia fuit, eos tamen iidem sine sacerdotis supplicatione & remissionem peccatorum, & salutem consequi concedunt, si modo vel martyrium fecerint, vel sancti Spiritus luce perfusi fuerint, vel baptismi votum apud se habuerint. Tertiò similiter etiam docent quicumq; post baptismum lapsi sunt, eos tametsi apud nullius sacerdotis tribunal genu fixerint, absolvi tamen à Deo; si modo necessitate aliqua prohibiti, quo minus eo officio fungerentur, cum proposito sive voto confessionis, saltem implicito & involuto, mortui fuerint. Quartò denique ne plura congeram, iidem fatentur quotquot *venialibus* (ut vocant) peccatis se obstrinxerunt, eos facillime, variisque modis *sine ulla sacerdotis supplicatione* Dei indulgentiam obtinere. Itaque necesse est ipsos hanc Leonis sententiam, quæ simpliciter sumpta ista omnia (quæ censentur apud ipsos verissima) evertit, & in absurdissima nos cogit, temperare, ac, ut loquuntur, *limitare*. Atqui restringi, vel *limitari* commodius, aut verius non potest, quam ex re ipsa, de qua Leo loquitur. Clarum autem est eum loqui de publice pœnitentibus; eorumq; statu, & reconciliatione; Ergo de his quoque intelligenda est Leonis sententia, ut significet istos indulgentiam Dei, & restitutionem in Ecclesiam non aliter, quam *sacerdotum supplicationibus* obtinere. Ex quibus denique apparet, quam partim ludicra, partim falsa sit Bellarmini conclusio, *Leonem loqui de confessione secreta, & peccatis omnibus, etiam occultis.* Confessionem, qua de lapsibus suis pœnitens Episcopum docebat, concedo non fuisse publicam, idque ex superiore Leonis loco valide probari. Eam autem *confessionem* de qua Leo hic loquitur, à singulis & omnibus de peccatis suis quibusvis, fieri debuisse nego. Ea enim publice pœnitentium duntaxat fuit: non cæterorum fidelium. Atque hæc de Leone.

Caput XIX.

Solvitur, quod obiiciunt, Prosperi, seu potius Iuliani Pomerij, XXII. testis, dictum. Tum diluitur, ac confutatur Petavij ex canonica veterum pœnitentia pro auriculari confessione argumentatio.

ubi supr. p. 1180 A. de vit. contemp. l. ii. c. 7. Quibus jungenda sunt, quæ Gregorius ex Prospero, sive potius Iuliano Pomerio, attulit. *Porro illi, quorum peccata humanā notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Disertis*

sertis verbis (inquit Gregorius) *necessitatem confessionis asserit.* Quibus nunquam? Deum ait in eos animadversurum, qui peccata *confiteri*, aut *emendare noluerint.* Ergo, inquit, te nisi peccata confessus fueris, perire necesse est. Fateor; si ea sic non fuero confessus, ut neque emendaverim. Qui vero peccata *emendaverit*, eum clarissime Iulianus pereuntium numero eximit. Cum ergo nos peccata, etiam quæ nulli aperuimus, emendare interdum posse, & constet, & Iulianus eo ipso doceat, quod ultionem Dei iis denunciet, qui peccata non simpliciter *confiteri*, sed *confiteri aut emendare noluerint*, (quod superflue dixisset, si nemo nisi *qui cōfitetur, emendare peccata* posset) profecto nemo non videt eum confessionis necessitatem, non modo non *asserere disertis verbis*, sed etiam clare, liquidoque evertere, ac refutare. Sed de hoc Prosperi, seu potius Iuliani loco infra cum argumenta sententiæ nostræ explicabimus, fusius dicendum erit. Neque alios, quod sciam, testes ex quinto sæculo afferunt. Sed antequam ad sequentia progredior, hic considerandum est horribile quoddam Petavij pro confessione auriculari argumentum; qui missis istis singulorum Patrum testimoniis, quæ interdum ait *boni sensus inania visum iri, si ea ad exactæ veritatis regulam accommodentur*, quæstionem paucis, atque ex aversione, ut dicitur, totam simul ac semel ex veteri disciplina sic probat; *Quotcumque veterum Patrum scripta sunt* (inquit) *vel Conciliorum decreta, quibus pœnitentiæ modus indicitur, totidem confessionis arcanæ firmamenta, ac monimenta retinemus.* Hæc ille; magnifice sane, ac plane Romane, &, si hoc satis non est, etiam Iesuiticè. Nunc vide sis, quomodo rem tantam iste uno nisu, imò uno halitu conficiat. *Iubent* (inquit) *antiquissima Patrum, atque Ecclesiæ consulta lapsos pro peccatorum gravitate plecti, & ab Antistitibus, aut sacerdotibus pœnitendi leges & conditiones accipere, ut eorum caussa cognita, ac prudenter æstimata levioribus illos, gravioribusve pœnis coerceant.* Certè, inquam. Sed quid inde sequitur? Rogas? Audi. *Quis* (inquit) *nisi insanus aliter id administrari posse putet, quam si peccata sua ille ipse, qui admisit, exponat? Confessione igitur, ac declaratione aliqua opus est. Ea vero privata, ac tacita, ut hodie est, ita perpetuo fuit, nec ulla umquam publica usu, aut moribus Ecclesiæ recepta quod postremo loco demonstrandum suscepimus.* Hactenus Petavius. Ego verò in primis beatum illum censeo, qui rem tantam, & quam alij frustra magno conatu tentarunt, tam facile confecturum se putat. Nunc videamus, an res viri opinioni respondeat. Clamat neminem, nisi insanum, existimaturum veteris pœnitentię disciplinā sine aliqua peccantis cōnfessione, ac declaratione administrari potuisse. Ergo hoc quidem nos isti, ne ei insani videamur, nunc concedamus; quod neque nos, neque nostrorum (quod sciam) quisquam hactenus negavimus. Cur vero negemus? qui ipsi quotidie hoc pœnitentiæ negotium ita administramus; neque quemquam nisi confessum, canonica aliqua pœna plectimus, & reconciliamus? Sed ea (inquit Petavius) *confessio privata erat, ac tacita.* Quasi vero nos

Cap. xix.

in Epiph. p. 244.

ibid. p. 245.

Cap. xx. pœnitentem publice peccata sua olim recitasse defendamus. Qualis ergo, quæso, ista est tanto hiatu promissa demonstratio, quæ nihil ponit, nihil concludit, nihil conatur, quod non concedat adversarius? *Insanus est*, (inquit) *qui ex veterum canonibus & consultis* non intelligit *confessione ac declaratione aliqua opus fuisse*. Sed neque, inquam, ille sanior, qui ex canonibus illis, qui nullam aliam nisi publicam pœnitentiam præscribunt, concluserit ne privatam quidem, ac quotidianam olim pœnitentiam à quoquam fidelium sine arcana apud presbyterum confessione factam fuisse. Res clara est. *Confessione*, inquit, *ac declaratione aliqua opus fuit*. Plane, inquam, aliqua; sed non (quod iam quæritur) Innocentiana. Primò enim cum vetera illa Patrum consulta non omnibus, sed certis tantum, quæ canones diserte notant, criminibus *pœnitentiam*, eamque, ut dixi, non aliam, quàm *publicam* imponant; profecto vel cæcus videt non alia hinc confici peccata fideles olim ministris confessos fuisse, quam illa capitalia in canonibus notata; quæ cum (ipso docente Petavio) multo pauciora sint, quam quæ hodie censentur *mortalia*, quæque auriculari confessioni subiiciuntur omnia; nemo non intelligit, quam sophistice ex solenni apud veteres publicam pœnitentiam poscentium confessione novitia hæc Innocentij concludatur, quæ omnium omnino fidelium, deque omnibus omnino peccatis esse statuitur; plane ac si quis ex eo quod reus iudici apud quem stat, crimen fateri debet, concluserit omnes ergo cives iudicem quotannis minimum semel adire debere, & omnia ei in aurem etiam occultissima delicta confiteri; quod esse stultissimum, ne ipse quidem, credo, Petavius negaverit. Secundò, etiamsi libens admittam; quod demonstrat Petavius, pœnitentes sua olim crimina publice apud Ecclesiam recitare numquam fuisse coactos, privatam adeo hactenus fuisse eorum confessionem; non video tamen vel ab ipso, vel ab aliis probari, eam confessionem uni præcise sacerdoti, & quidem in aurem, ut nunc mos est, ita quoque olim factam fuisse. Sed hæc de Petavio satis.

Ibid. p. 18.

Caput XX.

Audiuntur, & excutiuntur septimi sæculi, & sequentium testes; Ne ex his quidem haberi posse Innocentianam confessionem tum in usu fuisse. Gregorius testis XXIII. cuius duo loca obiecta ad pœnitentiam publicam pertinere ostenditur.

IAM deinceps ad sextum sæculum, duoque alia exinde sequentia veniendum est, quibus tametsi multum infuscata veritatis luce, solutaque Christianæ disciplinæ sanctimonia, in deteriora itum sit, nulla tamen,

men, ne tum quidem occurrunt confessionis auricularis vestigia. Gregorius quidem Romanus, qui sexto sæculo extremo floruit, septimi initia ingressus est, hic à Bellarmino advocatus, nihil dicit, quod hoc eius dogma confirmet. Episcopos castigat ea, qua à Domino donati sunt, ligandi, solvendique potestate, pro sua libidine abutentes; *Caussæ ergo* (inquit) *pensandæ sunt, & tunc ligandi, atque solvendi potestas exercenda. Videndum est, quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos Deus omnipotens per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis. Non potest autem* (inquit Bellarminus) *sacerdos cognoscere, an pro ratione culpæ pœnitentiam egerit qui solvi desiderat, nisi culpam ipsam, vel potius culpas omnes pœnitens aperte confiteatur; quare necessaria est confessio omnium peccatorum.* Respondeo, si *pœnitens* is Bellarmino est, qui Gregorio, & veteribus fuit, qui scilicet pœnitentiam publice ex Ecclesiæ priscis canonibus vel agit, vel acturus est, merito concluditur sacerdotem, qui de eo sententiam est laturus, culpam eius ex ipso cognoscere debere, adeoque confessionem ab eo requirere. Neque nos contendimus aliter in eo genere, vel olim factum, vel nunc fieri posse. Sin de quovis *utriusque sexus* fideli loquitur, deque quotidiana omnium fidelium pœnitentia; nego necesse esse, ut sacerdos horum culpas sciat; quas Deus apud se vere pœnitentibus, sine proprio præsidum Ecclesiæ ministerio dimittit. Gregorius quidem pronuntiat suam esse Episcopis in solvendis, ligandisque peccatoribus potestatem; eamque non temere, neque ex propria voluntate, sed ex Domini præscripto, caussarumque ipsarum ingenio exercendam; qua de re non modo non litigamus, sed hanc etiam eius sententiam, præclaram sane ac verissimam exosculamur. Quod sit autem huius potestatis legitimum, ac necessarium obiectum, omnesne, quod volunt adversarij, utriusque ordinis Christiani, id est tum pœnitentes, tum fideles, sic ut nullius peccati quantumvis contritus ac emendatus fidelis remissionem consequi possit, nisi id Episcopo in aurem revelarit, eiusque proprium de eo judicium acceperit; an vero, quod nos defendimus, soli proprie ac necessario *pœnitentiæ publicæ* rei; nusquam neque hic, neque alibi secundum adversarios definit Gregorius. Sed Bellarminus pro more in vocis ambiguo ludit. Pœnitentia enim, ut est ab Augustino non semel observatum, vel ea est, quam fideles quotidie agunt de peccatis, quæ nemo fere, quantumvis justus effugit; vel ea quam publice agunt, qui in fœdum aliquod, & cum scandalo coniunctum facinus inciderunt. Illa ex cuiusque fidelis conscientia apud Deum agitur; hæc ex Episcopi canone. De hac iudicandi ius habet Domini minister; De illa, solus Dominus. Bellarminus, cum hanc, quæ apud veteres absolute & simpliciter *pœnitentia* dicitur, apud aliquẽ scriptorem, ut nunc apud Gregorium, offendit; in vocem illico inuolat, & sic capit, ac si utramque speciem complecteretur; quod non ita est; &, quisquis alteram ab altera pruden-

Cap. xx.
Bellarm l. 3. de pœnit. c. x. §. Habemus igitur.
Homil. 26. in Evang. p. 135. L.

CAP. XX. prudenter distinxerit, omnes illius strophas nullo negotio discusserit. Ecce verbi gratia, locum qui apud Gregorium sequitur, hic describit; qui tamen de solis secundæ, non autem & prioris pœnitentiæ reis accipiendus est. *Lazaro* (inquit Gregorius) *dicitur, ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.* Hæc ille. Audio, neque abnuo, quin hinc recte concludatur pastorum Ecclesiæ jus & potestatem esse peccatorem confitentem absolvendi (quod nemo negat.) Nego ideo confici fideles omnes cuiusvis peccati reos ad delictum sacerdoti confitendum obstringi; quin ne ipsi quidem adversarii id dixerint, qui, ut notum est, venialium quæ vocant, reos ex jure divino, confessionis edendæ necessitate teneri negant. Ergo non aliud ex Gregorio sequitur, nisi hoc unum, quoddam esse peccatorum genus confessioni apud Pastores edendæ obnoxium; quod nos libenter concedimus. Altera quarto integra manet; quinam sint isti peccatores, omnes-ne, exceptis venialium duntaxat reis, quod vult adversarius; an, quod ego ex perpetua totius antiquitatis consuetudine tueor, ii soli, qui publica ex canonibus *pœnitentia* digni essent. Hos enim tantum, quod extra communioné corporis Christi, id est Ecclesiæ, censerent, *in culpa mortuos* dicebant. Cæteros, læsos quidem, ac vulneratos, & periculose ægrotantes, fatebantur, *mortuos* non putabant. Ergo neque hic locus aliud probat, quam quod supra ex antiquioribus didicimus, hunc Gregorij temporibus morem fuisse, ut qui pœnitentiam publicæ acturi erant, inprimis eam à Pastoribus poscerent; eos adeo de criminibus suis docerent; quod quam sit ab istorum confessione, quæ omnibus omnino fidelibus imponitur, alienum, nemo adeo cæcus est, qui non videat.

CAPUT XXI.

Testis adversariorum XXIV. Ioannes Climacus. Quæ iste de disciplinis Monachorum propriis dicit, ea inscitè ac perperam ad omnes omnino fideles trahi.

POST Gregorium Bellarminus Monachum quemdam Græcum, cognomento Climacum, inducit, qui post Iustiniani Augusti tempora floruisse perhibetur, id est affecto jam, ac inclinato sexto sæculo. Is ergo in libro Climacis, à quo cognomentum invenit, ita ascetis præcipit, Gradu IV. p. 44.

πρὸ πάντων ἐξομολογησώμεθα τῷ καλῷ ἡμῶν δικαστῇ, καὶ μόνῳ. εἰ δὲ κελεύει καὶ Cap. xxi.
πᾶσιν. *Sed primum omnium optimo iudici nostro peccata confiteamur, vel soli, vel si imperet ille, omnibus.* Sed quid iste nobis Monasticæ vitę disciplinas pro communibus totius Ecclesiæ institutis, necessariisque omnium Christianorum officiis obtrudit? Si quæcumque iste Climacus suis vel præcipit, vel commendat, ea in universali omnium fidelium usu. & quidem ex necessaria, atque ineluctabili lege singulis imposita olim fuisse putat adversarius, mirificam sane sibi fingit veteris Ecclesiæ ideam, quam nemini sano (sat scio) persuaserit. Hinc ergo, si libet, monachorum & olim fuisse, & nunc esse debere hunc morem concludat, ut quicumque eorum institutum sequi volunt, & monasticam vitam sive in eremis, sive in cœnobiis agere, ii primum omniū, quod bonus iste Climacus præcipit, *peccata sua* Abbati, sive præsidi, aut institutori suo confiteantur. Cæteris Christianis, qui monachi nō sunt, ne sit de illo suo auriculari tormento molestus. Quamquam neque certum est eam, quam Climacus Monachis præcipit, confessionis disciplinam eamdem fuisse, cum ea, quæ ab adversariis urgetur. Cum enim hi suam perpetuam esse velint, totaque vita à fidelibus omnibus exerceri, ea quam Monachis commendat Climacus, videtur semel tantum facta, cum ascetæ primum monasticam vitam ingrederentur. Id suadet narratio, quam ille huic suo præcepto statim subiicit de latrone quodam, qui cum monasticum vitæ genus profiteri se velle diceret, & post septem dies in cœnobio actos Abbati omnia præteritæ vitæ scelera soli confessus enarrasset, iussus est eadem in Ibid p. 45.
totius cœnobii conventu qui 330. virorum erat, exponere. Ille paruit; & cum horrore omnium, sigillatim omnia commemoravit fanda, infanda, οὐ μόνον τὰ σωματικὰ κατὰ φύσιν, καὶ παρὰ φύσιν, ἐν λογικοῖς τε ζώοις, καὶ ἀλόγοις, sed etiam veneficia, cædes, alia, ἃ οὐ θέμις ἀκοῦσαι, ἢ γραφῇ παραδοῦναι, *quæ neque audire, neque scripto tradere fas est.* Quo facto, homo *statim in* Ibid. p. 46.
monachum attonsus est. & in fratrum contubernium admissus. Ex his apparet *confessionem illam* à monachis ex Climaci lege tum requirendam esse, cum primum asceticum vitę genus ingrediuntur; Ab iisdē postea iterum, iterumq; repetitam ad vitæ finem, ut hodie apud adversarios fit, neque dicit Climacus, neque sane verisimile est. Sed neque huius ex latrone Monachi exemplum quicquam valeret, etiamsi ille non in monasterio, sed in publico Ecclesiæ conventu pœnitentiam fecisset. Non enim sinebant Ecclesiasticæ illius ævi leges hominem gravissimorum scelerum manifestum qualis ille erat latro, nisi peracta publice pœnitentia in fidelium communionem admitti. Hoc tantum in illo singulare & ab omni Ecclesiæ disciplina alienum, planeque abnorme, ac ut uno verbo dicam, vere *monachale* fuit, quod is iussus est sua scelera flagitiaque omnia apud publicum omnium Synascetarum conventum sigillatim enuntiare; quod etiam ipsi nunc Latini valde & quidem merito improbant. Atque hoc loco occurrit illa de miraculo quodam fabella, quam supra

MM alibi

Cap. xxi. alibi à Bellarmino ad confirmandam confeſſionis ſuæ vim allatam fuiſſe
Ibid. p 47. diximus. Fuiſſe *in illo cœtu, qui affirmatiſſime* diceret *ſe formidandum quemdam virum ſpectaſſe* latrone illo confitente aſtantem, *librumque ſcriptum & calamum manu tenentem, qui quoties ille humi fuſus peccatum aliquod pronuntiarat, id ipſe illico expungebat.* Vnde liquet id miraculum (de cuius veritate equidem puto citra pietatis, ac ſalutis periculum dubitari poſſe) ſi admittatur, nihil Bellarmini cauſſam juvare. Quam enim confeſſionem confirmat, ea non *auricularis*, neque adeo *Sacramentalis*, ſed *publica*, ac, ut loquitur Perronius, *ſatisfactoria* fuit. Itaque, ſi huic narrationi fidem habent Bellarmini ſymmiſtæ, miror quid ſit, quod tanto miraculo commendatam publicam illam exomologeſin tam acriter, tamque animoſe hodie oppugnent, vt non modo confeſſionem huiuſmodi, ſed ne minimam quidem publicæ pœnitentiæ partem ferre poſſint in Eccleſiæ uſum ab Arnaldo, & ſociis poſtliminio revocari. Nam ſi vera eſt divina illa à Climaco narrata viſio; ſi Angelus vere fuit, Deique miniſter, ille criminum latronis expunctor, ac non vel unius ex illis, qui aſtabant, monachis, quoſque melancholia frequenter laboraſſe veriſimile eſt, imaginati, vel ipſius fortaſſe Climaci, eiuſve à quo rem acceperat, figmentum profecto fatendum eſt publícam illam criminum in exomologeſi per ſua genera recitationem Deo gratam, ac probabilem eſſe, meritoque cum tanta eius vis ſit, in quotidianum ac publicum Eccleſiæ uſum recipiendam. Atqui hoc non recentiores tantum monachi abominantur, ſed & Leo Romæ Pontifex iſtis ter maximus, totiuſque Eccleſiæ ſummus apex, fortiſſime reclamat; & qui tale quid in Campania ævo ſuo factitabant, vehementer damnat, *conſtituitque modis omnibus ſubmoveri præſumptionem*
Epiſt. LXXX; (ſic enim ea de re loquitur) *contra Apoſtolicam regulam, ab iſtiu illicita uſurpatione commiſſam*; quem Leonis locum nos nuper totum deſcripſimus. Novum quidem & inuſitatum in Eccleſia fuiſſe illud confeſſionis genus, ipſe qui narrat, qui miratur, & in cœlum evehit, Climacus confitetur; dum quærit ab Abbate, qui latronem ita confiteri juſſerat, *τίνος χάριν τὸ τοιοῦτον ξένον σχῆμα πεποίηκεν, qua gratia tale, tamque peregrinum*, vel *inuſitatum ſpectaculum inſtituiſſet?* Ergo vel ipſius teſtimonio rem novam, & hactenus in Eccleſia minime uſitatam fuiſſe conſtat; quo argumento licet diſcere (ut id obiter dicam) quam graviter errent, qui in ſolenni veterum pœnitentia recitatas fuiſſe publice pœnitentis culpas putant. Sed hæc ſunt ſcilicet Climaci iſtius, & aliorum de eodem genere deliciæ. Hanc habent ſpretæ Evangelicæ doctrinæ, velut rei vulgaris, ac parum perfectæ, mercedem, ut abrupta, & inſolentia, & (ſi verum licet ſimpliciter dicere) ſtulta & delira ſequantur, ac admirentur. Nam ut Leonis judicium ſeponam, nonne res, ac ratio ipſa ſatis clamat, quam abſurdum ſit, quod ab iſto Abbate inventum ac inſtitutum Deo ipſi tantopere placuiſſe narrat Climacus, ut ſcilicet horrenda flagitia, quæque ipſe ait vel *audiri, vel ſcribi nefas eſſe*, ea tamen in frequentiſſimo cœnobij conven-

conventu palam recitarentur, & audirentur? O bellum! ô utile, & ad audientium ædificationem accommodatum acroama! Mitto pestilentem opinionem, quæ ex hac narratione facile hauritur, quemque peccatis eô ipso statim levari, quo ea invercunde & intrepide apud alios recitat; quæ multo maxima est eius doctrinæ pernicies, qua confessioni tantum tribuitur, ut utilem esse putent, etiam iis, quorum animus immutatus manet. Sed redeo ad Climacum, qui his narratis quemdam Abbatis secum habitum sermonem refert, in quo hæc inter cætera loquentem eum facit; ἐπειδὴ τίνας κέκτημαι ἀνεξαγόρευτα πλάσματα ἔχοντας, καὶ διὰ τοῦτο λῃστὴν ἐκεῖνον εἰς ἐξομολόγησιν προτρεπόμενος, ὡς χωρὶς οὐδεὶς ἀφέσεως τεύξεται. *Deinde quod inter meos sint, qui suas noxas nunquam aperuerunt, hoc* (nimirum latronis exemplum) institui, *ut hoc modo eos ad confessionem,* sive *exomologesin commoverem, sine qua remissionem nemo consequitur.* Quæ ultima verba arripit Bellarminus, & ex iis colligit *confessionis, quæ fit homini, necessitatem.* Responde non simpliciter inter nos quæri de confessione, quæ fit homini (nam & qui palam confitetur, ut latro de quo Climacus, is homini quoque confitetur) sed de ea, quæ homini fit uni & in arcano, qualiter pœnitentes confiteri apud adversarios solent. Atqui de arcana hac confessione non videntur intelligenda Climaci verba. Primo enim si ita sumantur, ergo ex iis liquet ne apud ipsos quidem monachos tunc temporis in universali ac necessario usu fuisse hanc confessionem; in quo si fuisset, non est verisimile aliquos in suo cœnobio monachos nondum ea functos toleraturum fuisse adeo laudatum Abbatem; qui tamen diserte testatur *esse inter suos, qui noxas suas nunquam aperuerint:* Vnde porro consequitur eam confessionem multo minus fuisse tunc temporis apud Christianorum vulgus usitatam & frequentatam; nedû ut ad eam necessaria lege (quod volunt adversarij) omnes & singuli obstricti fuerint. Tum propositum istis ab Abbate latronis exemplum ad publicam, non autem ad arcanam & privatam confessionem pertinebat. Ergo ad illam, non ad hanc istos Abbas impellere & animare cupiebat. Ergo de hac non intelligit, cum ait *sine confessione neminem remissionem consecuturum.* Itaque si hæc ejus oratio severe, ac rigide examinetur, stare non potest. Quis enim non videt, quam stultum, quamque absurdum sit negare quenquam sine illa publica peccatorum quam significat, *ἐξαγορεύσει enuntiatione* veniam, aut salutem consequi posse? Si placet hæc sententia, de adversariis quidem omnibus actum est, apud quos (ut notum est) nullum publica illa ἐξαγόρευσις habet locum. Quid ergo est, inquies? Profecto, aut fatendum est istum Monachum parum considerate hæc locutum esse, adeoque merito à nobis negligendum; aut eius verba nonnullâ quidem, sed tamen exiguâ vi adhibita, sic sumenda sunt, ut exomologesin in genere intelligat quamcumque confessionem cum vera peccatorum detestatione conjunctam; sive ea apud Ecclesiam publice (quod isti maxime placuisse videtur) sive apud præsidem in arcano, sive denique apud Deum solum fiat. Nam & hanc quiñ intelle-

CAP. XXI.

Ibid. p. 47.

Cap. xxi. xerit, vix dubitari poteſt; cum verbis ea, quæ deſcripſimus, immediate antecedentibus, locum illum Prophetæ recitaverit, qui de confeſſione apud unum Deum eſt, *Dixi confitebor adverſum me iniuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti iniquitatem cordis mei.* Significat igitur Abbas ſe extraordinario illo & inuſitato, horroriſque & terroris pleno latronis publice confitentis exemplo ſegnes excitare ad exomologeſin voluiſſe; oſtendereque quam ſit negligendus & abiiciendus is pudor, qui multos tenet, prohibetque ab utiliſſimo officio; eam enim eſſe exomologeſeos neceſſitatem, ut peccata nulla nobis à Deo remittantur, niſi quæ confitemur, vel ſcilicet palam, ut modo fecerat ille latro, vel apud Deum, ut paulò ante commemoratus David, vel denique apud præſidem, ut in criminibus excommunicatione dignis neceſſe eſt. Niſi hac adhibita interpretatione vix defendi poteſt Climacus; quæ ſi admittatur, apparet nihil hinc colligi poſſe, vel pro auricularis, vel pro publicæ confeſſionis neceſſitate. Quod ſi quis pertendat Climaci verba de ſola apud homines facta exomologeſi intelligenda eſſe; certè & peccata, de quibus loquitur, neceſſario erunt, non ad omnia omnino peccata extendenda (nam venialium remiſſionem ſine hac exomologeſi haberi etiam adverſarij concedunt) ſed ad unam peccatorum ſpeciem reſtringenda, eorum ſcilicet quæ & capitalia, & manifeſta ſunt; qualia erant & latronis, qui confeſſus erat, ſcelera, & eorum, qui *noxas ſuas nondum aperuerant delicta*; quæ profectò Abbas niſi manifeſta & quibuſdam ſaltem cognita fuiſſent, ſcire non potuiſſet. Sciviſſe autem inde conſtat, quod reos *nondum ea aperuiſſe* pronuntiat. Iam eorum peccatorum, quæ & capitalia & manifeſta erant, neceſſariam olim ex Canonibus fuiſſe exomologeſin confitemur; inde ſequi, omnia peccata quæ hodie habentur mortalia, omnes fideles apud Sacerdotem neceſſario confiteri debere, negamus.

Capvt XXII.

Teſtes adverſariorum XXV. Cæſarius Arelat. XXVI. Cabilonenſium Patrum Synodus I. XXVII. Trullanorum Patrum Canon; quorum omnium dicta ad publicam pœnitentiam pertinere, liquido demonſtratur.

Post Climacum, Bellarminus duo Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi teſtimonia adducit; quorum prius laudat ex hom. 7. quæ in editione Bibliothecæ Patrum quarta, non 7. eſt, ſed 14. extatq; etiam in Auguſtini operibus inter ſermones de tempore, numero 58. quæ adeo cum parentis ſit

sit incerti, spuria censenda est, neque fidem ullam meretur. Cæterum testimonium ipsum, cuiuscumque sit auctoris, nihil adversarij causam promovet. Is enim non quosvis fideles, sed publicæ pœnitentiæ reos alloquitur; ut ex primis homiliæ verbis patet; *Rogo vos* (inquit) *fratres carissimi, ut si fortè aliquis ex vobis, ut se habet humana fragilitas, calliditate Diaboli fuerit superatus, & CAPITALIBUS criminibus involutus, secundum quod ait Apostolus*, Siquis templum Dei in se violando destruxerit, *de Dei misericordia non desperet*. Iam *capitalia* (ut vocat) *crimina*, nonnisi *publica pœnitentia* curari Cæsarius iste diserte, neque uno in loco docet. *Si vero* (inquit) *quisque conscientiam suam interrogans facinus aliquod capitale commisit* (& multa exempli causa recenset) *hæc & huiusmodi commissa expiari penitus communi & mediocri licet secreta satisfactione non possunt; sed graves causæ graviores & acriores & PUBLICAS curas requirunt, ut qui cum plurimorum afflictione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat.* Idem alibi explicata minutorum peccatorum pœnitentia; *Pro capitalibus vero criminibus* (inquit) *non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata & longo tempore procrastinata jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plus quam ipsi valere possumus, eroganda, ultro nos ipsos à communione Ecclesiæ removentes in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam PUBLICE agentes; quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.* Hactenus iste quisquis est, seu verus, seu fictus Cæsarius. Vides, ut capitalia crimina publicæ pœnitentiæ subiiciat. Cum ergo in loco à Bellarmino laudato de eo loqui se profiteatur, qui *capitalibus criminibus involutus est*, quin publica sit ea pœnitentia, quam ab isto diu negligi conqueritur, dubitandum non est, *Vulnera* (inquit) *quæ confitendo, & pœnitendo curare noluit, tegendo vel defendendo putrescunt. Confessionem* requirit (fateor) sed eam, quæ ad publicam pœnitentiam primus gradus erat; de qua nos supra tam sæpe diximus: vel eam fortasse, quæ Græco nomine *exomologesis* dicta, *satisfactio* (ut loquebantur Patres) verius erat, quam ulla verbalis delictorum enumeratio. Itaque ex hoc loco concludas per me licet solenne fuisse istius Cæsarij temporibus ut publice pœnitentiam agentes (quos uno verbo *pœnitentes* appellabant) & crimina sua capitalia apud Ecclesiæ præsides pœnitentiam petentes ederent, ac confiterentur, & accepta pœnitentia exomologesin postea tota inspectante Ecclesia facerent. Vt hinc extundas, tuam illam auricularem ac, ut vis, sacramentalem in unius aurem hominis confessionem omnibus & singulis Christianis tum in usu & quidem necessario fuisse, neque verum est, neque rationi, neque ullius Dialecticæ legibus consentaneum. Ad hanc quoque publicæ pœnitentiæ disciplinam ea pertinent, quæ Bellarminus ex decima (mihi decima septima) homilia describit; *Vnde vos frequenter admonui, fratres carissimi, iterum atque iterum admoneo & contestor, ut qui se cognoscit de littore*

Cap. XXII.

hom. 1 in quadrag.

hom. 8. quæ est in 1. Cor. 3. p. 218. a.

pag. 306

Cap. XXII. *continentiæ tempestate libidinis in pelago luxuriæ fuisse jactatum, & castitatis incurrisse naufragium. peccatorum confessionem, velut tabulam fractæ navis, velociter apprehendat, ut per ipsam de abysso ac profundo luxuriæ possit evadere, & ad portum pœnitentiæ pervenire; ubi jam tutiori loco spei anchoram figere, & salutem perditam valeat reparare.* Hæc ille; Cum autem supra, hom. 1. p. 265. C. *qui veram baptismi tunicam, & speciosam virginitatis holosericam cœno commaculati pudoris infecit*, eum diserte inter lapsos recensuerit, quibus publica pœnitentia necessariò opus est; clarum est eum hoc loco, quem *in luxuriæ pelago jactatum* alloquitur, ad pœnitentiam publice agendam hortari, adeoque ad eam inprimis ab Ecclesiæ præsidibus petendam, à quibus nemo eam impetrabat, nisi causam & crimen suum aperuisset. Somniat bonus Bellarminus dum hæc de sola publice pœnitentium confessione dicta obtorto collo ad suam, quæ omnium omnino Christianorum esse fingitur, rapi posse putat. Sed & idem hic quoque suaviter nugatur, dum magno conatu probat confessionem istam fuisse singulorum in specie peccatorum; quasi scilicet quisquam neget, qui publice pœnitentiam acturi erant, eos apud Episcopum, vel sacerdotes professos esse sigillatim crimina de quibus pœnitentiam suscipere volebant.

Huc quoque pertinet Synodi Cabilonensis a. D. 650. habitæ alibi L. 3. de pœn. c. 5. §. Deinde. à Bellarmino laudatus canon, *De pœnitentia vero peccatorum, quæ est medela animæ utilem hominibus esse censemus; & ut pœnitentibus à sacerdotibus* Conc. Cabil. L.1.c.8. *data confessione, indicatur pœnitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire.* Nimirum *pœnitentiam* ex veteris Ecclesiæ usu *publicam* intelligunt, neque *pœnitentes* alios, quam publice pœnitentes dicunt; quibus solis, ut postea docebimus, sacerdotum ministerium ad pœnitentiam agendam necessarium fuit. Hanc publicæ pœnitentiæ disciplinam Patres illi; cum (ut credibile est) sublabi ac in desuetudinem abire, vel etiam eius dandæ jus à Monachis invadi cernerent (utrumque enim paulò post eorum tempora accidisse & constat, & postea demonstrabitur) ideo decernunt pœnitentiam illam & utilem esse, & à sacerdotibus indici debere. Publicam autem illam pœnitentiam præcessit (fateor) & quidem necessariò peccatoris apud sacerdotem confessio (neque enim is pœnitentiam, nisi confesso, imposuisset.) Sed quam illa confessio ab Innocentiana aliena sit, & sæpius antehac dictum, & deinceps non semel repetendum erit.

Neque aliter quam de publicæ illius pœnitentiæ disciplina accipiendus est qui in hac quoque causa à Bellarmino allatus est Synodi (ut L. 3. de pœn. c. 1. §. In Canonibus. Trull. canon 102. vocant) quini-sextæ Constantinopoli A. Domini 692. in Trullo habitæ canon, Δεῖ δὲ τοὺς ἐξουσίαν λύειν καὶ δεσμεῖν παρὰ Θεοῦ λαβόντας σκοπεῖν τὴν τῆς ἁμαρτίας ποιότητα, καὶ τὴν τοῦ ἡμαρτηκότος πρὸς ἐπιστροφὴν ἑτοιμότητα, καὶ οὕτω κατάλληλον τὴν θεραπείαν προσάγειν τῷ ἀρρωστήματι. *Oportet autem eos, qui solvendi & ligandi potestatem à Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus,*

& ejus, qui peccavit, ad conversionem promptum studium; & sic morbo convenientem afferre medicinam. Eos nimirum peccatores intelligit, quibus publica pœnitentia præscribenda est: & Episcopo concedit μὴ πάντοτε προσέχειν τοῖς θεσμοθετηθεῖσι παρὰ τῶν κανόνων χάριν τῶν ἐπιτιμίων (inquit Balsamo) ἀλλ' οἰκονομεῖν ταῦτα πρὸς τὰ πρόσωπα τὰ ἐπιτιμώμενα, *non iis semper exserte adhærere, quæ de pœnis à Canonibus statuta sunt, sed eas dispensare habita ratione personarum, quibus infliguntur.* In canonibus vero, nullis nisi publice pœnitentibus pœnæ constitutæ inveniuntur. Ad eos ergo solos, Balsamone judice, pertinet hic Canon. Neque sane veteris ullius Synodi constitutiones de pœnitentia leguntur, quæ aliò quam ad publicam referantur. Eadem omnino huius canonis sententia est, quæ secundi Laodiceni; ideoque & à Photio uterque in Nomocanone coniunctus est. Itaque cum Laodicenum supra suo loco exposuerimus, non est quod in hoc diutius immoremur. Atque hæc quidem ex scriptoribus, qui ante octavum Christianismi sæculum vixerunt.

CAP. XXIII. tit. 9. c. 39.

CAPVT XXIII.

Testes adversariorum: XXVIII. Beda. XXIX. Theodorus Studites. Illum de publice pœnitentium; hunc de Ascetarum, neutrum de Innocentiana confessione loqui.

EX octavo ipso Bellarminus Bedam primum laudat, quem a. D. 731. vixisse constat. Is ergo ad illa Iacobi verba, *Confitemini alterutrum peccata vestra,* hæc habet, *In hac* (inquit) *sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana, leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque credamus oratione salvari: porro gravioris lepræ immunditiem juxta legem, sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore iusserit, purificari curemus.* Audio; & fateor hinc haberi *gravioris lepræ immunditiam sacerdoti pandendam esse,* id est confessione revelandam; quæ autem illa sit *gravioris lepræ immunditia,* nego diserte haberi. Itaque nego à Beda eo nomine significari omnia illa peccata, quæ hodie apud suos sacerdotes necessariò confitenda esse statuunt adversarii: negat mecum Arnaldus Sorbonæ Doctor, qui non alia à Beda hic peccata intelligi censet, quam *quæ nonnisi aliqua temporis mora indigent, ad hoc ut per pœnitentiam purificentur;* hincque (& recte sane) colligit Bedæ temporibus non ob alia, quam ob huius generis peccata sacerdotes à fidelibus necessariò adiri debuisse. Neque vero aliud allata Bedæ verba præ se ferunt. Sed quid multis opus est? Ipse Beda diserte alibi nos docet, quænam illa sit spiritualis lepra sacerdoti necessariò ostendenda. Ait esse vel *hæreticam pravitatem, vel superstitionem gentilem, vel Iudaïcam perfidiam,* vel

ub. sup. c. 10. §. Post annum. in Iac. c. 5. De la freq. comm. Part. 2. c. 7 p. 184 hom de 10. lepr.

Cap. xxiii. *vel etiam schisma fraternum*; hoc est (ut liquet) aliquod ex iis criminibus, quæ à Cæsario *capitalia* dici nuper notavimus. Itaque cum talia crimina publicâ pœnitentia necessariò apud veteres procurata fuisse, & ex ipso Cæsario, & ex aliis passim constet; nunc liquet eam confessionem, qua Beda *gravioris lepræ immunditiam sacerdoti pandendam esse* scribit, non auricularem omnium peccatorum ab omnibus & singulis faciendam confessionem, sed eam esse, qua publicam pœnitentiam petentes, quid sibi causæ esset, cur ad hanc disciplinam confugerent, apud sacerdotem explicabant. Ergo ne ipse quidem Beda aliam, quam hanc peccatorum publica pœnitentia dignorum confessionem necessariam fuisse statuit. Ergo cætera omnia delicta nihil tum ex ulla Ecclesiæ lege necesse erat apud sacerdotem confiteri. Ea cuiusque conscientiæ privata & quotidiana pœnitentia sine ullo sacerdotalis ministerij interventu procuranda permittebantur; quod ipsum quoque diserte testatur Beda in loco altero à nobis allato; *Cætera vero* (inquit) *vitia, tanquam valetudines, & quasi membrorum animæ atque sensuum per semet ipsum interius in conscientia, & intellectu Dominus sanat & corrigit.* Ex quibus luce meridiana clarius est, quod nos postea suo loco demonstrabimus, ne octavo quidem sæculo apud Christianos præceptam, vel usitatam fuisse auricularem omnium peccatorum apud sacerdotes confessionem. Atque hinc videre est, quam nihil ad Romanæ confessionis causam faciat illius militis exemplum, quod Bellarminus & hic & iterũ in argumento ex miraculis petito, ex Bedæ historiis offerendum putavit; quem militem narrat *cum ab ipso Rege sæpius moneretur, ut more Christiano peccatorum suorum confessionem faceret, antequam de hoc sæculo exire compelleretur, idque negligeret, tandem horribili præcedente visione ad inferni perpetuos cruciatus raptum, neglectæ, dilataque confessionis pœnas iustissimas dedisse.* Respondeo, ut nihil jam de scriptoris fide dicam, quæ in huiusmodi narrationibus non est undequaque certa ac indubitata, militem de ea facienda confessione monitum fuisse, eamque neglexisse, & eius denique neglectæ pœnas dedisse, quæ tum in usu erat. Atqui eam, non auricularẽ illis temporibus adhuc ignotam, sed aliam fuisse nuper ex ipso Beda ostendimus; quæ scilicet & ad publicam pœnitentiam agendam, & *de gravioris tantum lepræ immunditia*, non autem, ut nunc Romana, de omnibus delictis fieret. Itaque ad hanc tantum, non autem ad auricularem commendandam valet illa, si tamen vera est, Bedæ de milite narratio.

c. 11 § Contemptus.

L. 5 hist Brit. c. 14.

Quod verò deinceps affert Bellarminus ex Theodoro Studite, Græco noni sæculi monacho; id quidem alio pertinere fateor; nego tamen adversariorum dogma constituere. *Theodorus* (inquit Bellarminus) *in vita S. Platonis laudat eundem Platonem, quod ab adolescentia pastori animæ suæ confiteri consuevisset, non minus frequenter, quam diligenter peccata omnia, ad intimas usque cogitationes.* Respondeo parum sincere Theodori mentem referri; quod ut liqueat ipsa eius verba describenda sunt; *Pro*

ludo

ludo (inquit,) *divinas lectiones, quibus attentius erat; pro theatris & spectaculis Ecclesias frequentabat* (Plato) *pro inhonestis diversoriis honesta collegia; quodque laudabilius est, occultas mentis cogitationes, & acta, cuidam eorum qui praerant, sæpius confitebatur. Quæ res magnum religionis illius erat indicium; idque cum perfecte facere solitus esset, ei, qui confessionem ipsius audiebat, admirationem ac stuporem afferebat.* Hæc Theodorus. Non *peccata* proprie, quod vafre fingit Bellarminus, sed in genere *acta, & occultas mentis cogitationes*, id est quosvis vitæ exteriores, interioresve actus, etiam ipsos animi motus, bonos, malos, medios, apud illum *collegij*, id est, ut opinor, monasterij alicuius præsidem exponebat Plato. Atqui hæc non Innocentiana confessio est, in qua non omnia bene secusve gesta, vel cogitata, sed sola peccata revelari mos est; Ascesis est illa monastica, de qua supra ad Basilium diximus; quam Plato non ex communi aliqua totius Ecclesiæ lege, sed proprio judicio ac voluntate, non necessariò, sed libere factitabat, vitam scilicet monasticam meditans; cui mox relicto sæculo se totum addixit, ut narrat in sequenti statim capite Theodorus. Iam monachorum, & eorum qui se ad monachatum accingunt & præparant, exercitationes nihil habent cum necessariis omnium Christianorum officiis commune. Itaque non si Plato, jam tum animo monachus, hanc confessionem usurpabat, sequitur vel eam ipsam, vel aliam Innocentianæ similem fuisse illis temporibus ab omnibus & singulis Christianis ex publica Ecclesiæ lege necessariò (quod nunc obtinet) factitatam.

CAP. XXIV. Theod. in Plat c. 8. apud Sur. 16. Dec. p. 170.

CAPUT XXIV.

Testes adversariorum XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. scilicet Patres Turonenses, Remenses, Cabilonenses, & Parisienses in Synodis nono sæculo habitis. Dicta eorum explicantur; uberiorque expositio in librum sequentem reiicitur.

Hoc loco expendenda essent quædam, quæ à Bellarmino offeruntur, Ecclesiæ Gallicanæ Concilia, sub initia noni sæculi habita, Turonense scil. III. Remense II. Cabilonense II. & Parisiense VI. illa quidē A D. 813. hoc vero 829. Verum de iis opportunius dicemus in altera huius disputationis parte; ibiq; cum bono Deo ostendemus tunc temporis cœpisse quidem privatam pœnitentiam à sacerdotibus indici, frequentiorique quam antea in usu esse; non sic tamen, ut singuli fideles lege aliqua publica cogerentur apud sacerdotem confiteri, (quod fuit diu postea ab Innocentio III. constitutum) neque sic ut crederetur nulla à Deo peccata remitti, nisi quæ pœnitentes sacerdoti confessi essent; à quo adeo

L. 1 de pœnit. c. 5 §. Extat.

NN longe

CAP. XXIV. longe abfuerunt Cabilonenses illi Patres, quos Bellarminus pro se testes adduxit, ut præfati *quosdam dicere Deo solummodo confiteri debere peccata, quosdam vero sacerdotibus confitenda percensere*; ipsi affirment *utrumque non sine magno fructu intra sanctam fieri Ecclesiam*; & paulò post, *confessionem, quæ Deo fit, purgare peccata, Deumque salutis, & sanitatis auctorem & largitorem plærumque hanc præbere sua potentia invisibili administratione.*

Conc. Cabil. c. 33.

cap. 32. Itaque dum iidem decernunt *plene confitendum esse*, præscribunt qua ratione, qui confitentur, id facere debeant; omnes & singulos confiteri debere, non decernunt; quod ut liquet, recta cum iis pugnat, quæ iidem canone sequenti fatentur, ac docent *confessionem soli Deo factam purgare peccata.* Turonensis vero, & Remensis, & Parisiensis Synodorum canones nihil ad rem Bellarmini faciunt; qui in genere tantum decernunt, *ut Episcopi & presbyteri diligenti cautela pertractent, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi, adscribant.* Item, *quomodo confessiones recipere, & pœnitentiam secundum canonicam institutionem pœnitentibus debeant iniungere, & qualiter confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituant*; ac denique *qualiter & confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum modum secundum canonicam autoritatem pœnitentiæ noverint imponere.* Ex his autem sequitur quidem quosdam illis temporibus peccatores Episcopis & presbyteris peccata sua confessos esse, præscriptumque sibi ab iis pœnitentiæ modum observasse (quod nemo negat, cum & pœnitentiam publicam; in qua ista locum habent, & ipsam etiam multo quam antea frequentius, privatam in usu tum fuisse appareat) omnes vero fideles sacerdoti peccata sua coactos fuisse confiteri ita necessario, ut nemini delictum ullum, nisi apud hominem confesso, dimitti à Domino putaretur; nego hinc sequi; nego ex ullo illius sæculi monumento certo colligi ac demonstrari posse. *Verum* de his postea uberius.

Conc. Turon. 3. c. 20. Conc. Rem. 2. c. 12. Conc. Par. 6. c. 32. 46.

CAPUT XXV.

Testis adversariorum XXXIV. Rabanus Maurus. XXXV. & XXXVI. Moguntinæ, & Vormatiensis Synodorum Patres. Ne eo quidem ævo fuisse Innocentianam confessionem.

RABANI verò, qui nono & ipse sæculo floruit, eadem quoque ratio est in allato à Bellarmino testimonio; *Qui transgreditur* (inquit) *mensuram in concupiscentiis carnis, & aggravatur eius delictis, necesse est, ut per confessionem peccatorum fœditatem evomat, & sic per jejunium, & castigationem corporis ad statum pristinæ sanitatis redeat.* Vides, ut de eo loqua-

l. 7. in Eccle-siast. c. 7.

loquatur, non qui simpliciter *deliquit*, sed qui *carnis delictis aggravatur*; quod peccatorum genus publicæ pœnitentiæ olim subiiciebatur. Tum & eum, de quo agit, *necesse esse ait per jejunium & castigationem corporis ad statum pristinæ sanitatis redire*; quod in hodiernis quidem pœnitentibus usque adeo non putatur necessarium, ut multis eorum neque *jejunium*, neque *corporis castigatio* imponatur, veteribus vero publice pœnitentibus ad unum omnibus conveniebat. Ergo Confessionem Rabanus, non adversariorum hodiernam, sed veterem intelligit, quæ ad publicam agendam pœnitentiam, apud Pastores præmitti solebat. Nam Rabani ævo solennem adhuc & communi usu frequentatam fuisse publicam pœnitentiã ipse luculentus testis est in alio opere; *Quorum autem* (inquit) *peccata in publico sunt in publico debet esse pœnitentia, per tempora quæ Episcopi arbitrio pœnitentibus secundum differentiam peccatorũ decernuntur*. Fateor eum ibidem privatam quoque memorare pœnitentiam apud sacerdotem ob occulta crimina agi solitam. Sed hanc Rabani, itidem ut Patrum Cabilonensium pœnitentiam nego eandem fuisse cum hodierna adversariorum confessione. Illa (quod diserte ait Rabanus) *spontanea* erat, hæc necessaria est. Illa adeo libera erat, & in pœnitentium potestate, qui si crimine, licet occulto, gravius urgerentur, quam ut ipsi per se conscientiam explicare & componere possent, ad sacerdotem ultro confugiebant; à quo & consilium & pœnitentiæ modum, & ea impleta, pacem & communionem accipiebant. Aliqua vero lege ad huiusmodi confessionem obstrictos omnes Rabani temporibus Christianos, qui peccati alicuius occulti rei essent, neque Bellarminus, neque alij adversarij probant.

CAP. XXV.

de Inst. Cler. l. 2. c. 30.

Atque huc pertinent duo Ecclesiæ Germanicæ allata à Bellarmino Concilia; quorum prius est Moguntinum sub ipso Rabano A. D. 847. habitum. *Ab infirmis in mortis periculo positis per presbyteros pura inquirenda est confessio; non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda*. Respondeo primò hæc non de quibusvis fidelibus, sed de solis excommunicatis, vel certe publicæ pœnitentiæ reis intelligenda esse. Statim enim addunt illi Patres, *ut si forte migraverint, ne obligati excommunicatione alieni ex consortio bene* (vel potius *bonorum*) *fiant*. Tum paulò post; *Ideo* (inquiunt) *secundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum unctione Dei animati, secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur*. Secundò; Sed & si de quibusvis fidelibus intelligatur canon, non ideo tamen sequetur Innocentianam confessionem jam tum in usu fuisse. Certe nos ipsi, qui eam reiicimus, ab hominibus tamen in tali discrimine versantibus puram quoque confessionem & fidei & peccatorum requirimus. Ergo quod isti in hoc temporis articulo à fidelibus confessionem exigerent, etiam quam nos accuratiorem (qui pœnitentiam, non peccatorum enumerationem urgemus) non eo tamen

l. 3. de pœn. c. 5. §. Nec minus. cap. 26.

Cap. xxvi. fit, ut singuli fideles ad aliquid simile sani, valentesque aliqua lege necessaria compellerentur; neque nisi apud sacerdotem confessi ad Domini mensam (quod nunc fit) admitterentur. Sequitur Vormatiensis Concilij A.D.868. habiti canon; *Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio pœnitentia decernuntur. Debet, itaque sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere; temporum etiam & personarum, locorum quoque & ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, semper qualitate delictorum, atque gemituum uniuscuiusque delinquentis à sacris regulis oculos non reflectat.* Respondeo Patres istos definire quæ ratio sacerdoti sequenda sit in imponenda pœnitentia sive publica, sive privata (hanc enim & ipsam tunc in usu fuisse præter vetustissimorum consuetudinem confiteor.) Non decernere omnes & singulos fideles sacerdotis judicio pœnitentiam facere debere, etiam ob ea peccata, quæ publica pœnitentia digna non sunt: multo minus exigere, ut quotannis, minimum semel, ea confessione fungantur; aut definire nullius peccati veniam sine vocali confessione à Domino impetrari; quæ propriè nunc quæruntur, & ab Innocentianis, contra quos disputamus, constituuntur. Contra, ut postea demonstrabimus, certo constat; vulgarem tum fuisse Theologorum sententiam, interiorem confessionem, quæ soli Deo fit, ad obtinendam peccati remissionem satis esse; quod & ex iis apparet, quæ nuper ex Synodo Cabilonensi II. recitavimus. Itaque hæc, si quod ait Bellarminus, ostendunt *antiquas Germaniæ Ecclesias longe aliter de confessione sensisse, quam Lutheranos* (qua de re nunc non quæritur) non demonstrant certe veteres illos Germanos idem de confessione sensisse ac docuisse, quod nunc Innocentiani sentiunt ac docent. Atque hæc de Germanis satis.

Caput XXVII.

Expenditur & solvitur Nicephori Chartophylacis, XXXVII. testis dictum.

Ad publicam vero pœnitentiam pertinet quod Bellarminus attulit ex Græco quodam scriptore Nicephoro Chartophylace, quem post septimum sæculum vixisse eo constat, quod Canones Trullanos memorat. Eius autem allatus ab adversario locus, qui in neutro eorum fragmentorum apparet, quæ extant in Bibliothecæ Patrum Tomo III. non autem primo, ut ille citat, eius inquam locus sic habet; *Olim omnes oportebat*

oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suaque illis occulta prodere, & sic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum sit, cur haec minus observentur; quamvis existimem Pontifices negotij taedio, frequentique multitudinis turbulentia defatigatos id operae ad Monachos transmisisse, ad eos scilicet, qui vere probati sint, aliuque valeant esse utiles. Haec ille; ex *quibus apparet*, quae sit eius mens. Quaerit unde factum sit, ut poenitentes, quos olim omnes ad Episcopos adiisse & poenitentiam ab iis petiisse constat, suo nunc tempore ad monachos, quorum nullae olim in hoc ministerio partes erant, confugiant, & ab iis poenitentiae suae rationem, modumque & tempus poscant. Respondet se suspicari Episcopos negotij tam molesti taedio id operae monachis tandem dedisse. Ergo quod initio statim ait *oportuisse olim omnes ad Pontifices accedere*, clarissime eam vim habet, ut significet nullos peccatorum ad Monachos, ut nunc fit, olim adiisse poenitentiae petendae causa, sed omnes, quibus quidem poenitentia agenda esset, ad Episcopos necessario accessisse; quod scilicet eorum duntaxat, non autem, ut postea factum est, & Monachorum, esset poenitentiam lapsis dare. Hic Nicephori verus est sensus, iis quae apud vetustissimos Patres leguntur, consentaneus; in quibus nulla poenitentiae à monachis datae exempla reperiuntur. Iam vero qui-nam isti sint, qui olim quidem omnes ad Episcopos accedebant, nunc vero plaerique Monachos adeunt, omnes-ne Christiani baptizati (quod vult adversarius) an ii solum, qui publicae poenitentiae rei erant; non definit his quidem verbis Chartophylax; sed id & ex iis, quae hactenus disputavimus, satis patet, & ex ipso etiam Nicephoro apparet; qui in epistola ad eundem Theodosium, quam in tertio tomo Bibliothecae Patrum nactus sum, totam hanc poenitentię disciplinam in veterum canonibus administrari vult. Iam illi canones nullam aliam nisi publicam, poenitentiam praescribunt. Ergo neque Nicephorus alios Christianos, quam quibus publica illa poenitentia opus est, necessario vel olim Episcopos adiisse, vel nunc etiam Monachos adire debere censet.

CAP. XXVI.

Capvt XXVII.

Nullam ad XIII. *sæculi initia legem in Ecclesia fuisse de confessione arcana, Neque aliud suadere postremos Bellarmini testes* XXXVIII. *Radulphum* XXXIX. *Petrum Damiani*, XL. *Bernardum*, XLI. *Hugonem*, XLII. *Richardum.*

AC tametsi sequentibus sæculis confessionem ad arcanam pœnitentiam, obsolescente publica, invaluisse, ac in vulgarem usum paulatim receptam esse concedam; non apparet tamen eam necessario ac velut ex lege, ante duodecimum sæculum à Christianis factitatam fuisse. Vero propius videtur *spontaneam*, quod aiebat Rabanus, ad ea tempora fuisse. Certe non aliud suadent Radulphi, & Petri Damiani, huius ex undecimo, illius ex duodecimo sæculo adducta à Bellarmino loca. Lib. 3. in Levitic. c. 7. Ille dicit *dignum esse, ut qui peccatorum suorum confessionem facit, consummet ea omnia, quæ ad memoriam revocare potest, Domino pandens, non alia prodens, alia abscondens.* An omnes omnino Christiani *peccatorum suorum confessionem necessario* facere debeant (de quo nunc quæritur) non dicit. Hic vero, Petrus scilicet Damiani, quem anno undecimi sæculi septuagesimo secundo obiisse constat, dicit quidem *confessionem oris pure* Serm. de S. Andr. *faciendam esse, neque partem peccatorum alteram dicendam, alteram tacendam, aut levia confitenda, gravia diffitenda*; cæterum an ab omnibus omnino Christianis facienda sit hæc confessio, & quidem omnibus necessario, nullis libere; non dicit. Item, *sacerdotem quidem vetat de his quæ sub signaculo confessionis accepit aliquam facere mentionem*; Quemlibet vero Christianum necessario apud sacerdotem confiteri non jubet. Ep. ad Desid. de mir. sui sæc. Et quod de confessione narrat miraculum, ad monachos pertinet, ex quotum censu fuit cui id contigisse narrat. Itaque si vel ex isto miraculo probaretur (quod ipsum tamen non est evidens) debuisse illius sæculi monachos sua Abbatibus peccata necessario confiteri; non ideo tamen consequens esset, ut eadem quoque lege vixisse cæteros omnes illorum temporum Christianos putaremus.

Neque sane quæstionem plane ac liquido decidunt, quæ postremo ex Bernardo, Hugone, & Richardo de S. Victore descripsit Bellarminus. Cæterum neque de istis, neque de Petro Cluniacensi, quem iis adiungit, equidem puto admodum contendendum; quod omnes (ut notum est) anno duodecimi sæculi quadragesimo vixerint, & Innocentij III. Pontificatum, qui anno eiusdem sæculi nonagesimo octavo cœpit tantulo spatio antecesserint. Itaque mirum non est, quod labefactata pœne omni & Apostolicæ, & post Apostolos deinceps sequutæ

Ecclesiæ disciplina, aliqui extiterint ultimis istis temporibus, qui confessionem omnium peccatorum cuilibet Christiano apud sacerdotem necessariam fuisse putaverint. Illud quidem ex iis, quæ hactenus disputavimus, clarissimum esse arbitror nullum totis XII. prioribus Christianismi sæculis publicum ac universalem fuisse canonem, quo omnes ac singuli Christiani de omnibus suis delictis apud sacerdotem cōfiteri juberentur. Quo fit, ut quicquid oblatret Bellarminus *a*, verissimum id esse comperiatur, quod à Calvino nostro *b* scriptum est nullam de auriculari hac confessione *statam fuisse legem, aut constitutionem ante Innocentii III. tempora*; qui anno demum 1215. in Concilio Lateranensi IV. suam illam de novo hoc mysterio à nobis initio huius operis recitatam legem fecit, ac promulgavit; quam Florentina postea Synodus A. D. 1439. *c* ac postremo Tridentina *d* A. D. 1563. conclusa, novis atque auctioribus decretis confirmarunt.

CAP. XXVIII.

a ub. supr. c. 13.
b l. 3. Inst. c. 4. §. 7.
c Instruct. Armen.
d Sess. 14.



DE



DE CONFESSIONE AVRICVLARI, LIBER QVARTVS.

In quo demonstratur Innocentianam Confessionem non fuisse in veteri Christianorum *Ecclesia solennem, usitatam, aut cognitam.*

Capvt I.

Argumentum I. inde sumptum, quod Confeßionis Latinæ usus nullus ad hæc ipsa tempora fuerit apud alias vetustißimas Christianismi præter Latinam, sectas; ut apud Æthiopas, apud Indos Sancti Thomæ, apud Babylonios sive Chaldæos, apud Armenios, apud Iacobitas, imò ne apud Græcos quidem plane is sit, qui apud Latinos.



Actenvs expendimus omnia, quæ ab adversariis afferri pro auriculari Confessione solent veterum scriptorum loca; & ex his, quæ diximus, facile ut spero, solui poterunt, si qua præter hæc alia sint à nobis imprudentibus omissa. Ac tametsi jam satis superque ex istis constare possit apud priscos priorum septem, imò fortasse etiam decem sæculorum Christianos non fuisse, ut est hodie apud Latinos, in communi fidelium usu confessionem illam arcanã (neq; enim ea si tum in Ecclesia ex publica aliqua lege usitata fuisset, vel à Patribus tacita & prætermissa esset in tam multis, quæ supersunt, eorum monumentis, vel sicubi apud Patres delitesceret, à tam diligentibus studiosisque adversariis observata non foret) tamen quo res tota fiat manifestior, aliqua nunc vicissim argumenta sunt afferenda, quibus vel necessario, vel certe admodum probabiliter concludi posse

poſſe videtur ignotum fuiſſe veteribus totum hoc Innocentianæ Confeſſionis myſterium.

Primò id non obſcure inde colligitur, quod quædam ſint Chriſtianorum hominum gentes antiquiſſimæ eædem & avitarum traditionum retinentiſſimæ, apud quas ignotus eſt huius Sacramentalis (ut dicitur) confeſſionis uſus; Qualis eſt vetuſtiſſima Æthiopum Eccleſia; quos nunc alij Abyſſinos, alij Abaſſinos vocant. Hos enim Alfonſus Mindeſius, ipſorum ex Ieſuita Patriarcha Latinus, tradit *a*. *communicare abſque ulla prævia confeſſione*. Sic & Gaſpar Paes Ieſuita teſtatur *b* Æthiopes communicare olim ſolitos abſque confeſſione; ſuos vero homines, ut huic errori mederentur; curaſſe cuiuſdam Monachi opera excommunicandos promulgari quicumque non confeſſi communicarent. Eadem narrat Emmanuel Almeida *c*, ipſe quoque Ignatianus, Abyſſinos nunc demum aſſueſcere confeſſioni poſcendæ, *quæ res* (inquit) *nullo apud eos in uſu erat*; *cauſſantes nullam eſſe ritus illius neceſſitatem*. Eo pertinet, quod Franciſcus Alvareſius, iſtis vetuſtior, in itinere Æthiopico refert *d* gentis illius Regem, cum primum ipſe eo inſpectante ſacra ritu Latino, & quidem Natalis Dominici nocte, faceret, ſibique dixiſſet dandam eſſe ſuorum confeſſioni ante communionem operam, miſiſſe hominem, qui hunc Latinorum actum curioſe obſervaret. Res nimirum Regi nova viſa eſt, quia à patrio ſuorum ritu aliena, ut fideles apud preſbyterum ante confiterentur, quam ad communionem accederent. Nicolaus Godignus Ignatianæ ſectæ Sodalis *e*, in opere de Abaſſinorum rebus, ubi eorum proprias de religione opiniones recenſet; *Non ſervant* (inquit) *Chriſti de viatico præceptum. Neque peccatorum numerum, neque ſpecies confitentur, neque id putant neceſſarium*, idque aliquot Sociorum ſuorum apud Abaſſinos verſantium teſtimoniis firmat; ut Ludovici Azevedij, cuius litteras A. D. 1607. die XI. Kal. Aug. datas refert *f*; *Non confitentur* (inquit) *numerum neque ſpecies peccatorum, ſed generatim dicunt, Peccavi.* Mox & Antonii Fernandij ex eodem ſodalitio Epiſtolam de eiuſdem gentis rebus Romam miſſam memorat, in qua ita perſcriptum fuiſſe affirmat *g*, *Nulla præmiſſa aut confeſſione, aut contritione ad Euchariſticam menſam accedunt. etiam illi, qui ſceleratiſſimi eſſe noſcuntur. Non putant eſſe opus, cum peccata confitentur, neque eorum numerum, neque ſpecies patefacere.* Ex his, quæ certiſſima ſunt & ab iſtis αὐτόπτας ſummo conſenſu tradita, apparet illam, quam Zaga Zabo Æthiops apud Damianum à Goes *h* memorat ſuorum apud clericos neſcio, an Monachos confeſſionem, generalem duntaxat fuiſſe, qua ſe peccaviſſe profiterentur in genere. Idem quoque de eo iudicium eſt, quod Hieronymus Oſorius ſcribit *i* *Æthiopes flagitia ſacerdotibus ſæpenumero confiteri.* Quod ait *ſæpenumero*, oſtendit liberam, non legitimam & neceſſariam fuiſſe confeſſionem; Et quæ qualiſque de cætero fuerit, Azevedius, & Fernandius nos docent, eſſe nimirum non ſingulorum peccatorum propriam e[illegible]

a Annal. Æthiop. a. 1626. p. 158.
b Ann. Æth. a. 1624. 1625. p. 53.
c Ann. Æth. a. 1626. 1627. p. 46.
d Alvar. Viagg. Ethip. c. 89. Vol. 1 del Ramuſio fol. 250.
e Godign. de reb. Abaſſ. l. 1. c. 18. p. 171.
f ibid. 173.
g ibid p. 175.
h Dam. à Goes de Æth. mor. lib. p. 206.
i Oſor. de reb. Emman. l. 9. p. 270. 2.

Cap. I. merationem, sed generalem protestationem, qua se peccavisse agnoscunt & profitentur. Sed & Indorum Christianorum, quos *Thomæos* vulgo ideo dici tradunt, quod à Thoma Apostolo in ipsis Christianismi primordiis suam eos religionem accepisse fama sit, eandem quoque cum Æthiopibus fuisse hac de re & opinionem & praxin ex Iesuitarum commentariis discimus. Scribit enim Iarricus *k*, rerum à Iesuitis apud Indos gestarum auctor, illos Christianos, antequam eos Alexander Menesius, Goanus in India antistes, variis artibus, partim vi, partim dolo sub Latinorum jugum A. D. 1599. misisset, *communicare solitos absque ulla prævia confessione*; ac pæne universos festis solennibus Eucharistiam sumere nulla confessione expiatos; huncque istorum errorem fuisse, iterum postea affirmat *l*; Itaque Menesium in Synodo, quam in illis partibus habuit, omnibus illius gentis Clericis inprimis præcepisse *m*, ut confiterentur, antequam communicarent; qui confiteri abnuerent, iis communionem negarent, & in illius Synodi sessione sexta de pœnitentia & extrema unctione actum esse, præsertim vero de confessione, *cuius usum nullum* (inquit) *habebant*, *n*. Menesium mox singularum parœciarum rectoribus edixisse, ut plebes suas universas intra alterũ inde mensem cõfiteri cõpellerent, ac ipsum, quo suum illud Innocentianum mysterium Thomæis commendaret, coram omni populo positis ante presbyterum in tribunali sedentem genibus, ei sua peccata rite in aurem esse confessum *o*. Idem denique narrat *p* Franciscum Ros ex Sodalitio Ignatiano Angamalensem (id est totius Thomææ Christianitatis) Archiepiscopum à Clemente P. R. VIII. paulò post creatum, cum diœcesim suam lustraret mortales in ea nonnullos reperisse, qui peccata ad id tempus nunquam essent apud sacerdotes confessi. Iam cum isti Indiæ Christiani à Babylonico Antistite præteritis temporibus penderent *q*, neque Episcopos haberent, nisi ab eo consecratos, ac ut plurimum ab eius latere profectos; planum est in tota Babylonici Patriarchæ (ut loquuntur) obedientia, quæ latissime patet, & omnium Nestorianorum caput est, neque agnitam, neque usitatam hactenus fuisse *Sacramentalem*, quam vocant, Latinorum confessionem, quam scilicet isti si scivissent, suis Thomæis non minus traditurі, commendaturique erant, quam reliqua suæ disciplinæ capita, ac Nestorianam inter cætera impietatem, qua Thomæos Latini valde infectos se reperisse narrant *r*. Sed præter Æthiopas, Indos, & Babylonios Christianos, Armenios quoque, non ignobilem in Oriente gentem accepimus Latina Innocentianæ confessionis disciplina carere. Hos enim Antonius Gouveanus Monachus Augustinianus, cui magnus cum iis Ispahane apud Persas usus fuerat, diserte negat *s* à communicaturis quærere, an confessi sint, vel de confessione esse sollicitos. Orlandinus Iesuita idem eo fatetur *t*; quod inter repressa à suis Ignatianis apud Indos Thomæos venena, quæ Armenius nescio quis Episcopus ibidem sparserat, nominatim recenset, quod iste palam prædicaret peccatorum

k Petr. Iarric. Indic. L. 6. c. 12. p. 602.

l Ibid. c. 12. p. 612.

m Ibid. p. 623.

n Ibid. p. 633.

o Ibid. c. 13. p. 640. 647.

p Ibid. c. 14. p. 659. 664.

q Id ibid. L. 2. c. 18. p. 514.

r Id ibid. p. 515. 516. Ann. Indic. a. 1599. p. 131. 132.

s Ant. Gouv. de bel. is Scha Abb. l. 3. c. 1. p. 388.

t Nic. Orland. Hist. Soc. Ies. L. 16. §. 10.

catorum confessionem supervacaneam & otiosam esse, quodque cultum sacrarum imaginum tolleret. Denique Alphonsus à Castro de Iacobitis Orientalibus hæreticis hæc totidem verbis scripsit u; *Hic* (inquit) *est eorum error, non esse necessariam hanc clancularium confessionem, quæ in aurem sacerdotis fit; sed sufficit si soli Deo confiteatur.* Cum ergo & locis & moribus & ritibus adeo divisæ Christianorum gentes, quædam etiam contrariis, aliæ Nestorij, aliæ Dioscori dogmatis addictæ, in eo tamen omnes consentiunt, quod arcanam illam Latinorum confessionem nesciunt; fieri vix potest, ut in quo repudiando tam multi, tam cætera diversi, adhæc fere antiquissimi Christiani conspirant, id à Christo Domino institutum, & ab Apostolis veluti divini juris, summæque ad æternam salutem necessitatis dogma traditum fuerit. Cur enim tantæ tamque paternorum rituum religiosæ non familiæ, sed gentes hoc confessionis mysterium apud se obsolescere tandemque penitus exstingui potius passæ essent, quam baptismum & Eucharistiam, & alias, etiam humanas, sed tamen vetustissimas traditiones, quas tametsi minoris si Latinis credimus, momenti constantissime tamen retinuerunt? Nulla tanti inter utrosque discriminis ratio idonea adferri potest, nisi hæc una; Nimirum quo tempore hæ Ecclesiæ à Latina Græcaque divortium fecerunt, cum nondum natum, vel in usum receptum esset confessionis Innocentianæ tormentum, ea secessione effectum esse, ne illæ dogma apud Latinos ac Græcos diu postea inventum reciperent. Quid, quod ne Græci quidem recentiores, quorum Latini consensu gloriari multum solent, plane liquidoque in eorum sententiam ivisse videntur? Certe Arcudium memini, qui se sui Orientis cum nostro Occidente in Sacramentis concordiam exhibiturũ præ se fert, queri alicubi quod tum Græcorum tum Russorum Græcis ὁμοδόξων, Pontifices ac sacerdotes peccata sua nunquam fere apud sacros homines confiteantur. Atqui eam officii partem neglecturos fuisse plane est incredibile, si eam una cum Latinis ad salutem æternam omnino necessariam esse putarent. Itaque si rem accurate expendas, nullam exceptis Latinis, toto orbe reperies Christiani nominis gentem, aut Ecclesiam, quæ totum Tridentinorum de hoc Confessionis ritu dogma plane & ex omni parte probet, atque tueatur.

u Alph. Castro L. 4 adv. Hær. verb. Confessio. fol. 78, b

x Arcud. de Sacram L. 4. c. 1.

Caput II.

Christianismi veteris cum recenti Latino comparatio. Argumentum II. inde ductum quod Pastores de confessione apud Latinos quidem instruuntur, eamque & docent & ministrant assidue, velut nobilissimum sui muneris actum; apud veteres vero nihil fecisse simile usquam reperiuntur in veris antiquitatis monumentis.

SED missis recentiorum Christianorum dogmatis ac ritibus, ipsos jam veteres inspiciamus; eorumque religionem, fidem, ac mores ex superstitibus antiquæ Ecclesiæ monumentis repetamus, diligentissimeque cum hodiernis Latinorum institutis, quoad à nobis quidem fieri poterit, comparemus; sicubi forte auricularem horum confessionem apud illos deprehensuri simus. Cum enim tanta esse putetur huius confessionis necessitas, ut peccati letalis remissio, quaut liquet, æterna salus continetur, absque ea haberi non possit; fieri profecto non potest, quin qui de hoc mysterio sic sentiunt, illius apud eos usus celeberrimus sit, atque commendatissimus. Apud Latinos quidem, quorum illa sententia est, nihil est in tota eorum religione hoc instituto solennius, carius, antiquius, sanctius. Eo plena est omnis istorum vita, clericorum, laïcorum, monachorum, virorum, mulierum, peccatorum, iustorum. Nam ut rem in pauca conferam, & usum per omnes hominum ordines, perque universas & singulas vitæ humanæ partes latissime diffusum breviter omnem complectar; apud Latinos & præfecti de ministranda, & laïci de suscipienda confessione diligentissime admonentur, vixque ullum aliud est pietatis officium, ad quod illi acrius & crebrius urgeantur. Confessio in omni utriusque ordinis vita frequens cernitur ac eminet. Sacerdotes inter omnia sui muneris officia hoc maxime excolunt, in eoque pæne assidui sunt. Illis omnes utriusque sexus adulti in confessionario tribunali se prosternunt, atque advolvunt, sua iis in aurem peccata summisso murmure revelantes, nonnulli quotidie, multi singulis, vel certe alternis hebdomadibus, plurimi unoquoque vel mense vel trimestri. Nemo certe est, qui non quotannis saltem semel apud presbyterum confiteatur. Siquis ne hoc quidem præstiterit, hunc veluti profanum hominem, diris omnibus vivum mortuumque devovent. Ad Eucharistiam quemquam non prius confessum accedere, nefas putant. Mori vero non confessum, miserum atque ominosum ducunt. Itaque & in morbis, maxime gravioribus, & in omni à morte metu ac discrimine, ut in naufragio, in tempestate, in bello, in acie, in longinqua profe-

profectione, aut peregrinatione, in persecutione, siqua à religionis hostibus imminet, in martyrij exspectatione, in ipso etiam (quis credat?) martyrio, confitentur, si licet, quibuscumque Latina pietas cordi est. Mulieres in puerperio pares ob caussas id quoque officij sacerdotibus exsolvere plærumque solent. Etiam ad miracula, ut ad dæmonia, vel alia mala divinitus profliganda expetitur confessio. Sed & læta hoc mysterio dedicare, eorum certe mos est, qui paulò sunt sanctiores. Hos non temere videas vel sacræ alicui sodalitati nomen dare, vel coniugium inire, vel aliud quid paulò maioris momenti aggredi; nisi confessione diligenter expiatos. Sed & sunt certa quædam huius religionis propria tempora; ut tota quadragesima, quædam ut sic dicam, confessionis provincia, in qua hæc longe lateque regnat; maxime die illius initiali, quam *caput ieiunij* vocant, item imminentibus Paschati feriis. Sunt & huius ordinis singula totius anni Sabbata, & Domini natalis, & Divæ Mariæ assumptio, & siqua sunt alia *majora*, ut loquuntur, festa. Sed & religiosioribus mos est suum quemque quotannis natalem diem confessione sanctificare. Mitto quæ extra consuetum rerum temporumve ordinem incidentia ad confessionem haud raro compellant; ut si quid vel acerbi urget, vel lævi imminet; si minister, vel quo carueris, adveniat, vel quo frueris, discedat. Neque ego miror, quod tantum Latinorum sit in hanc disciplinam studium; Illud potius miror, quod eam, qui sic sentiunt, non etiam crebrius, atque studiosius usurpent: Cum enim quæ nostra est fragilitas, plærisque hominibus pauci sine aliqua noxa abeant dies; noxarum vero ea sit ratio, ut quisquis in iis moritur, is in sempiternum exitium incidat, neque illi porro noxas aliter à nobis depelli nisi apud sacerdotem confitendo, posse arbitrentur, equidem non abs re mirari mihi videor, quod isti, si hæc ex animo, quod profitentur, credunt, vel unum diem, vel unam noctem absque confessione secuti tolerare queant, vel sacerdote unquam carere, quibus aliquem ex eo ordine apud se alere, atque habere licet. Iam hæc in Latinorum, ut vita & moribus, sic etiam libris atque litteris, ubique occurrunt, ac cernuntur. Quidni, cum libri quædam sint vitæ humanæ, aliæ clarius, aliæ obscurius, pro auctorum ingenio, atque consilio, ad vivum expressæ icones atque picturæ? Itaque si veterum Christianorum de confessione apud sacerdotem arcana eadem erat, quæ Latinorum est fides, atque sententia; fieri non potuit, quin ut hi nunc, ita & illi olim rem, quam sibi ad salutem judicarent esse necessariam, in istis omnibus vitæ partibus sedulo usurparent, ac factitarent. Quam vero ita assidue in omni vita usurparent, neque profecto fieri potest, ut ea non in libris quoque, quos illi de sua vel religione, vel vita, & de rebus à se suisque gestis scripserunt, passim occurrat, atque memoretur, quemadmodum eandem apud Latinorum scriptores ubique nunc dici, ac memorari videmus. Atqui mysticæ hujus apud unum sacerdotem ex Latina disci-

Cap. II.

Cap. II. plina legitimæ ac necessariæ confessionis mentio in veris veterum ad sæculum usque octavum libris mentio, non dico sæpe ac identidem, non dico aliquoties, sed ne semel quidem facta uspiam reperitur, & ex illis siquid eo referant Latinorum Theologi, id falso ac inscitè eo trahitur, pertinetque vel ad interiorem apud Deum confessionem, vel certe ad publicam peccatorum & gravium & manifestorum pœnitentiam; ut est à nobis in superiori disputatione y abunde demonstratum, non ad hoc Latinorum Innocentianum mysterium. Omnino ergo statuendum est veteres, quum in libris tam multis nusquam memorant confessionem, eam neque sane in vita ac religione sua frequentasse, aut factitasse, neque adeo omnibus ad salutem fidelibus necessariam censuisse, quod si sensissent scilicet, saluberrimum institutum aspernari, aut negligere non potuissent, neque id in vita, morteque ipsa non usurpare. Ac tametsi viris eruditis, & in utrorumque scriptorum, veterum inquam illorum, & horum Latinorum lectione diligenter versatis hæc ita in genere dicta satis esse possint, qui ea scilicet verissima esse vel ipsi jam per se norunt, vel certe facile intelligent, si eorum, quæ legerunt, memoriam serio apud se repetere vel nunc à nobis moniti voluerint, operæ tamen pretium facturi videmur, si vel in rudiorum gratiam, vel ad omnem adversariorum expugnandam pertinaciam, quæ confuse ac velut in acervum congesta simul omnia exhibuimus, ea nunc singula particulatim evolvamus ac consideremus, & in utroque auctorum ordine loca adducamus, in quibus cum supra memoratæ vitæ, religionisque Christianæ partes vel describantur, vel saltem tangantur, confessio apud Latinos quidem semper, apud veteres vero nunquam vel nominata vel significata reperitur.

y L. 1. toto.

Illud primo dixi apud Latinos occurrere, quod Pastores crebro, quoties fert occasio monentur suorũ confessiones diligenter audire, eosq; ad id officij Sedulo cohortari atq; urgere. Catechismus Tridentinus Parochis suis præcipit, ut plebem doceant *z confessionis institutionem nobis summopere utilem, atque adeo necessariam fuisse*; tum ut tradant, *quæ sit eius natura & vis*; firmentque *sine ulla dubitatione eius Sacramentum à Christo Domino fuisse institutum*, tum fidelibus explicent, qui sint rei peragendæ ritus, quæque solennes cæremoniæ, quæ necessitas *, quæ ratio, qui modus, qui minister, inter quę illud etiam inspergit, *a nullam rem fidelibus adeo curæ esse debere, quam ut frequenti peccatorum confessione animam studeant expiare.* Franciscus Xaverius, magnus ille Indiarum Apostolus, ad Iaponas properans, Gaspari Barsæo, homini sui simillimo, quem Armusiã mittebat, mandata quædam reliquit, b quæ Iarricus refert & plurimum laudat. In iis Barsæo præcipit, ut quoscumque inviset, sive vinctos in carcere, sive alios domi, omnes ad confessionem inuitet; ut etiam cum publice prædicabit, auditores ad confitendum hortetur, tum de mercatorum & quæstorum & aulicorum, & militum

z Catech. Trident. de pœn. fol. 311 a. fol. 313 a. f. 315. a. b.

* Ibid. 318. b. fol. 322.

a Ibid. fol. 322. b.

b Iarric. Indic. l. 3 c. 10. §. 1. 4. & 10. 13. ...

propriè

proprie confessionibus multa sigillatim monet. Denique Xaverianæ hujus instructionis, quæ Iesuitici Evangelij medulla quædam est una confessio nō minimam partem occupat. Divi Xaverij magister, ejusdem quoque generis Divus Ignatius, Lainio & Salmeroni, suo instituto dignissimis Sodalibus, quos Tridentum ad Synodum, *suæ Societatis personam in celeberrimo illo totius orbis terræ theatro gesturos* destinabat, paria quoque monita paulo ante dederat c, *aucupandas esse occasiones audiendi & condonandi peccata*; &, *In auscultandis* (inquit) *rite peccatis sic habetote, quicquid in aurem confitentis dixeritis, prædicandum super tecta, ac proinde ea semper animi provisione ad auscultandum accedetis, ac si dicta vestra omnia enuntianda essent in vulgus; sua vero peccata confessis statuetis pœnitentiæ loco precationes aliquas pro secundo eventu Concilij.* Idem in præceptis, quæ sodalibus in novas colonias proficiscentibus tradebat d; *Diligenter* (inquit) *ad Sacramenta frequentanda confessionis, atque communionis, quotquot dabitur, traducetis, & ad ea ministranda promptam ipsi & alacrem operam conferetis.* Huc quoque pertinet, quod Latini ubi sacerdotalis muneris officia recensent, huius fere meminerunt confessionarij laboris; ut Organtinus, unus ex Ignatianis Iaponum Apostolis, qui sua apud istos ministeria hæc enumerat e, *confessiones audire, concionari, & baptizare*; ut Iarricus, qui Iesuitici instituti functiones recensens has diserte edit f. *prædicare, catechismum docere, confessiones audire*, quod ipsum alibi iterum scribit. Sed hæc Latinorum ministri, ut sui esse officij docentur, ita certe pro eo ac decet, diligentissime ubique præstare ac exsequi in rerum ab ipsis gestarum actis cernuntur. Nos ut res sit clarior aliqua de innumerabilibus exempla dabimus. Illi ergo fidelibus suæ curæ commissis, illud confitendi officium & commendant ultro, & id præstare volentibus operam dant. Multa utriusque generis suggerit Orlandinus in eo opere, quo res suæ Societatis ad Ignatii auctoris sui mortē, magno studio, parique facundia est exsecutus. Suorum istic egregia haud parce recensens, nunquā confessionarios eorum labores prætermittit. Narrat Fabrum, insignem ex Ignatij ludo magistrum, Parma discedentem discipulis suis mandata quædam ad vitam pie ac Christiane instituendam reliquisse, ac inter cætera postquam frequentem Eucharistiæ præceptionem commendasset, statim *de peccatis confessione diluendis* percepisse g, hoc etiam edicentem, *ut quotidie priusquam quieti soporique se dedant, peccata sua cum gemitu retractent, & ea statuant certo sacerdoti, destinatoque tempore confiteri; id enim genus esse quoddam spiritalis confessionis.* Et post pauca h; *Nolite* (inquit) *vobis ipsi deesse, quominus octavo saltem quoque die hæc Sacramenta tractetis ac renovetis*; confessionem autem ac communionem intelligit. Aliquanto benignior Ignatius, qui menstruas, non hebdomadales confessiones suæ Societatis auditoribus & discipulis præcipit i; *Audiant* (inquit) *sacrum quotidie; concionem sacris diebus; semel in mense noxas confessione detergant.* Ignatium sequitur Diazius, pueris Malacensibus præcipiens, k *ut noxas animi menstrua per intervalla confessione deleant.*

c Orlandin. hist. Soc. L. 5. §. 21. 23.

d ibid. l. 9. § 13.

e Ann. Iap. a. 1595. p. 57. b.

f Iarric. Indic. L. 1. c. 45. p. 383. & L. 6. c. 17. p. 895.

g Orland. hist. Soc. l. 2. §. 108. 109

h ibid. §. 119.

i Id. ibid. L. 11. §. 13.

k Id. ibid. L. 16. § 82.

Cap. 11.

Quo & illa pertinent, quæ isti passim tradunt vel obsoletam, vel certe labantem multis in locis Innocentianæ confessionis disciplinam strenue ab Ignatianis mystis fuisse restitutam; ut in ipsa etiam urbe Roma. Gloriantur enim Ignatium suum statim ab instituti sui primordiis, cum pauculos adhuc sodales haberet, labore, exemplis, & cohortationibus assecutum esse *l, ut sacræ confessionis, & Eucharistiæ frequens usus Diaboli fraude jampridem exstinctus in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia revivisceret.* Orlandinus *m* vero auctor est eosdem, etiam antequam Romæ pedem fixissent, crebris atque extemporaneis concionibus apud Venetos, *maxime ad renovanda Eucharistiæ confessionisque mysteria, quæ jam pæne consenuerant, hominum animos inflammasse.* Idem Stradæ Socij egregia in Politiano monte efferens; *n Tum primùm* (inquit) *frequentandæ confessionis, & Sacrosanctæ Eucharistiæ mos post tot sæcula renovatus.* Quod & Iaio successisse Faventiæ idem quoq; testatur, *o* quem isticin *usum* narrat *revocasse cõsuetudinẽ crebro usurpandi mysteria* (cõfessionis & cõmunionis) *hebdomadis minimum singulis.* Lhostium idem effecisse in Sicilia idem scriptor significat *p* cum dicit quo tempore illud mysterium in ea insula ministrare cœpit, *propemodum probro fuisse crebram & apertam confessionem*; & paulo post affirmat *q inductam esse Bononiæ à Salmerone novo more frequentem omologesin, frequentemque Synaxin.* Sed & circa Sarzanam invectum à Landino crebræ cõfessionis morem idem alibi refert *r*, qui quo animi ardore, quo pulmone, quibusque lateribus hanc apud auditores causam ageret vel ex eo potest intelligi, quod illo apud Fulginates quodam tempore perorante, idem ait *f* totam pæne concionem exclamasse sese octavo quoque die si audire vellet, de criminibus confessuros. Quo & illud pertinet, quod in Indicis istorum annalibus *t* legimus quemdam alium ipsum quoque ex Ignatij sodalibus, tam efficaci apud Ecclesiam concionatum esse facundia, ut ex æde sacra nemo auditorum ante discesserit, quam sua ibidem peccata apud sacerdotem esset confessus. Ita Latinæ Ecclesiæ ministros videmus auditores de suo hoc Innocentiano mysterio diligenter docere; Eosdem id ipsum suis studiosissime ministrare, id est singulorum apud se confessiones audire, multo etiam crebrius ac clarius ex istorum libris discimus. Narrat Orlandinus *u* Lusitaniæ proceres ab Ignatianis sodalibus ad novam vitam traductos. Quibus artibus? *cum sacræ* (inquit) *pœnitentiæ mysterio* (id est confessione) *tum piarum commentationum usu.* Iaii unius ex istis, ministerium apud Faventinos prædicans, iactat *x* inprimis eum istic, quod nuper dicebamus, in usum revocasse consuetudinem crebro usurpandi mysteria confessionis & communionis; inde ad confessiones magnam fuisse celebritatem, vix ut Iaio respirandi facultas esset. Salmero & Paschasius ex eodem grege, in Hiberniam à Papa missi. Si quæras quid istic egerint? *Aures* (inquit noster *y*) *confitentibus admovebant.* Quid Acaosius Barcinone? *Confessionibus* (inquit) *z non dies, non noctes erant exci-*

l Maffei. de vita Ignat. L. 1. c. 7.
m Orland hist. Soc. L. 1. § 16.
n Id. ibid § 72.
o Id. ibid. l. 1. § 24.
p Id. ibid. l. 6. § 10.
q ibid. § 14.
r Id ibid. l. 8. § 50.
f Id ibid. l. 9. § 34.
t Ann Goz. a. 1510 p. 195.
u Orland. hist. Soc. l. 3. § 101
x Id. ibid. § 24.
y Id. ibid § 18.
z ibid. § 78.

piendis satis. Quid Lainius Brixiæ? *Crebram* (inquit) *a confitentibus aurem adiungebat*. Qui Lhostius in Sicilia? *Confitentibus* (inquit) *b aures dabat*. Quid Polancus Pistorij? *Pernoscebat* (inquit *c*) *& remittebat rite peccata*. Sic Salmeronem, & Lainium memorat *d* Tridenti, tametsi Societatis suæ personam in Synodo agentes (quod quantæ sit molis omnes credo, intelligunt) neque hanc tamen curam esse aspernatos, sed *& rite confitentibus crebras aures dedisse*, & Fabrum Barcinone *e* tametsi ægrotantem, sibi tamen in confessionibus minime pepercisse; & de Sociis Conimbricensibus XV. viros *f cognoscendi ac remittendi peccata jus continenter exercuisse*; Lainium *g* Florentiæ in aula, & in urbis arce confitentibus dedisse operam; Oviedum *h* Gandiæ in confessionibus fuisse occupatissimum; Antonium Gomium, & Consalvum Vazium *i* apud Lusitanos in Evangelij opere adeo fuisse assiduos, ut nullus ferme fuerit dies, quo non ambo ad quinquagenos audierint confitentes; Landinum *k* & Malgrati peccata confessis laxasse, & circa Sarzanam crebræ confessionis ritum induxisse, & tam admirandæ fuisse in audiendis confessionibus patientiæ, ut eas Fulgini ab horis antelucanis ad secundam noctis exciperet; Bobadillam *l* in Germania idem Papæ negotium agentem Hispanis aulicis, Italisque aures in confessione præbuisse; Socios Valentiam missos *m* omnem confitentibus exhibuisse sedulitatem; Nunnium Tituani in Africa totum diem captivis audiendis, solvendisque consumpsisse; Barsæum Mozambici infirmorum in Xenodochio *o*, Goæ vinctorum in carcere confessiones audivisse; Natalem Mamertinorum *p*, Salmeronem Neapolitanorum *q*, Nunnium & Henricium Bazainensium *r*, Herediam Armuzianorum *s*, Canisium Coloniensium *t* pietati similem operam in diversis partibus dedisse. Hinc denique omnes pœne Orlandiniani heroës suas laureas decerpunt. Apud hunc Lainius Pisis *u* Pauperes ad confessionem pellicit; Landinus in insula Corsica *x* frequentem confessionis, & communionis usum docet; Socij *y* bene multos Perusij qui decimum iam annum, & eo amplius ad sacerdotis genua non acciderant, eos ad sua enuncianda peccata & deponenda tot annorum onera pepulerunt; Iidem ubi primum Laureti pedem posuere, *z* quotidie increbrescente confitentium numero, toti se cognoscendis remittendisque peccatis addixerunt; neque temere peregrinorum ad sacram illam ædem venientium quemquam reperires qui suæ se religioni satis fecisse putaret, nisi ab illis expiatus per confessionem recederet. Anno vero sequenti *a* innumerabilem ex toto orbe Christiano excitam peregrinorum multitudinem Lauretum attraxerunt, quod variis linguis instructi omni hominum generi suam in audienda confessione operam impertirent. Lovanij *b* vero cum pauci essent, omnem confitentium celebritatem atque frequentiam ita ad sese rapuerunt, ut in eos plerique civitatis Parochi ac Curiones conspiraverint, stimulante invidia, quæ magnæ scilicet virtutis comes esse solet. Atque hæc

CAP. II.
a Id. ibid. l. 4. § 79.
b Id. ibid. l. 6. § 10.
c Id. ibid. § 12.
d ibid § 27.
e ibid § 78.
f ibid § 87.
g Id. ibid. l. 7. § 10.
h ibid § 61.
i ibid. § 67.
k ibid. § 11. & l. 8, § 30.
l Id. ibid. l. 8. § 11.
m ibid. § 60.
n ibid § 91.
o ibid § 108, 111
p Id. ibid. l. 9. § 14.
q Id ibid. l. 11. § 19.
r Id. ibid. l. 12. § 114.
s Id ibid. l. 13. § 79.
t Id. ibid l. 15. § 19.
u Id. ibid l 10. § 11.
x Id ibid l. 11. § 18
y ibid § 15.
z Id. ibid. l. 13. § 25.
a Id ibid. l. 15. § 11.
b Id. ibid. l. 14. § 17.

CAP. II.

quidem Orlandinus. Cæteri paria habent de suis apud Indias & alibi Apostolis. In annalibus Iaponicis *c* tradunt Cosmum Icoxiuræ in neophytorum confessionibus fuisse occupatissimum; Macchiadem *d* in Gothi insulis captum à Paganis Iaponibus, cum quorumdam confessiones audiret. Alexander Rhodius se ipse narrat *e* apud suos Cocinsinenses diem quidem in mulierum, noctem verò totam in virorum excipiendis confessionibus consumpsisse; & affirmat alibi *f* totas se noctes in prædicatione, confessionum administratione, aliisque similibus transegisse. Item *g* se nunc huc, nunc illuc per varia loca discursantem ad confessionem, ad baptismum, ad alia Sacramenta ministranda ivisse. Longum est ire per singulos. De Sociis Ignatianis in genere sic loquuntur, ut in istis suis provinciis nihil illi aliud fecisse videantur, quam viros ac mulieres sua sibi flagitia, suasque labes, & quid quisque turpiter ac nequiter, vel etiam, inique ac nefarie gessisset, accuratissime in arcano recensentes audivisse. Paquini, *h* Sinarum metropoli, tradunt aliquem de Iesuitis sæpe quindecim dies ad suorum confessiones in Ecclesia audiendas morari; Nangazaci apud Iaponas *i* maximum esse Sodalium laborem, quod ab ægris confessionis causa noctu diuque evocentur, non modo in urbem, sed etiam in agrum suburbanum, ad alteram & tertiam etiam leucam; Socios Indos in Brasilia *k* apud Portum securum plurimum negotij facessere, quod omnium confessiones audiendæ sint, & quidem quorumdam per interpretem; Ibidem Socius Piratiningæ *l* magno cum fructu quatuor pagorum fideles & catechesin docere, & confessione expiare, & Pernambuci *m* ad vicos proximos excurrere ad eadem officia barbaris ministranda. Apud Æthiopas *n* in Sarræ (ut loquuntur) *Residentia* audiendis confessionibus quatuor perpetuo Patres, sæpe etiam septem, nonnunquam octo vacare. Apud Indos Malabares Tutucorini, *o* socios in confessionibus excipiendis, aliisque sui instituti exercitiis esse totos, suaque diligentia, & assidua exhortatione effecisse, ut omnes illius plagæ Christiani quotannis saltem semel confiteantur. Illis quoq; solenne est observare quam crebræ singulis temporibus & locis apud suos confessiones factæ fuerint, quasi ista peccatorum apud unum aliquem sacerdotem enumeratione omnis Christianismi perfectio contineatur. Nangazaci *p* (inquiunt) A. D. 1613. ingens confessionum fuit, etiam generalium numerus. Item, Goæ *q* A. D. 1621. magnus ad Socios ex omnibus ministeriis, præsertim ex confessionibus, redundavit fructus. Ludovicus Azevedius *r* sibi in aula Æthiopica versanti tantam queritur instare, ac veluti incumbere Principum, Ducum, Procerum, militum, clericorum, Monachorum, aliorum multitudinem, noctu diuque confessionem improbe flagitantium, ut ipse, & alter qui sibi adest, Iesuita tanto ferendo oneri pares non sint. Ac ut intelligas confessiones magnas istorum esse delicias, etiam anxiè putant quot capita singulis temporibus apud se in unaquaque Ecclesia confessiones ediderint.

c Epist. Iap. l. 3. fol. 152.
d Trigaut. Martyr. Iap. l. 3. c. 4. p. 607.
e Alex. Rhod. Itin. Eoi part. 2. c. 17. p. 117.
f ibid c. 0 p. 265.
g apud Cardim. Relat. Indic ad a. 1644. p. 111.
h Ann. Sin. a. 1610. p. 165.
i Ann. Iap. a. 1595. p. 234.
k Ann Brasil. a. 1579. p. 68.
l Ann Bras. a. 1632. p. 165.
m ibid p. 169.
n Ann. Æth. a. 1625. p. 35.
o Iarric. Indic. l. 6. c. 19. p. 530.
p Ann. Iap. 1613 p. 11.
q Ann Goæ a. 1621. p. 172.
r Ann. Goæ a. 1623 p. 41.

CAP. II.

rint. Froes litteris mandavit *s* auditas in Iaponia à se & à suis A.D. 1595. confessiones plures, quam centies tricesies mille; Ibidem *t* ipso illo anno in Scimano, & Meacensi tractu à Septembri mense ad annum evolutum confessione expiata mortalium capita 68807. In missione Bungensi *u* auditas esse a. D. 1595. & 1596. confessiones 7000. In Collegij Amacusani territorio *x* 2600. In Ciazzurana Residentia *y* 2000. Cotamæ *z*, totidem.; In Scichi insulæ villis *a* 1893. & quidem fuisse ex iis generales 412. In Ariensi Seminario *b* 7017. In Ximabaræ Residentia *c*, 6410. In Canzusæ item residentia *d* 3800. In Firandensi *e*, 3370. In Congàma *g*, 2044. In Focamensi *h*, 2000. Hactenus Froes. Vides, quam diligenter, quam enucleate omnium rationes posuerit, ut nullus Euclio suorum nummorum numeros ac summulas accuratius omnes in tabulas referre possit! Neque cogites annorum insequentium minus apud istos constare rationes. A. D. 1600. putat Solerius *h* apud duos Iesuitas Amacusæ versantes confessos esse mortales plures, quam 5000. idque in suas historias retulit. Notat idem *i* a. D. 1601. Nangazaci auditas esse à suis Patribus eorum duntaxat, qui semel quotannis confitentur, confessiones 8300. Docet *k* idem a. D. 1602. à Iesuitis per confessionem expiata mortalium capita, Omuræ quidem 22000. Arimæ vero 27000. A. D. 1604. in Gothanis apud eosdem Iapones insulis Rodericus Gironus refert exceptas à suis esse confessiones 1500. A. D. 1605. edunt annales *m* duos Iesuitas Firandum noctu ingressos 300. homines peccatis intra biduum absolvisse (confessione scilicet sigillatim expiatos, neque enim aliter peraguntur hæc sacra) A. 1620. in tractu Firandensi auditas à Christophoro Ferterio Iesuita confessiones 1300. & tradunt annales *n*, & Solerius *o* in historiis memoravit. Ab hoc quoque ad a. D. 1624. discimus *p* in Gotho apud Iesuitam nescioquem confessos esse fideles plures, quam 2000. In annalibus *q* vero legimus alium eiusdem familiæ virum a. D. 1625. Oyani & in viciniis pagis confessiones excepisse 6058. Hæc de Iaponibus, Ne putes fuisse alibi segniores. Annales notarunt *r* Cocini apud Indos auditas esse à suis a. D. 1581. confessiones duntaxat generales 660. & longe plures futuras fuisse admonet, si plures, qui eas exciperent, adfuissent. Iarricus narrat *s* Tutucorini in maritima plaga duos Iesuitas diebus non pluribus, quam quindecim confessiones audivisse mille, & quidem omnes generales. Apud Brasiliam in altera novi orbis parte testantur annales *t* exceptas fuisse à Iesuitis a. D. 1621. confessiones 40000. Generales 155. Sed hæc quidem de istis satis. Iam & in alia parte memorare iidem scriptores solent suorum sacerdotum circa confessionis negotium operam, industriam, ac zelum; nimirum in eorum elogiis & laudationibus. In ipso Breviario *u* Philippum Nerium, de suis recentioribus Divis unum, die eius nomini sacra, celebrantes; *In animarum* (inquiunt) *salute procuranda totus fuit, & in* CONFESSIONIBUS *audiendis ad extremum usque diem perseverans.* Orlandinus

s Ann. Iap. a. 1595 p. 5.
t ibid. p. 150.
u ibid. p. 170.
x ibibid p. 176.
y ibid p. 177.
z ibid p. 184.
a ibid p. 188.
b ibid p. 196.
c ibid. p. 207.
d ibid p. 208.
e ibid. p. 211.
f ibid. p. 213.
g ibid. p. 236.
h Soler. Iap. l. 14. c. 16 p. 164.
i ibid l. 13. c. 16 p. 221.
k ibid. c. 17. p. 238. 241.
l Ann. Iap. a. 1604 p. 87.
m Ann. Iap. a. 1605 133.
n Ann. Iap. a. 1620 p. 175.
o Soler. Iap l. 18. c. 12.
p Id. l. 20. c. 24. p. 831.
q Ann. Iap. a. 1625. p. 66.
r Ann. Cocin. a. 1581. p. 15.
s Iarric Indic. l. 6 c. 19 p. 712.
t Ann. Brasil. a. 1621 p. 107.
u Brev. Rom. Offic. propr. Sanct. p. c. xxvi. a.

CAP. II. dinus Consalvi Mederij de suo sodalitio sacerdotis, morti elogium de more addit, eumque inter cæteras laudes dicit *x* quotidie diluculo descendisse in templum, flexisque ante Sacramentum genibus varias preces fudisse, sacrum inde fecisse, tum operam dedisse confitentibus. Landinum pari loco celebrans hocquoque Palmerij testimonio ornat *y*, virum fuisse invictæ in audiendis confessionibus patientiæ. Neque hoc Solerius in heroum suorum elogiis omisit; ut cum narrata Gonçalis, Ignatiani ad Iaponas Apostoli, morte, præclara viri recensens, tanti eum in res sacras zeli fervorisque fuisse prædicat, *z* ut licet infirmo corpore & quinquagenario maior, ad quinque & sex usque leucas excurreret, vel ad unius hominis confessionem audiendam. Sed & hoc confessionis audiendæ ministerium unum ex præcipuis esse sacerdotalis apud Latinos muneris officiis hinc quoque ex iisdem libris discimus, quod istic passim legimus homines tum maxime ad confessionem concurrere, cum sacerdos aliquis vel in eorum loca advenit, vel ex iis discedit. Hoc enim fere observant scriptores Latini, maxime cum de iis regionibus verba faciunt, ubi pauci sunt ministri Ecclesiastici. Sic Annales narrant, *a* cum apud Iaponas Froës Ignatianus presbyter Sacayum venisset, eo multos ad confessionem faciendam statim advolasse; & in Gothi insulis *b*, quæ annis sexdecim sacerdote caruerant, Iosephum Furnaletum Iesuitam, cum eum tractum invisisset, diebus quindecim plures quam trecentas confessiones excepisse, & quidem plærasque, ut isti loquuntur, *generales*; Duos item Iesuitas *c* à Bungensibus summa lætitia exceptos incredibili repetendæ confessionis cupiditate ardentibus; Quemdam alium *d* de eodem sodalitio in arcem Scinganam profectum multorum istic confessiones audivisse; item eiusdem ordinis Socium *e* Arimam persecutione sæviente clam venisse, & paucis diebus operam octingentis confitentibus dedisse. In Oxu & Deva *f*, Iaponum provincias multos pro fide relegatos, cum eos invisisset Ignatianus quidam Pater, noctu eum confertim convenire solitos, confessionis & communionis gratia, Patrem prætetea leprosos quosdam, cum astu in eorum nosocomium irrepsisset, sacra confessione expiasse; Sungaranos *g* quoque in eodem regno exules, apud Iesuitam, quem ad se penetrasse summopere gaudebant, confessos & communicatos fuisse; Alium eiusdem Societatis hominem *h* à Suani regni incolis Christianis libentissime exceptum fuisse, ita ut omnes apud eum confiterentur. In regno Figeni, quocumque accederet Iesuita, ad eum statim confluere cõfessionis faciendæ causa omnes eius loci Christianos. Hæc ille de Iaponibus De Sinis paria narrant; Pauli Doctoris filium *k* apud Franciscum Sambiasum Iesuitam, qui ad eum venerat, & cæteros quicumque erant in oppido Christiani, confessionem fecisse A. D. 1620. Nanquinicum *l* sacerdos Iesuita eo forte venisset, omnes illico neophytos ad confitendum advolasse; itidem Xamsaiæ *m*, quoties eo de Iesuitis accedit aliquis Pater, omnes fideles diligenter confiteri, etiam

x Orland. hist. Soc. l. 11. §. 66.
y ibid. l. 14. §. 32.
z Soler Iap. l. 13 c. 3. p. 193.
a Id. ibid. l. 5. c. 5. §. 31.
b Id. ibid. l. 9. c. 16. § 155.
c Ann. Iap. a. 1596. p. 14.
d ibid. p. 68. 169
e Trigaut. Mat. Iap. l. 3. c. 17. p. 316.
f Sol. Iap. l. 18 c. 10. p. 610.
g Ann. Iap. a. 1615 p. 344.
h Ann Iap a. 1611 p. 16.
i Ann. Iap a. 1610. p. 18.
k Ann. Sin. a. 1619. p 60.
l Ann. Sin. a. 1620 p. 141.
m ibid p. 145.

etiam esse, qui iterum atque iterum id officij hac data occasione repetant. Anno 1625. eadem de Kienciamensibus *n* sui ritus incolis tradunt, quoties in urbem ventitat sacerdos Ignatianus, solere eos crebro & confiteri & communicare Alexander Rhodius *o* de suis nuper Cocinsinensibus eadem scripsit, cum sæviente persecutione rescivissent eum quodam loco latere, eo frequentes ad confessionem accurrisse. Paria fere memorant cum sacerdotes ex iis locis discedunt, in quibus docuerant, homines antequam Patres dimittant, sua peccata apud eos accuratius, quam unquam alias, deponere; quorum se scilicet ministerio in posterum carituros metuunt. Ita Cosmus Turrensis narrat *p*, cum Amangutio ob civium discordiam & seditiones excedere cogeretur, neophytos ad se accurisse noctu, suaque peccata confessos esse, Patris optime meriti discessum lugentes. Id quoque Solerius in *q* historias suas retulit; cuius geminum est, quod Alexander Rhodius *r* de se scribit, cum esset Principis iussu è Tunkimensis regni finibus migraturus, magnam neophytorum confluxisse multitudinem confessionem exposcentium. In Iaponia, cum Quabacondoni tyranni edicto Latinus Christianismus proscriberetur, Iesuitæque Firandum convenissent sese ad profectionem parantes, tradunt annales *ſ* plurimos eodem loci è variis partibus concurrisse, ut confessionem ante Patrum discessum facerent. Alibi *t* lego eosdem Patres audiendis Iacobi Mimasacæ, & familiæ eius confessionibus biduum impendisse, antequam ex eius domo discederent. Narrant *u* iidem cum sui circa ultimæ persecutionis initia, tota Arimæ ditione proscripti in urbe ad res convasandas pauculos dies ante profectionem hærerent, ad eos quotquot istic erant sui ritus mortales, noctu diuque ventitasse frequentes, confessionis & communionis poscendæ caussa, & paulò post *x* cum tota Iaponia exulare iussi essent, septem diebus, quos Meaci ad iter se accingentes egerunt, non dies, non noctes satis fuisse ad eos homines excipiendos, qui tantulo spatio confessionem & communionem expetentes continenter Patres fatigabant. Iisdem temporibus Tacatæ *y* in regno Bungensi magnam quoque fuisse hominum ad confessionem, etiam e longinquo venientium, apud Iesuitas multitudinem appetente die, quo erant ex Principis decreto in exilium ituri. Denique in postremis, quas quidem ego viderim, relationibus narrat Cardimus *z* Iesuitas è Tunkimi regno, Principis edicto, eiectos non ante discessisse, quàm confessione, neophytos omnes suos expiassent.

n Ann. Sin. a. 162. p. 13 ſ.
o Alex. Itin. Eoi. Part. 2. c. 18. init.
p Epist. Iap. l. 2. p. 116.
q Sol. Iap. l. 3. c. 5. §. 63.
r Alex. Itin. Eoi part. 2. c. 11. p. 111.
ſ Ann. Iap. a. 1586. 87 p. 61.
t Sol. Iap. l. 12. c 7. p. 156.
u Trig. Mart. Iap. l. 1. c. 1. p. 68.
x Id. ibid. l. 3. c. 4. p. 140.
y Ann. Iap. a. 1614. p. 185.
z Cardim Relat. ad a. 1644. p. 81.

Atque hæc quidem Latini vel ad suos ministros, vel de suis ministris. Si confessio in veteri Christianismo eo loco fuit, quo nunc apud istos est, caussa dici nulla potest, cur non similia quoque & priscæ Ecclesiæ ministris ab Apostolis & eorum primariis Successoribus præcepta, & de iis omnibus ministerio sacro fungentibus tradita in Ecclesiasticis illius memoriæ libris leguntur. Videamus ergo si quid simile apud illos auctores

Cap. II. reperiatur. Apostolos quidem totius Christianæ disciplinæ principes auctoresque castissimos atque locupletissimos, quos hoc officium (si vere pietatis pars est) in primis commendare decebat, jam in prima huius disputationis parte *a*, quæ ex diuinis Scripturis erat, abunde demonstravimus ne unum quidem de ea verbum uspiam fecisse. Pauli ad Timotheum, & ad Titum Evangelistas instructiones luculentissimas exhibuimus, nihilo siquid judico vel Ignatianis ad Lainium & Salmeronem, vel Xaverianis ad Barsæum monitis deteriores. Timotheum Paulus Ephesi, Titum in Creta ad opus Evangelij reliquerat; non aliter quam Barsæum Xaverius Armusiam, Lainium & Salmeronem Ignatius Tridentum mittebat. Neque Pauli in illos minor erat, quam in hos Xaverij & Ignatij caritas, neque ipsius confessionis maior nunc est, quam olim erat utilitas & necessitas. Atqui de omni hoc confessionario instituto, quod omnibus Parochis Tridentinus Catechismus, quod suo Lainio Ignatius, suo Barsæo Xaverius tam sollicite, tamque studiose præcipiunt, ac commendant, nullum in tribus Pauli ad Timotheum & Titum epistolis verbum exstare ostendimus; idemque esse Petri *b* de ea silentium in suorum compresbyterorum admonitione. Sed neque id videmus ab Apostolorum successoribus fuisse uspiam commendatum Christianis ævi sui Pastoribus, vel inter Pastoralis muneris partes verbi prædicationi, & baptismi atque Eucharistiæ administrationi accensitum; qualiter Orlandinum & Iarricum Iesuitas nuper audiebamus confessionum audiendarum curam concionandi & baptizandi officio diserte adiungentes. Extat Constitutionum Apostolicarum opus, Clementi quidem Pauli discipulo falso & impudenter inscriptum, sed tamen vetus, & quarto minimum adulto sæculo editum; in quo Apostolos auctor inducit Episcopis omnes sui muneris partes, omnia officia, omnesque functiones, atque earum formas diligentissime præcipientes, atque enarrantes, quæ qualesque scilicet eo tempore, quo liber confectus est, in Ecclesia solennes erant. At in toto opere nulla uspiam reperitur confessionarij istius officij mentio. Episcopo fateor, pœnitentium cura commendatur *c*, sed eorum, qui publicæ ex priscorum ritu pœnitentiæ rei erant, quos *foras* Episcopus, ubi eos peccavisse cognoverit, *abycere*, & *Diaconis* pro iis *rogantibus* ad pœnitentiam admittere, eaque legitimo tempore functos atque probatos ad Ecclesiæ communionem recipere jubetur. Sed hæc, ut omnes vident, pœnitentia plane alia est ab ea, quæ apud confessionale Latinorum tribunal clam & in arcano fit, nemine, ne presbytero quidem aut Episcopo, præter unum Confessarium, conscio, nedum ut in ea aliquæ sint Diaconorum ad deprecandum partes. Iam neque in veterum Pastorum actis uspiam occurrit ille confessionum excipiendarum labor, iam crebro, tam ubique in Latinorum ministrorum gestis obvius. Apostolorum Actus habemus à Luca divinitus conscriptos. Sed neque istic quemquam eorum, vel aliorum

a supr. l. 1. c. 1.

b 1 Petr. 5. 1. 2. &c.

c Const. Apost. l. 2. c. 15. 16. (Bov 10. 18. 19.)

aliorum ministrorum legi alicuius Christiani hominis baptizati confes- Cap. II.
sionem in arcano audientem, jam supra *d* satis demonstravimus. Ex- *d* sup l. 1. c. 1.
tant & Petri Actus in Recognitionibus, fidi quidem illi, sed quos ta-
men nemo negaverit, & vetustissimos esse, ante annum tertij sæculi
quinquagesimum editos & ad Ecclesiæ illo tempore florentis titus atque
disciplinam effictos, ut dubitari non possit, quin auctor Innocentianæ
confessionis mentionem in suo illo dramate crebram facturus fuerit,
æque ac Orlandinus in suo fecit; si illa, vt nunc apud Latinos est, ita a-
pud tertij sæculi Christianos in usu fuisset. Atqui in toto illo opere,
quod decem libris constat, ne semel quidem memoratur clancularia ista
confessio. Locus ibi est, ubi Petrus Cæsarea discessurus discipulos, quos
illic instituerat, & quibus Episcopum ac presbyteros duodecim ordina-
verat, novissime alloquitur, præceptisque ad vitam Christiane insti-
tuendam munit, plane ut Fabrum Parmensibus ante discessum monita
quædam dantem supra audiebamus. Faber quidem statim *de peccatis con-
fessione diluendis* suos docebat, iubebatque octavo saltem quoque die illa
confessionis sacra repetere. Quid Petrus suis Cæsariensibus apud Cle-
mentem? Ille vero plane alia omnia. Cæsarienses jubet Zacchæum E-
piscopum suum honorare *e*, ut Christi locum servantem; ab ipso susci-
pere doctrinam fidei, monita autem vitæ à presbyteris, ordinem disci- *e* Clemens Recogn. l. 3. fol. 24.
plinæ à Diaconis. Præcipit viduarum, pupillorum, pauperum, juvenum
curam, mutuam inter se caritatem; Denique Deum colere, Christo cre-
dere, invicem diligere, opere & rebus caritatem implere. De confessio-
ne, quam nunc Faber Parmensibus, Ignatius discipulis, Diazius Mala-
censibus, veluti Christianismi proram ac puppim tam sollicite præci-
piunt, Petrus suis Cæsariensibus ne unum quidem verbum apud Cle-
mentem facit. Ac catechumenos quidem ille diserte ad Zachæum di-
mittit *f*, baptismum ab eo rite suscepturos; Fideles vero ad presbyteros *f* Id. ibid. D.
nullus amandat confessionem apud eos facturos. Sed neque vel ipse, vel
alius ab eo iussus minister cuiusquam fidelis confessionem excepisse in
toto opere legitur. Docere, prædicare, adversarios refellere, catechu-
menos instituere, institutis baptismum ministrare, episcopos & presby-
teros, & diaconos ordinare, alia Christiani sacerdotij munia Cæsareæ,
Antiochiæ, alibi passim obire ex illius, quæ tum erat Ecclesiæ ratione
atque usu fingitur; Aliquem in arcano fidelem peccata sua ei narrantem
audire nusquam fingitur. Quidni? Quia scilicet id erat à Christianorum
disciplina alienum. Cypriani Carthaginensis Episcopi, vitam Pontius
eius Diaconus edidit; in qua non fictos, sed vere gestos præstantissimi ac
laudatissimi antistitis actus exsequitur. Sed nusquam istic eum legimus
fidelium Carthaginensium confessiones, vel *ab horis antelucanis ad secun-
dam noctis* audivisse, vel *quinquagenas aliquando confessiones uno & altero
die excepisse*, vel *crebram quotidie confitentibus aurem admovisse*; quod de
suis prædicantes Iesuitas supra exhibuimus. Episcopatus Cypriani actus
hos

Cap. II. hos Pontius alicubi *g* paucis complexus edit, *virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam & habitum lectionis Dominicæ frenis coercere, lapsos pœnitentiam docere veritatem hæreticos, schismaticos unitatem, filios Dei pacem & Evangelicæ precis legem*. Gentilium blasphemias repercutere, consolari lugentes, ad misericordiam & patientiam suos erudire, livorem inhibere, martyres erigere, confessores animare. Hæc in episcopatu egisse Cyprianum, & ipsa eius opera nos docent, & Pontius hic diserte adfirmat. *Confessiones* fidelium ullas audivisse neque ex Pontio, neque ex Cypriano intelligimus. Neque vero est, quod rudis aliquis adversarius hic sibi blandiatur, vel de *confessoribus, quos animasse*, vel *de lapsis quos pœnitentiam docuisse* dicitur. *Confessores* enim hic intelliguntur, non qui peccata apud sacerdotem in arcano sed qui Christi nomen atque disciplinam apud adversos infestosque magistratus palam atque aperte confitebantur; *Lapsi* vero non quivis Christiani, sed qui suam professionem vel idololatria, vel alio gravi ac infami crimine maculantes, *fidelium* nomen amiserant, & pœnitentiæ publicæ rei erant, quod ex ipsius Cypriani libris abunde supra demonstratum est. *h* Eadem observanda sunt ad Ambrosij, Martini, Chrysostomi, Augustini; Germani; Honorati, Hilarij, Fulgentij, Cæsarij, & aliorum vitas, fuse à veteribus eorumdem temporum auctoribus scriptas. Neminem istorum illic reperies, vel diem quidem in mulierum, noctem vero in virorum confessionibus audiendis consumpsisse (quod de se ipso prædicabat Alexander Rhodius) vel invidiam collegis ob raptam ad se omnem confitentium celebritatem fecisse; quod de Iesuitis Lovaniensibus scribebat Orlandinus. Siquid vero in illis veterum libris, ut in Paulini de Ambrosij vita opere, scriptum reperitur *de confitentibus suos lapsus ob percipiendam pœnitentiam*; id (ut & supra demonstratum est *i*, & in sequentibus latius confirmabitur) ad publicam illius sæculi solennem pœnitentiam pertinet, cuius qui erant rei, ii Episcopum adire, & lapsus suos, suamque de iis pœnitentiam profiteri, & satisfactionis apud Ecclesiam rationem exposcere solebant. Hæc vero apud veteres solennis publicæ pœnitentiæ disciplina quam esset à confessionario Latinorum mysterio aliena, hoc (ut cætera utriusque discrimina nunc mittam) satis superque arguit, quod illa nunquam nisi semel, peccatoribus singulis dabatur *k*; hoc, non modo quotannis sed etiam singulis mensibus, hebdomadibus, imo & diebus repeti potest, & à multis revera repetitur. Itaque horum ministri, quod ex superioribus liquet, suos hortantur, ut creberrime confessionem faciant; quidam octavo quoque die, ut Faber Parmenses suos; alij singulis mensibus, ut Ignatius & Diazius suos discipulos, omnes, ut minimum semel quotannis. Apud veteres nemo, plane inquam, nemo vel Episcopus, vel presbyter reperitur, qui pœnitentiam, & confessionem apud sacerdotem, quæ pœnitentiæ præmittitur, suos non dico quotidie, non singulis vel hebdomadibus, vel mensibus, vel annis. sed vel semel in omni vita

g Pont in vita Cypr. p. est. III.

h Supr. L. 3. C. 5. & 6.

i Supr. l 3. c. 11.

k Vid. Bell. de pœn. l. 1 c. 12. §. Secundo pœnit.

vita iterare iusserit, vel hortatus sit. Imò vero siquis quid huiusmodi fecisset, id pro monstro acceptum esset, & qui fecisset, is pro homine stulto, totiusque Ecclesiasticæ disciplinæ rudi atque ignaro habitus esset; à qua pœnitentiæ & pœnitentialis confessionis iteratio vehementer abhorrebat. Equidem publicam illam pœnitentiam, & confessionem ei necessario præmittendam, concedo apud veteres fuisse, & in eorum scriptis inter episcoporum actus interdum occurrere, quam scilicet Episcopi lapsis dabant; Sed raro, quia nimirum non ab omnibus Christianis (ut Latina hodie confessio) sed ab iis tantum peccatoribus exigebatur, qui gravi ac manifesto crimine sese polluerant, eoque Christianismo nuntium si non verbis, certe factis ac re ipsa miserant, ac ne his quidem sæpius, sed in omni vita semel tantum dabatur. Hinc est quòd hanc à veteribus raro; illam à Latinis frequentissime ac pæne assidue memoratam in utrorumque libris videmus. Quod si præter publicam pœnitentiam, confessionemque ei præire necessario solitam, quam nos concedimus apud veteres fuisse, imo & ipsi, qua licet, peccatoribus manifestis apud Ecclesias nostras indicimus; alia insuper olim fuisset confessio ac pœnitentia, clam apud unum sacerdotem, non à certis tantum peccatoribus, sed ab omnibus Christianis adultis; non semel, sed frequentissime quovis anno, ac mense, imò quavis hebdomade facienda, hæc profecto in veterum æque ac in Latinorum libris, veluti legitimum, necessarium, ac iuge hominis Christiani officium, passim quoque atque assidue occurreret. Suos sacerdotes prisci scriptores narrarent in audiendis fidelium confessionibus fuisse occupatissimos; huc illuc ad eas excipiendas discursasse; noctu diuque ad ægrotos ea de causa vocatos fuisse; alicuius parœciæ fidelibus confitentibus quatuor, septem, octo presbyteros dedisse operam, neque tamen tanto labori pares fuisse, & cætera eiusdem generis non pauca, quæ nos nuper ex Iesuitarum scriniis recitabamus. Atqui ne semel quidem apud veros primæ antiquitatis scriptores quicquam de illorum temporum Episcopis atque presbyteris ita dictum invenitur. Quid de illa tam ad minimas atque minutias accurata confessionum enumeratione dicam, quæ certis temporibus in quibusque Ecclesiis, urbibus; provinciis fiunt? Illa quidem in Iesuitarum libris passim occurrit (nam præter ea, quæ satis multa attulimus, alia apud illos reperiuntur eiusdem generis propemodum innumerabilia.) Apud veteres vel unam harum similem confessionum in una aliqua Ecclesia uno anno factarum enumerationem requiro, & ab istis posco; imò certus sum nunquam eos simile exemplum vel unum ex veris quidem libris edituros; ut negari non possit Frois, Ignatiani illius calculatoris, quem nos in putandis Iaponum apud suos symmystas confessionibus, adeo accuratum morosumque supra exhibebamus, plane singularem fuisse hanc laudem, nullius ex priscis Christianis heroibus cum eo communem. Atque hinc videre est, quam non modo diversæ, sed etiam oppositæ,

QQ contra-

Cap. II. contrariæque inter se sint hæ duæ, veterum inquam Christianorum & hodiernorum Latinorum disciplinæ. Sacerdoti ad pœnitentiam confitentium paucitas apud veteres Ecclesiæ laus erat; est apud Latinos labes; contra vero eorumdem multitudo apud hos laus est; quæ apud veteres labes & vitium erat. Latini si quos cœtus corruptissimos esse volunt significare, in iis vel nullos, vel rarissimos esse Christianos prædicant, qui apud sacerdotem confiteantur, quale illud est Orlandini *l* de Zeilanensibus præsidiariis, *nullam apud eos confessionem fuisse.* Quos vero vitæ emendatissimæ, accuratissimæque pietatis fuisse significant, apud eos fere dicunt frequentissimam esse communionem, quod idem quoque Orlandinus *m* de aula Lusitanica scripsit in hunc sensum. At si quis olim hæc de duabus Ecclesiis dixisset, eam omnes orationem plane aliter intellexissent. Putassent enim significari in priori quidem Ecclesia omnes ita pios, honestosque fuisse, ut nemo esset in ea dignus excommunicatione; in posteriori vero omnes ita mendosos, atque contaminatos, ut ne vnus quidem in ea reperiretur communione dignus; pœnitentiamque publice fecisse, in hac quidem omnes, in illa vero neminem existimassent. Inde & illa altera inter veteres Christianos, & Latinos nostros diversitas, quod hi quidem pro vitiati ac labefactati apud suos Christianismi argumento censent confitendi apud sacerdotes desuetudinem; ut ex iis patet quæ Maffeius & Orlandinus supra dicebant, ille *de frequenti confessionis usu diaboli fraude in ipsa urbe Roma exstincto*; hic vero de confessione apud Siculos eo usque contempta, *ut crebram & apertam pæne probro ducerent.* Nihil usquam simile apud veteres reperire est. Gravis extat Cypriani *n* de Christianarum Ecclesiarum corruptis longa pace ante persecutionem moribus censura atque expostulatio, avaritia atque luxuria, periuriis & fraudibus, maledictis, odiis, dissidiis nostros passim laborasse; ne sacerdotes quidem communis contagij expertes fuisse; ipsos Episcopos *derelicta cathedra* negotiationes mundanas exercuisse. Maffeius; vel Orlandinus hic inprimis questi essent exstinctum confessionis usum fuisse, sacerdotes non modo *cathedram*, sed & tribunal confessionarium dereliquisse. Cyprianus, quanquam in prolixa vitiorum & flagitiorum enumeratione de obsoleto, vel neglecto confessionis mysterio plane nihil dixit. Huius gemina est Eusebij de corruptis nostrorum ante Diocletianeam persecutionem moribus querela *o*; qua ille & clericorum & plebis labes tangit, illorum ambitioné, & φιλαρχίαν, contentiones & fœdam discordiam, omnium desidiam ac mollitiem, divinique cultus oblivionem, & alia eiusdem generis mala non pauca. De confessionis studio vel exstincto vel remisso nullus queritur. Neque alius est veterum, qui inter Ecclesiæ mala illum confessionis apud sacerdotem arcanæ contemptum numeraverit, quem nunc Iesuitæ, velut ultimam Christianismi labem deflent. Indignatur Orlandinus, quod propemodum probro esset apud Siculos crebra illa confessio. Atqui vel

l Orland hist. l. 11. §. 119.

m Id. ibid. l. 14. §. 97.

n Cypr. l. de lapsis. p. 194. 195.

o Euseb. hist. l. 8. c. 1.

vel semel apud sacerdotes ad pœnitentiam ex legitima Ecclesiæ disciplina confessum esse, probro erat apud veteres. Certè qui pœnitentiam apud sacerdotes legitimam egerant, ab omni Ecclesiastici ministerij honore excludebantur p; nulli autem apud presbyteros confiteri tenebantur, nisi qui publicæ pœnitentiæ rei erant. Ergo confessum esse apud sacerdotes ex publica lege, in veteri quidem Ecclesia probrum erat; in Latina vero hodie adeo probrum non est, ut etiam laus sit. Nimirum confessio apud sacerdotem facta, in veteri quidem Ecclesia, ubi nulla ex lege nisi ad publicam pœnitentiam erat, confitentem arguebat fuisse criminosum, gravisque & manifesti peccati reum; In Latina vero Ecclesia, ubi sæpe ac pæne semper est ad privatam, interdum etiam ad nullam pœnitentiam, confitentem nulla nota perstringit, quem religiosum potius quam peccatorem fuisse significat. Sed nunc cætera exsequamur. Latinos diximus suos sacerdotes in eorum elogiis sæpe à confessionali labore laudare; merito; quis dubitet? si hic labor muneris sacerdotalis pars est, ut illi definiunt, propemodum potissima. Sed neque huius laudationis ullum est in tota antiquitate exemplum. Cyprianum Pontius, Gregorium Neocæsariensem, & Ephremum Nyssenus, Athanasium & Basilium Nazianzenus, Ambrosium Paulinus Afer, Martinum Sulpitius, Ioannem Chrysostomum Palladius, Theodoretus, & Georgius Alexandrinus, Augustinum Possidius, Honoratum Arelatensem Hilarius, Hilarium Massiliensis Honoratus, Germanum Altissiodorensem Constantius, Fulgentium Ruspensem Ferrandus, Cæsarium Arelatensem Cyprianus, alios alij veteris Ecclesiæ vel Episcopos, vel presbyteros laudarunt. Cedo ex istis unum, quem *in confessionibus audiendis ad extremum usque diem perseverasse*, dicant, ut Divum suum Nerium Latini in Breviario, vel *virum fuisse invictæ in audiendis confessionibus patientiæ*, quod de Landino suo scribit Orlandinus, *vel ad quinque & sex leucas quinquagenarium sæpe excurrisse, etiam ad unius hominis excipiendam confessionem*; quod est à Solerio de Gonçale proditum. Frustra hæc apud veteres sacerdotum elogia quæsieris. Non alibi invenies, quam apud hos Latinos, vel post, vel certe paulo ante Innocentianum de confessione decretū natos. Deniq; neq; id in veteris memoriæ libris videmus, quod in Latinis recentioribus frequentissime deprehendi allatis supra exemplis non paucis docuimus; homines scilicet fideles ad Pastores in aliquem locum venientes, vel ex eo discessuros confessionis gratia potissimum concurrere. Narrat Paulum Lucas q Troadem exspectatum venisse, & quidem inde post septem dies discessurum, multa apud fratres verba fecisse, & sermonem ad mediam noctem protraxisse, sic, ut unus audientium somno victus de tertio cœnaculo ceciderit exanimatus, è fenestra super qua forte sedebat, lapsus, & hunc à Paulo mirabiliter fuisse in vitam revocatum. Si Papæ Romani, Divique Ignatij vel Apostolus, Paulus, vel Evangelista, Lucas fuisset, ne dubites, quin istorum Troadensium

QQ 2 plures

Cap. II.

p Bell. de pœnit. l. 1. c. 11. §. Tertio.

q Act. 20. v. 6. 7. 8. 9.

Cap. 11. plures quam centum confessiones, & ille auditurus, & hic auditas memoraturus fuerit. Neque enim credo, vel Paulus Furnaleto segnior, qui trecentas diebus quindecim audivit, vel Lucas Solerio ignavior erat, qui ea de suo Paulo prætermitteret. quæ Solerius litteris de suo Furualeto mandauit. Paulum idem Lucas r narrat Ephesios & Milesios gravissima, tenerrimaque oratione veluti supremam allocutum esse ab iis discedentem; ut in simili caussa Cosmus Amangutianos discessum ab iis suum luxisse referebat, ita & Lucas tradit Ephesios de illa Pauli profectione vehementer doluisse, flentes, & super eius collum procumbentes, atque osculantes; eo impensius, quod prædixisset ipsos faciem suam non esse amplius visuros. Sed quod illo loco addit Cosmus Amangutianos apud *se confessos esse*, eius nihil simile in tota hac narratione habet Lucas, neque vel leviter innuit quemquam Ephesiorum tali tempore ei viro confessum esse, quem se posthac nusquam visuros esse putabant. Dionysius Alexandriæ Episcopus apud Eusebium narrat, ut f Æmyliani præfecti iussu à sua Ecclesia avulsus in Cephro, Lybiæ vicum, exulatum abierit, ut exulantem multi fratres eo usque comitati sint; ut inde Colluthionem paulò post, eodem Præfecto mandante, demigraverit, magnam inde consolationem animo percipiens, quod cum locus ab Alexandria propius abesset, speraret se istic suorum aspectu, litteris, & nuntiis facilius fruiturum. Hæc & quædam alia de suo à suis discessu commemorat Dionysius. De fidelium Alexandrinorum ad confitendum in illo rerum articulo concursu, cum carissimus Episcopus vel ab iis discessit, vel Colluthionem propius ad eorum urbem accessit, plane nihil dicit, quæ Iesuitas in paribus suorum temporibus sedulo referentes audivimus. Victor Vitensis (qui a. D. 487. scripsit) narrat, cum Hunnerici tyranni iussu Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Afrorum ingens numerus una cum aliis plurimis fidelibus in exilium eremi abducerentur, venisse ad eos ex agris & urbibus magnam vim piorum utriusque sexus suos abs se Pastores abstrahi ac divelli ægerrime ferentium, suamque orbitatem ita complorantium; *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fluctibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus* * *collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est*, Quæcumque solveritis super terram erunt & soluta in cœlis? *Qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus divini sacrificij ritus exhibendus est consuetus?* Hæc apud Victorem. Mitto, quod istorum fidelium nulli apud abeuntes Episcopos ac presbyteros confessi fuisse dicuntur; quorum vestigiis parvulos liberos ad pedes projecisse, benedictionem eorum (ut credibile est) excepturos, diserte memorantur. Hoc quæro, Qui queruntur & suos liberos baptismo, & suos lapsos pœnitentia & pace Ecclesiastica, & suos mortuos solennibus sepulturæ orationibus, & se denique omnes divino Eucharistiæ sacrificio in posterum

r Act. 20. 17. 37. 38.

f apud Euseb. hist. l. 7. c. 11. (Lat. 10)

Victor. de persec. Vand. L. 1. Bibl. Patr. T. 7. p. 600. D.

* al. manus.

Ibid.

sterum carituros (Pastoribus scilicet suis orbatos) cur non iidem de- Cap. II.
flent se neminem habituros, qui eorum quotidianas de peccatis confessiones in arcano audiat? Nimirum ista quidem, quæ commemorant; sacerdotes suis plebibus administrare solenne erat; confessionem vero hanc fidelium Innocentianam audire, nondum institutum erat. Nemo enim non videt & hoc istos officium sibi per Pastorum exilium eripi fuisse conquesturos, si id unum tum fuisset ex Pastoralis muneris officijs. Certe absurdum esset, qui sacerdotalis orationis solatium morientibus defuturum dolent, eos nullum amissæ confessionis arcanæ desiderium viventes testari, si eam quidem, æque cum Innocentianis scivissent, & ad salutem necessariam putassent. Neque verò est, quod quis regerat hanc Afros istos fideles arcanam Latinorum confessionem, intelligere, cum gementes quærunt, quinam *sibi pœnitentiæ munus collaturi, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi sint.* Hęc enim verba, nō ad novitiā Latinorū, sed ad solennem veterū disciplinā apertissime pertinent, in qua lapsi pœnitentiam poscebant & impetrabāt à sacerdotibus; qua rite & quidem palam ac publice peracta, ab iisdem publice quoque & in totius Ecclesiæ oculis reconciliabantur, quæ sunt à mysterio Latinorū confessionali plane aliena. Sub initia sexti sęculi Fulgentius Ruspensis Episcopus, Trasamundi Regis Vandali, qui Hunnerico successit, imperio in Sardiniæ exilium reportandus, Carthagine navi est impositus, quæ contrario ventorum flatu retenta, cum diutius in littore hæreret, tradit Ferrandus *per dies plurimos omnem penę illuc civitatem convenisse* (viri nimirū sanctissimi amore ac desiderio excitam) *& de manu eius valefacientem communicasse.* Dicit quidem vt vides, *communicasse*; *Confessam* vero apud Fulgentium esse (quod in simili loco nunquam Iesuitæ omittunt) cur non itidem dixit? Tardus est, qui hinc non intelligit *communicare* quidem priscis istis fidelibus apud suos præpositos solenne fuisse; non fuisse item apud eosdem *confiteri* de peccatis. Hoc enim si æque ac illud alterum, solenne & usitatum fuisset, omnes vident nullam causam esse cur in hac narratione, qui fideles Carthaginenses de *Fulgentij* discedentis *manu communicasse* scribit Ferrandus, non eosdem quoque diceret *apud eum in aurem confessos esse.* Alia multa ex Christianæ antiquitatis monumentis ad hanc causam adferri possent. Sed hæc, ut videtur, satis sunt, ut quivis intelligat confessionis in arcano audiendæ officium inter sacerdotij Christiani actus à Latinis quidem scriptoribus passim ac pæne semper, quoties datur occasio, memorari, à veteris vero Christianismi auctoribus, nunquam. Vnde id quod diximus, patet nondum apud nostros primis illis sæculis receptam fuisse Innocentianam Latinorum nunc solennem confessionem.

Ferr. Vita Fulg. c. 25. init.

Caput III.

Argumentum III. inde ductum, quod confessio arcana inter religiosos quorumvis fidelium actus, clericorum, monachorum, laicorum, Principum, privatorum, procerum, plebeiorum, virorum, mulierum, &c. apud Latinos quidem recentiores præcipuo passim & ubique loco apud veteres vero Christianos nullo unquam vel uspiam censetur, aut memoratur.

Hactenus de confessione, quatenus eam sacerdotes vel docent, vel excipiunt. Nunc eandem videamus, quatenus fit, atque exercetur à fidelibus. Vt priori ratione in sacerdotum vita & actibus; ita posteriori, in piorum quorumvis, sive laïcorum, sive clericorum rebus crebro, ac pæne ubique apud Latinos occurrit. Primò ipsi ne apud Paganos quidem tacent quos ad sua sacra convertere student, ad confessionem illam suam omnes fideles obligari. Narrat enim Iarricus *u* Iesuitas apud Achebarum, potentissimum Mogorum apud Indos Principem, eundemque Ethnicum, prædicasse *præcipua, & ad quæ maxime obstringimur, officia hæc esse, ut confiteamur, & communicemus.* Tum hanc confessionem, quandam à se censeri pietatis veluti tesseram, eo satis docent, quod ut aliquem sui ritus fidelem esse, vel egregios in sua pietate progressus fecisse significent, commemorant eum apud suos presbyteros vel simpliciter, vel etiam crebro confiteri, ut in Annalibus, cum Seltanum Cequeo, Æthiopum Imperatorem, significare volunt Latinam religionem ex animo amplexum esse, scribunt *x* eum bis terve apud quemdam Iesuitam esse confessum; Et Orlandinus aulæ Lusitanicæ insignem pietatem describens *y*, *Frequens* (inquit) *erat omnium confessio, & ad divinam mensam accessus.* Altera vicissim ex parte, quorum vel vitam, vel religionem insigniter corruptam esse significant, eos hac maxime nota describunt, quod non confiteantur; Vt idem ille Orlandinus Lusitanorum, Zeilanis insulę præsidiariorum flagitiosissimos, ac impurissimos mores describens, postquam eos dixit festos ac profestos dies nullo discrimine habuisse, jejunia contempsisse, pudorem exuisse, libidinibus ac stupris, & Saracenorum contubernio omnia polluisse, tandem & hoc velut impietatis culmen adiicit *z*, *neque peccatorum ullam apud eos confessionem fuisse.* Ac siquis non sponte, sed invitus, ob sacerdotis scilicet penuriam confessione careat; id vero isti diligenter observant, ne cui sua calamitas fraudi sit. Vt Solerius *a* Minciam, principem Firandi mulierem laudans, & summas, quas ante annum ætatis vicesimum jam assecuta erat, virtutes efferens, notat eam totum quadriennium minime fuisse

u Iarric Indic. l. 5. c. 12 p. 75.

x Annal Æth. a. 1610. p. 27.

y Orland. hist. Soc. l. 14. §. 97.

z Id Ibid l. 12. §. 119.

a Solet. Iap. l. 10. § 56.

fuisse confessam, quod nulli istic fuissent toto illo tempore Iesuitæ. Idem alibi narrat *b* alium nescioquem optimę fidei Iaponem annis decem pari de causa confessionem nullam fecisse, sed ei summo Dei beneficio Iesuitam unum post tam longas moras contigisse, qui confessionalem hominis sitim tandem expleret; Parem quoque fuisse aliorum ex civitate Namba Iaponum fœlicitatem, *c* qui cum Innocentiani huius mysterij solatio multis annis caruissent, & in Iacobum tandem Carvalium Iesuitam incidissent, cupidissime apud eum confessi sunt; Fuisse & illustrem in eadem gente fœminam *d*, quæ cum viginti annos absque confessione in Ethnici Principis matrimonio tolerasset, Iesuitam postremo nacta apud eum totam vitæ suæ conscientiam magna cum animi voluptate exposuit. Siquando verò ipsi etiam sacerdotes confessi non fuerint, ne id quidem Latini scriptores tacent, sed causas diligenter docent, cur tam necessario pietatis officio defuerint; Qualiter Barreiram Iarticus sui ordinis *e* hominem, apud Nigros in Africa versantem, quod nulla istic esset ministri copia, tres annos totos minime confessum fuisse tradit, magno interim exsolvendi huius officij desiderio flagrantem. Alexander verò Rhodius *f* sibi ipse apud Cocinsinenses evangelizanti sacerdotem annum unum defuisse scribit, totoque adeo illo tempore sibi confessionis solatio carendum fuisse; Vbi verò sacerdotem nancisci primum potuit, magno se studio confessum esse. Atque hæc quidem isti. Iam quoties gentis, Ecclesiæve alicuius, vel etiam singulorum fidelium historiam narrant, & Christianæ eorum pietatis actus memorant, confessionem iis locis nunquam fere prætermittunt. Seinedus Kiatimensium apud Sinas neophytorum Christianorum enarrans, inprimis hoc in eo rerum genere recenset *g*, quod Missæ adessent, quod confessionem expeterent, & ad eam se sacerdoti sisterent. Ita & Duartes à Sylva Iaponensium neophytorum pietatem exsequens *h*, eos præter alia, quæ edit, mysterium confessionis sane quam diligenter frequentare dicit propitiandi Domini causa. Paria in Annalibus de Ciemoiansensibus apud Sinas Christianis legimus *i*, eos omnes & cætera sacramenta, & præsertim confessionem frequentare, & alibi Omuranos Iaponas *k*, quorum numerus ad viginti millia accedebat, omnes nullo excepto se quotannis ad sacerdotis pedes; accusandi sui causa abiicere, & in Brasilia *l* captivos utriusque sexus singulis hebdomadibus confiteri, in sua ipsos corpora flagellis ad pœnitentiam sævire, & Divæ Matris rosarium quotidie recitare. Hæc sunt scilicet Latini Christianismi palmaria facinora. Sed neque parcius hæc in singulis viris, ac fœminis memorant, quam in vniversis cætibus. Francisci Bungensis apud Iaponas Regis ad sua sacra conversi vitam describentes narrant *m* eum confessum esse & communicasse frequenter. Alibi duos Sinas, *n* alterum patrem, alterum filium, recens conversos eadem ambos die cōfessionis mysteriis simul esse initiatos. Froës tradit *o* uxorem Toxi Stichi (*Tonus* magistratus, seu Præfe-

Cap. III.

b Id ibid. l. 18. c. 18. p. 650.

c Id. ibid. c. 19. p. 673.

d Id. ibid. l. 19. c. 6. p. 671.

e Iarric Indic. l. 3 c. 49. initio.

f Alex. Rhod. itin. Eoi part. 2. c. 41. p. 136.

g Seined. Sin. Part. 1. c. 10. p. 383.

h Epist. Iap. l. 2. fol. 101. b.

i Ann. Sin. a. 1610. p. 149.

k Ann. Iap. a. 1596. p. 214.

l Ann Bras. a. 1577. p. 107.

m Sol Iap l. 6. c. 8. § 110. & Ann. Iap. a. 1581 p. 1-1

n Ann. Sin. a. 1613 p. 89.

o Ann. Iap a. 1596 p. 138.

Cap. III. Præfecturæ apud Iaponas nomen est) marito in bello absente, noctu recitasse litanias, & confessam esse frequenter, suisque ut eadem facerent, imperasse; & Magdalenam *p* ex eadem gente nescioquam, Latino ritu valde piam, inter alios religionis actus narrat confessionem fecisse. Ipsos Loyolæ primos Socios tradit Orlandinus *q* cum relicta Lutetia in Italiam tenderent, regnique Galliæ fines egrederentur, animos confessione rite repurgasse. Cætera de genere hoc innumerabilia mitto. Illa libare satis erit, in quibus suorum pietatem laudantes, confessionem inter præcipua eius specimina memorant, quod tum in gentium, provinciarum, & Ecclesiarum, tum etiam in singulorum utriusque sexus fidelium elogiis observare est. Prioris generis hæc sunt. Orlandinus Lusitanorum egregios in pietate progressus collaudans, à quo tempore Ignatianos magistros nacti erant *r*, *Maxima* (inquit) *nobilitatis pars octauo quoque die, vel cum rarißime singulis saltem mensibus sacrosancta confeßionis, & Eucharistiæ mysteria capere reverenter instituit.* Idem ubi docet *s* quantopere Colonienses sub Fabri Iesuitæ disciplina profecissent, *Ingens* (inquit) *ad confitenda rite peccata cursus hominum erat.* Denique nullo magis argumento Ignatianorum sacerdotum discipulos laudat; *Bononienses t*, quorum Salmeroni confitentium turbam tantam fuisse dicit, ut vix ei *ad ea commentanda, quæ pro concione diceret, otij aliquid superesset*; *Portuenses u* in Lusitania, apud quos confitentium vis tanta fuit, ut cum quatuor Iesuitę in eorum audiendis confessionibus à prima luce ad tenebras occuparentur, ne sic quidem accedentibus morem gerere pro voluntate possent; *Salmaticenses, x* quorum tantam dicit ad Stradam multitudinem confluxisse, ut cum satis aurium præberi nullo modo posset, rogandi complures fuerint, suos ut parochos, aliosve sacerdotes adirent; *Silenenses* in Carfagnana *y*, quorum confitentium turbæ cum unius Landini aures sufficere nequirent, aliorum sacerdotum operam ad eos audiendos necessario fuisse adhibendam; *Arnusianos z* in Perside, quos ad Consalvi Rodericij pedes undique immensa vi concurrisse gloriatur. Neque aliter alij de suis apud Indios, vel Orientales, vel Occidentales Christianis loquuntur. *Brasilienses a* mirantur, quod tantæ sint in confitendo diligentiæ, ut iis audiendis major anni pars ab Ignatianis Patribus danda sit. *Iapones* non semel suspiciunt. alij *b* quidem quod confessionem multo cum labore, lacrimisque peragant; Alij *c* quod nullam gentem cognoverint ita pietati ac pœnitentiæ deditam, plane *ut in confeßionis ac Eucharistiæ mysteriis obeundis religiosi cœnobitæ potius, quam tirones ac neophyti esse videantur.* Est qui *d* eos confessionis causa ex 50. & 60. leucis advenire prædicet, *religione* (inquit) *caritateque in Deum sane admirabili.* Alius *e* se primò ad eorum pia ac religiosa facta attonitum miraculo prorsus obstupuisse præfatus; *Nam quid ego* (inquit) *de confeßionibus dicam, quas nonnulli scripto exsequuntur, & quidem totius sesquianni* (quo scilicet toto tempore caruerant sacerdote) *antea octavo, aut decimoquinto quoque die confiteri*

p Ibid. p. 194.
q Orland. hist. Soc. l. 1. §. 113.
r Id. ibid. l. 5. §. 80.
s Id. ibid. l. 4. §. 89.
t ibid. l. 6. §. 14.
u ibid. §. 91.
x Ibid. l. 9. §. 61.
y ibid. l. 10 § 81.
z ibid. l. 12. §. 111.
a Ann. Brasil. a. 1577. p. 61.
b Epist. Iap. l. 2. fol. 121.
c ibid. l. 1. fol 166.
d ibid. l. 4. fol. 206.
e ibid. p. 117. 118.

confiteri soliti? *Bungenses*, Iaponum civitatem, Fernandius *f* à pietate commendans, narrat eos se pœnitentiæ (quo nomine confessionem præcipue contineri notum est) & Eucharistiæ Sacramentis identidem munire, subinde se verberibus punire, horarias preces quotidie recitare. Gagus eosdem *g*, qui quidem oppido propius aberant, se confessione singulis sabbatis confirmare non sine magna laude scribit. Froës *h* denique multos ex iis Nangazacum itinere difficillimo venire jactat, tum ad faciendam confessionem, tum ad visendas ædes & cruces. Ipsum verô Nangazacenorum populum idêm, ut religiosissimum laudans *i*, tantæ in mysterium illud Innocentianum devotionis esse testatur, ut honoratissimi & principes viri longinqua itinera haud facile ante suscipiant, quam animos suos confessione ab erratis expurgarint. Paribus Iesuitæ flosculis exornant alias quoque non paucas Iaponum civitates, ut Firandinos *k* quos Solerius ad presbyteros procul ad Xequium consistentes, confessionis causa agminatim venisse refert; ut Facatanos *l*, quos Froës ait plurimum delectari confessionis sacramento, ut Voianos *m*, quos idem memorat tanto flagrare confessionis desiderio, ut Iesuitæ apud eos versanti nullum dormiendi tempus suppeteret, ut Itagimenses, quos Bonelli annales ferunt duodecim leucas confecisse, ut Confessarium nancisci possent. Sed neque hac laude vel Sinæ, vel Indi apud istos scriptores carent. Sinæ erant illi Kiatimenses, quos Diazius *n* palmam cæteris provinciis in confessionum frequentia præripere judicat, & magno ad confessionem animi impetu ferri, disciplinasque, cilicia, & jejunia viros mulieresque fortiter suscipere, idque Iesuitis visu longe fuisse jucundissimum. Cocinsinenses, & Corajanos, Sinarum, sed ex diversis partibus conterminos, iidem quoque similibus elogiis decorant. Illos *o* sane, gentis Apostolus Alexander, Latini ritus zelo ita flagrare affirmat, ut ad confessionem faciendam, missamque audiendam dierum quindecim iter conficere non dubitent; se quidem nulla re magis affici, quam pia cura & sollicitudine, qua illi se ad confessionem & communionem præparant; hæc enim potissimum sacramenta eo amore, eaque veneratione prosequi, quam ipse non semel sit admiratus; Nunquam ad ea accedere, quin pridie jejunaverint, confitentes autem haud parcius lacrymari, quam si ingens aliquod scelus, aut flagitium admisissent, tametsi (inquit) *p* optima fide affirmare possim usque adeo integros ac emendatos esse eorum mores, ut plærumque ac pæne semper post auditas unius, non viri, sed oppidi totius confessiones vix reperirem, unde eos absolverem. Corajanos vero Froës *q* jampridem eo commendaverat, quod confessione delectarentur. Apud Indos cis Gangem Paravarum pietatem celebrans Iarricus pœnitentiæ sacramentum eos sic frequentare scribit *r*, ut præcipuum Iesuitarum, qui istic præsunt, negotium sit confessiones audire, totamque gentem omnino ita se gerere, ac si perpetua quædam apud eos ageretur quadragesima. Idem Madurensium in eadem

Cap. III.

f Ibid. l. 4. fol. 96 b.

g Ibid. f. 198 a.

h Ann. Iap. a. 1596. p. 226.

i Ibid. p. 214.

k Sol. Iap. l. 5. c. 7. § 60.

l Ann. Iap. a. 1595 p. 111.

m Ibid. p. 178.

n Ann. Sin. a. 1621. p. 157. 170.

o Alex. Rhod. Itin Eot. part. 2. c. 11. p. 101.

p Ibid. p. 178.

q Ann. Iap. a. 1596. p. 212.

r Iarric. Indic. l. 2. c. 8 p. 410.

Cap. III.

India neophytorũ devotionem extollens prædicat *f* eos cõfeſſioni & cõmunioni eſſe mirum in modum deditos. Sed hæc de totis Eccleſiis ſatis ſunt. Neque vero earum iſti partes aliter laudant; ut recens baptizatos; quo ex ordine Froës quoſdam Iapones commendat *t*, qui ante quartum non amplius menſem tincti, magna tamen devotione confeſſionem de peccatis fecerint.; Vt Sodales in Mirſæ Principis ditione Parthenios, quos eo in Annalibus *u* nomine celebrari videmus, quod ſingulis menſibus confiteantur & communicent, ſuoque exemplo totam illam Eccleſiam ad eundem ritum provocent; Vt Ieſuitici, quod apud Iapones erat ſeminarij alumnos, quos ſacramentorum frequentatione, maxime vero confeſsionibus generalibus pietatem ſuam aluiſſe tradũt *x*. Sed nunc ad ſingulos veniamus. Orlandinus Hieronymum quemdam Natalem miris laudibus effert *y*, quarum præcipua argumenta hæc ſunt, quod ille vitam apud Ignatium confeſſione omnem expiaverit, Ieſuitaque inde factus Ignatianæ domus hortulano & coquo optima fide miniſtraverit. Trigautius Li Pauli principis apud Sinas viri pietatem eo potiſſimum commendat *z*, quod ſacerdoti Ieſuitæ peccata in aurem frequens confiteretur; quod chriſma confirmationis qua carebat, peroptaret; quod ædem Ieſuitarum reviſere, ſiquando ab ea abeſſet, percuperet. Alterius ex eadem gente Doctoris Michaëlis præclara celebrans Diazius *a*, *Viri* (inquit) *devotionem in ſuſcipiendu confeſsionis. & ſacra communionis ſacramentis non poſſum verbis pro rei merito, ac dignitate explicare.* Et in huius familia, quæ centum erat capitum, Trigautius alibi ſcripſerat *b*, confeſſiones fieri generales, quæ etiam cum Europæis certare poſſint; ipſaſque ibi mulieres confiteri, quantumvis is ſexus apud Sinas arcte cuſtodiatur. Alterius Sinæ ex ciuitate Namſiuim religionem laudans Diazius refert *c* hominem, quoties alicuius ſibi peccati, quamlibet levis, eſſet conſcius, toties ſi liceret, ſolitum eſſe confiteri. In Iaponum laudibus eadem prædicantes videre eſt. Iuſumandonum Auguſtæ Iaponicæ nepotem, frequenter de peccatis confiteri, & acri flagello in ſuum corpus deſævire ipſum ſolitum tradunt *d*, famuloſque habuiſſe utriuſque diſciplinæ imitatores. Ita Simonem, Cigudoni filium, egregium adoleſcentem, & raræ in ſua ſacra pietatis, inter cætera præclara, unoquoque menſe ſacram confeſſionem feciſſe narrant *e*, nulla non hebdomade funiculis in ſe animadvertiſſe, & cilicium crebro geſtaſſe, & quoſdam juvenes, domi nobiliſſimos, Omuranos ni fallor, laudantes neque hoc omittunt *f*, eos ad confeſsionem ſacram crebrum habere perfugium; & illuſtrem quemdam adoleſcentem, ſedecim annos natum, de eius pietate mira prædicantes, ter illo ipſo anno confeſſum eſſe aiunt *g*; & Sacondonum, uirum eiuſdem ordinis negant *h* ullis occupationibus ſinere ſe avocari, quo minus ſuis temporibus confiteatur, & alium quemdam nomine Ioannem, ſcribunt *i* nullis matris, aut amitæ minis induci potuiſſe, ut quicquam de more Ieſuitas ad confitendum adeundi

f ibid. l.2. c. 24. p. 785.
t Ann. Iap. a. 1591. p. 58.
u Ann. Goæ a. 1620. p. 101.
x Ann. Iap. a. 1596. p. 193.
y Orland. hiſt. Soc. l. 5. §. 16. 7.
z Trig. Sinic. l. 5. c. 3 p. 491.
a Ann. Sin. a. 1612 p. 166.
b Ann. Sin. a. 1611. p. 272. 273.
c Ann. Sin. a. 1613 p. 74.
d Ann. Iap. a. 1604 p. 11.
e Ann. Iap. a. 1605 p. 135.
f Ann. Iap. a. 1596 p. 11.
g ibid. p. 167.
h ibid. p. 168.
i ibid. p. 169.

CAP. III.

adeundi detraheret, & ex eadem gente puerum fuisse duodecennem *k*, qui in Divæ Virginis sodalitatem allectus rosarium quotidie recitaret, & confessionis causa Omuram nonnumquam iraret. Adolescentem item neophytum nobilem ob pietatem incredibilem extollentes recitant *l*, Sacayo ad visendam Bungensem Ecclesiam venisse, & octavo quoque die post rite peractam confessionem cum lacrymis communicasse. Mioxindoni, viri illustris secretarium, tanto fuisse in sacra sua zelo testantur *m*, ut omni mense octo vel decem leucas conficeret ad visendos confessionis, & communionis causa Iesuitas. Leonem, Gubernatoris si bene memini, Meacensis filium, & eius consobrinum Michaëlem, adolescentes Organtinus tanti facit *n*, ut eos Divorum aliquando numerum aucturos sperasse videatur; Horum autem præclara in suo Christianismo specimina recensens *n*; *Iam* (inquit) *tertio de peccatis confessi sunt.* Inter cæteras laudes, quas Annalium scriptor in Paulum Vchubirorum, unum de Iaponicis Martyribus, plenis manibus effundit, neque hanc prætermisit *o*, quod is confessionis & communionis sacramenta frequentaret, se ipse crebro haud perfunctorie verberaret; & beatissimos Ignatij sodales tantum non adoraret. Sed & mulieres, si quas ob pietatem laudant, confessionis fere studiosas fuisse talibus in locis tradunt; ut Maxentiam *p*, illustrem ac principem apud Iaponas fœminam, quam in *confessione errata sua continenter ipsam explicasse*, & unoquoque mense post factam cõfessionem cum singulari animi sensu Eucharistiam percepisse narrant, quin etiam in supremis, tametsi nihil sibi consciam, confiteri tamen, apud Iesuitam, qui aderat, voluisse. Iidem annales Dominam Mitiam, Toni Firandini nurum, perhibent *q* quotannis sacerdotem Iesuitam confessionis faciendæ causa, domum suam advocasse; Marinam, cuius Christianam ex Latinorum ritu mortem Solerius litteris in historia mandavit *r*, non tacent annales *s* fuisse in confitendo frequentem. Hæc de Iaponibus. Iam in rebus Indicis Princeps Mirza, cuius & virtutes & amicitiam singulari prætorio prosequuntur, quanti hoc officium fecerit, eo satis docent, quod illum narrant *t* ægerrime tulisse suum ex Iesuitarum familia sacerdotem ex aula sua Goam revocari, quod ita cõfessionis sibi usus eriperetur; tantumque fuisse optimi Principis ob hanc jacturam dolorem, ut toto bimestri, quo Iesuita abfuit, ab omni carnis esu abstinuerit. Iidem inter cæteras Laurentij Soarezij glorias, adolescentis in Goano Seminario mortui, quem pæne ut Divum, vel certe ut Beatulum efferunt, hanc non postremam censent *u*, quod singulis hebdomadibus confiteretur, & communicaret. Sed & XX. Viris, qui Barzæo in Ignatiano instituto strenue Armusiæ laboranti operas & ministeria sua ultro obtulerunt, hoc inter alia singularis pietatis specimina tribuunt *x*, quod octavo quoque die confessionem & communionem frequentarent. De Henrico Henriquez, Ignatiano Indiarum Apostolo, in elogio tradunt *y*, quod opus de ratione confitendi lingua Tamul à se

k ibid. p. 116. 117.

l Epist. Iap. l. 4. f. 188. a.

m Soler. Iap. l. 1. §. 31. c. 5.

n Ann. Iap. a. 1594 1595. p. 39.

o Ann. Iap. a. 1606. p. 388. 391. 395.

p Ann. Iap. a. 1597. p. 201. 202. 203.

q Ibid. p. 221.

r Soler. Iap. l. 16. c. 2.

s Ann. Iap. a. 1606. p. 31.

t Ann Goæ. a. 1610. p. 102.

u Iarric. Indic. l. 5. c. 3. p. 24.

x Id ibid. l. 4. c. 4. p. 397.

y Ibid l. 6 c. 19. p. 327. 328.

RR 2 conscri-

Cap. III. conſcriptum ediderit; quod ipſe (credo, ut litteris commendatum dogma ſuo exemplo ſanciret) toto quidẽ illo quod mortẽ præceſſit triennio, bis ſingulis hebdomadibus; viginti vero diebus ante eum diem, qui ſupremus illi fuit, ſingulis ſemel atque iterum confeſſus ſit. Denique, ne plura congeram, Buguoum Damotarum apud Æthiopas Proregem, virum ſui ordinis ſtudioſiſſimum, eo potiſſimum commendant z, quod pæne quotidie confiteatur. Ita quidem Latini noſtri. Apud veteres nihil iſtorum reperio. Primò nuſquam hos deprehendo arcanæ apud unum ſacerdotem confeſſionis, inter Chriſtianæ religionis officia, ſiquando ea recenſent, meminiſſe; neque ubi apud Paganos, neque ubi apud Chriſtianos his de rebus verba faciunt. Petrus apud Clementem non ſemel de Chriſtianiſmi officiis diſſerit, etiam ubi Fauſtinianum ſenem, adhuc in Paganiſmo hærentem, alloquitur, inter hæc non poſtremo loco recenſens *a orare ſemper Deum ex corde, veram pœnitudinem gerere prætéritorum geſtorum, pauperibus eleemoſynas largiri*, & alia; De confeſſione, quam Ieſuitæ Achebaro affirmabant præcipuam eſſe ſuæ pietatis partem, altum apud Clementem & hic & ubique ſilentium. Clemens alter, ſed verus, pulcherrimum opus, cui *Pædagogi* nomen dedit, exordiens profitetur *b mores, actuſque* τὰ ἤθη καὶ τὰς πράξεις in illis libris correcturum. At in toto opere ne unum quidem verbum de confeſſione legitur, una ſi Latinis credimus, morum & actuum optima correctrice. Origenes, huius Clementis diſcipulus, *opera ſ. dei Chriſtianæ*, atque ea quidem, quæ à Paganis irridebantur, quodam loco hæc commemorat *c, jeiunare, miſericordias* (id eſt eleemoſynas) *facere, ſtudiis & legi Dei operam dare, pro martyrio Chriſti tormenta ſufferre.* De confeſſione in autem ſacerdotis Innocentiana, quæ ſiqua fuiſſet, & maxime neceſſaria, & à Gentibus maxime irriſa fuiſſet, plane nihil dicit. Cyprianus plurimas acervatim Chriſtianiſmi exercitationes recenſens *d*, divinam lectionem, bonam operationem, Dominicam cogitationem, orationem iugem, ſpirituales actus, nullus arcanæ & aſſiduæ apud ſacerdotem confeſſionis meminit. Innumera ſunt huius generis apud veteres ſcriptores loca, in quibus cum enumerentur officia & actus noſtræ religionis, nulla uſpiam Latinæ confeſſionis mentio occurrit. Sed neque apud ullum priſci Chriſtianiſmi ſcriptorem illa, quæ ex Latinis ſubjunximus, reperiuntur; ut quos cætus emendatos & ad meliorem frugem traductos, vel contra corruptos & vitiatos ſignificare vis, apud illos quidem dicas *confeſſionem* eſſe *frequentem*; apud hos vero *nullam*. Ego exemplum deſidero. Neque tu mihi quemquam opinor, ex veteribus dabis, qui vel fidelem aliquam mulierem (ut Ieſuitæ ſuam Minciam, & illam alteram Ethnico Principi nuptam) vel virum probatæ pietatis (ut illi ſuum Iaſonem) vel ſacerdotem (ut illi ſuum Barreiram ſuumque Alexandrum) aliquot vel annos, vel menſes abſque confeſſione externa ſive ſacramentali vixiſſe obſervet, quique rationem, cur illi eo myſterio tamdiu caruerint, afferat, ſacer-

z Ann. Æth. a 1614. 1615 p. 87.

a Clem in Recognit l. 10. fol. 13. K L. fol 54. C.

b Clem Alex. Pædag l. 1 c. 1. p. 78.

c Orig. in Rom. l 3 p. 489.

d Cypr l de zelo & liv. p. 279.

sacerdotis nimirum apud quem confiterentur, inopiam. Ista apud omnem antiquitatem sunt inaudita, & ab eius moribus ita aliena, ut non dubitem si quis huiusmodi aliquid primis quinque sæculis scripsisset, id omnes illius memoriæ homines pro monstro (quod iam supra dixi) habituros fuisse, neque facile intellecturos, quid sibi ista vellet, tam hactenus apud nostros peregrina, atque insitata oratio. Sed æque apud veteres confessio in altero illo loco desideratur, ubi eam Latini nunquam fere prætermittunt, cum suorum scilicet vel cœtuum, vel fidelium actus religiosos describunt. In Apostolicorum Actuum *e* volumine plurima, ut par erat, dicuntur de Ecclesiarum, quas diuini illi viri condiderunt, deque singulorum hominum, quos erudierunt, moribus ac religione, verbi gratia, quod baptismum suscepissent, quod Eucharistiam celebrarent, quod Christianum dogma cum divinis Scripturis conferrent ac contenderent, quod in precibus assidui essent, quod præpositorum decreta servarent, quod injurias pro Christi nomine ferrent, quod concordes inter se atque unanimes viuerent, aliique alios mutuo juvarent, & cætera eius generis multa factitarent. Illa vero Iesuitarum de suis familiaria, quod *confessionem expetant, quod sacerdotibus ad eam faciendam se verbis sistant vel sternant*, quod *eam propitiandi Dei causa diligenter frequententur*, quod vel *octavo quoque die aut mense vel saltem quotannis semel confiteantur*, ista inquam, vel quicquam eorum simile Lucas neque de vlla Ecclesia, neque de ullo homine fideli uspiam scripsisse legitur, ut iam in superiori disputatione observavimus *f*. Ipsos sane Apostolos, quorum maxime exempla, ut par erat, colligit ac describit, confessionem ut apud se in arcano factam nullam audivisse narrat, ita neque ullam ipsos apud aliquem sacerdotem fecisse memorat; Actuum Petri apud Pseudo-Clementem fictitiorum eadem est ratio, in quibus & catechumenos erudiri, indeque baptizari, & baptizatos communicari, orare, jejunare, Petrum verba divina prædicantem audire, iter facientem comitari, disputanti adesse, una cum eo refellere Paganos videmus; vel hos, vel ipsum Petrum, non dico octavo quoque die, non singulis saltem mensibus, non frequenter (quod Latini de suis iactant) sed vel semel confiteri nusquam videmus. Iustinus in Apologia ad Imperatorem & Senatum Romanum omnia nostrorum officia, omnes actus religiosos; non tantum aperte ac candide, sed etiam diligenter exsequitur *g*. Nihil celat, nihil dissimulat, *h* Baptismi *h* & Eucharistiæ *i* mysteria nudat; præpositorum preces, *k* gratiarum actiones, exhortationes, auditorum attentionem, studia, mores, vitam denique omnem patefacit, eo impensius, quod cum ab adversariis grauissima crimina ac flagitia in occulto fovere jactarentur, ad eos purgandos intererat Christianam omnem religionem apertissime apud Principes exponi. Hoc fecit optima fide Iustinus; Fecit & aliquanto post Tertullianus in eiusdem tituli volumine *l*. Neuter de confessione apud presbyteros arcana, omnium religiosarum

CAP. III.

e Act. passim.

f supr. l. 2. c. 1.

g Iustin. Apolog. 2.
h ibid p. 73. lin.
i ibid p. 75. lin 31.
k ibid. lin 38.
l Tertull. in Apolog.

CAP. III. functionum (si Latini vera dicunt) maxime necessaria, qua nihil est, quod magis curare debeant fideles, ut Tridentinus Catechetes prædicat, de illa inquam confessione, neque Iustinus, neque Tertullianus vel unum verbum in totis Apologeticis scripserunt. Si caussam ipsam respicis; quid utilius ad demonstrandam nostrorum non modo innocentiam, sed etiam absolutam puritatem, & singulare quoddam sanctimoniæ studium afferri poterat, quam confessionale hoc institutum, id est si istis credimus, saluberrima, atque efficacissima, pietatis, iustitiæ, castitatis ac virtutum deniq; omnium disciplina? Si personas intueris, non erat credo, Marcus Antoninus, Principum Romanorum longe optimus, non erat ille inquam hæc audire indignior, quam Mogorum Monarcha Achebarus, apud quem Iesuitas hoc suum mysterium adeo non occultasse diximus, ut etiam de eo gloriarentur, prædicantes *Christianæ legis præcipua officia esse, ut confiteamur & communicemus.* De *communione* qui fuse apud Marcum dixit Iustinus; de *confessione* altera Iesuitici Christianismi parte. cur nihil dixit? Nimirum hac parte mutilus adhuc erat illius ævi Christianismus, sero multis post Iustinum sæculis, ab Innocentio demum, & Ignatio perfectus. Tertullianum vero ne hoc mysterium si nosset, taceret, etiam justior ratio urgebat. Præfatus enim *se negotia Christianæ factionis editurum,* m nostrorumque inde sacros cœtus, & communes ad Deum preces, & divinarum litterarum commemorationes & ex iis admonitionem, instructionem, consolationem, castigationemque nominatim, & censuram divinam dicere exorsus, omnino hoc loco de sacramentali confessione, totius ex dogmate Latino disciplinæ Christianæ arce, dicere necessario debuit, siquid eius sciret. Ille vero altum de ea siluit; non aliam apud suos solennem censuram memorans, quam excommunicationem; *si quis ita deliquisset, ut à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sacri commercij relegaretur.* Hæc vero manifesta, imo publica censura erat, adeoque à confessionario Latinorum negotio plane penitusque aliena, quod totum clam in abdito quodam, & procul à cōmuni hominum luce remoto ac seposito angulo geritur, summaque arcani ac silentij fide vel maxime constat. Tota Eusebij historia n quid aliud est, quam perpetua quædam actuum religiosorum atque Ecclesiasticorū cōmemoratio, in qua auctor quæ quid Christianismi professores, tum præpositi, tum subditi iam inde ab initio ad Constantij usque principatum annis trecentis gesserint, atque egerint quanta potuit diligentia exposuit? Atqui in toto opere non Apostolum, non Episcopum, non presbyterum, non fidelem denique quemquam reperire est, qui confessionem hanc Latinam *propitiandi Dei causa* (ut Iesuitarum nuper Iapones) frequentet, qui eam singulis hebdomadibus, ut novi de Brasilia Christiani, factitet. Ecclesias verò quæ se quotannis saltem semel (ut mos erat apud viginti illa millia civium Omuranorum) ad sacerdotum pedes cōfitendi causa in arcano abiiciunt; tu has Ecclesias totidem apud Eusebium,

m Tertull. Apolog. c. 39. p. 34. D.

n Euseb. hist. Eccles passim.

bium, cæterosque sæculorum priorum Patres, reperies, quot in æthere pascentes cervos, aut delphinas in siticulosis Arabiæ desertis natantes. Sed nunc tandem ad Latinarum tum Ecclesiarum, tum personarum laudes atque elogia veniamus, quo maxime in loco confessionem suam Iesuitas ambitiosissime ad fastidium ubique explicantes, atque ingeminantes exhibuimus; plane ac si nullus Christi grex, nullus vir, nulla mulier absque frequentissimo huius sui instituti usu, ardentissimoque in id studio ad veram Christianæ pietatis gloriam aspirare queat. Ecclesias sane divini scriptores, neque paucas, neque parce laudarunt; Paulus Romanam *o*, Thessalonicensem *p*) Philippensem *q*, Colossensem *r*. Ipse Dominus Iesus Ecclesiarum Asianarum nonnullas celebrat, Ephesiam *ſ*, Pergamensem, Philadelphiensem, & Thyatirenam. Sed si encomia, quibus eas vel Christus, vel Apostoli ornarunt, diligenter inspexeris; reperies has quidem à fidei suæ vel celebritate, vel firmamento, vel efficacia, & incremento laudari, illas à charitate, patientia, & gaudio spiritus in media tribulatione; quarumdam memorari vel zelum in imitando Apostolo Paulo, vel in eius inopia sublevanda liberalitatem; aliarum commendar. ordinem, & dilectionem in sanctos omnes, spiritualem; harum laborem, & severitatem in malos; illarum opera, & constantiam & progressum in bonis prædicari. Ecclesiam, quæ à frequenti confessionis usu laudata sit (qualiter suas Iesuitæ laudant) nullam si bene memini in omnibus novi Testamenti libris reperies. Apud vetustissimum Ecclesiasticorum scriptorum Clementem Ecclesiæ Corinthiæ, qualis erat antequam schismate scissa ac deformata esset, multæ magnæque laudes leguntur*; Fuisse eam istis temporibus omni virtute plenam, firma fide ita consistentem, ut omnibus fidelibus admirationi esset, & universorum sana in Christum pietas, magnifica in exteros hospitalitas, perfecta rerum divinarum cognitio, & singulorum innocentia ac sanctitas, in seniores reverentia, seniorum in junioribus ad modestiam erudiendis & in mulieribus ad castitatem; conjugumque amorem & familiæ disciplinam instituendis cura & studium. Sed neque eorum humilitatem tacet Clemens, vel liberalitatem & inexplebile quoddam benefaciendi studium, vel verbi divini amorē, & dominicarum passionum meditationem, vel patem & æquitatem, vel juges, humilesque, & devota fiducie plenas ad Deum preces atque supplicationes. Inter tam multa Ecclesiæ illius, tam effuse celebrata decora, *confessionis* mentio plane nulla occurrit. Denique ne in percensendis singulis, quæ huc afferri possent, exemplis nimius sim, nego ullam fuisse quinque, imo & septem prioribus Christianismi sæculis Ecclesiam, cuius inter laudes aliquis eiusdem memoriæ scriptor ista potuisse reperiatur, quæ nos nuper ex Latinis suas laudantibus recitavimus, nimirum quod ij, ex quibus ea colligitur, fideles vel *octavo quoque die, aut cum rarissime, singulis saltem mensibus, confessionis mysterium celebrare instituerint, vel id tanta devotione soleant ut religiosi cœnobitæ videantur*;

Cap. III.

o Rom. 1. 8.
p 1. Thess. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 2. Thess. 1. 1. 4.
q Phil. 1. 5. & 4. 14. 16.
r Col. 1. 4. 6. 8. & 2. 5.
ſ Apoc. 2. 2. 13. 19. & c. 3. 1. 2. 8.

*Clem. Rom. Epist. ad Cor. p. 2. 3. 4.

CAP. III. *deantur*; vel *plurimum delectentur*, *confessionis sacramento*, vel *nunquam ad id accedant, quin pridie jejunaverint*, vel *confessionem scripto, & quidem totius sesquianni exsequantur*, vel *eius faciendæ caussa ad* 12. *ad* 50. *ad* 60. *leucas excurrere, etiam quindecim dierum iter conficere non dubitaverint*, vel *palmam cæteris provinciis in confessionem frequentia præripiant, & magno ad eas animi impetu ferantur*, vel *iis mirum in modum dediti sint*, vel denique *suos præpositos in suis confessionibus audiundis ita lassent, atque obruant, ut iis ne dormiendi quidem tempus relinquant*. Hæ sunt Latinarum Ecclesiarum laudes; non sunt Christianarum, quæ primis ad octavum sæculis floruerunt. Eadem quoque eorum est ratio, quæ Iesuitæ de suorum aut neophytorum, aut Partheniorum, aut alumnorum vel religiosis, vel crebris confessionibus prædicantes audivimus. Nemo veterum unquam ullum Christianorum hominum vel ordinem, vel collegium sic olim laudasse reperitur. Illud præsertim à prisca disciplina vehementer abhorret, quod Froës suos neophytos inde commendat, quod vix exacto quarto à baptismo mense confessionem apud sacerdotem de peccatis suis fecissent. Illis priscis temporibus non laus, sed probrum ingens fuisset tam pauxillis post cœleste lavacrum diebus confessionem de peccatis apud Ecclesiæ præfectos fecisse, quique suos neophytos ita commendandos putasset, is haud dubie vel insanire, vel certe singulari aliqua hæresi laborare esset creditus; veluti siquis quarto mense post acceptam à Principe universalem suorum criminum veniam atq; amnestiam, novis repente maculatus sceleribus sacrum eiusdem tribunal ad emendicandam alteram gratiam iterum vexaret. Neque postremo uspiam apud veteres in singulorum laudibus reperio frequentes illas confessiones, sive *generales*, de omnibus anteactæ vitæ peccatis, sive *particulares*, de cuiusdam tantum temporis delictis, vel octavo quoque die, vel singulis mensibus, vel ter semelve quotannis redintegrari solitas; quas Latini supra in suorum heroum eximiis crepabant. Ac ne illud quidem apud priscos scriptores legere me ad cuiusquam laudem memini, quod omni mense octo, vel decem leucas ad conveniendum Confessarii tribunal confecerit, quam Solerius Mioxindoni Secretario laudem tribuebat. Ipse in divinis litteris Christus aliquot de suis servis à pietatis & caritatis operibus commendat, neminem (quod equidem sciam) à confessione apud presbyterum in arcano sæpius facta. Iacobum Domini fratrem Hegesippus magnis fert laudibus. Inter multa eius singularia, sancti viri genua instar cameli, ideo obduruisse narrans *u*, quod esset in orando assiduus. Dixisset & *in confitendo fuisse frequentem*, si fuisset hæc aliqua religionis Iacobææ pars. Origenis laudibus plenus est historiæ Eusebianæ liber sextus; *x* quarum argumenta sunt, ardentissimum illius viri in Christi Confessoribus & Martyribus fovendis, curandisque studium, diei ac noctis ita divisa tempora, ut illam ascesi, hanc Scripturarum meditationi daret, victus ad miraculum tenuis, jejunia, humicubatio,

t Apoc. 2. 2. 9. 13. 19.

u Hegesippus apud Euseb. hist. l. 2. c. 23. fol. 19. A.

x Eus. hist. l. 6. c. 3. fol. 59. A. B.

batio, à vino abstinentia, alia non pauca. Nulla tamen toto hoc loco occurrit illa apud Latinos decantatissima confesſio. Supra memoravimus Pontij de Cypriani Carthaginensis, Paulini de Ambrosij Mediolanensis, Sulpitij de Martini Turonensis, Palladij, Theodoreti y, Georgij Alexandrini de Chrysostomi Cōstantinopolitani, Possidij de Augustini Hipponensis, Constantij de Germani Altissiodorensis, Hilarij de Honorati Arelatensis, Honorati Massiliensis de Hilarij Arelatensis, Cypriani de Cæsarij item Arelatensis, Ferrandi Diaconi de Fulgentij Ruspensis vitis libros. Habemus Nazianzeni in Gregorium Patrem, in Athanasium, & Basilium; Nysseni in Gregorium Neocæsariensem,& in Ephremum orationes encomiasticas. Iam ut hi scriptores istos, qui omnes fuerunt Episcopi, nusquam dicunt fidelium, quos regebant,confessionibus in arcano audiendis operam dedisse (nisi siqui fortasse pœnitentiam ab iis publicam exposcerent) ita neque ipsos uspiam tradunt confessionem de peccatis apud aliquem alium sacerdotem fecisse, vel Confessarium aliquem suum habuisse; quod Orlandinus de Ignatio tradit z, cum confessarium scribit Romæ primum fuisse Theodosium quemdam Minoritam; postea Iacobum Eguiam de sua Societate, quem quod ipsum laudaret intemperantius, coactus est abdicare. Nihil in istorum, quos dixi,veterum vitis aut encomiis simile legimus; nihil in cæterorum eiusdem memoriæ, quorum vitas vel laudes habemus ab auctoribus eorumdem sæculorum scriptas. Singulos referre longum est,ac propemodum immensum. Eadem quoque observare est in hominum laïcorum laudibus, si quæ ab antiquis auctoribus scriptæ sunt; ut Cæsarii à Gregorio Nazianzeno eius fratre,& Theodosij Principis ab Ambrosio. Huius vero pœnitentia quidem, sed publica magna cum laude memoratur; confessiones apud aliquem sacerdotem arcanæ, nusquam memorantur, neque nos vel Ambrosius, vel alius eiusdem ævi docuit, quem ille Augustus privatim sibi habuerit presbyterum Confessarium; quod Latini profecto prętermittere nō solent, quoties Regum & virorū Principum vitas scribunt. Alios prætereo plurimos; quorum extat apud veteres scriptores memoria cum laude, nullius (quod equidem meminerim) qui à frequenti, ut hebdomadali, uel menstruo, confessionis usu commendatus sit. Neque sequioris aliter quam nostri sexus pietas ab antiquis laudata invenitur. Gorgoniam Nazianzenus, Nyssenus Macrinam sororem uterque suam effusissime propria quisque oratione laudaverunt à pietate in Deum, à caritate in proximos, à summo in res divinas studio, à sanctis operibus; neuter ab arcanæ apud sacerdotem confessionis frequentia. Hieronymus non paucas virtute ac pietate supra sexum, supra sæculum suum eminentes celebravit, Marcellam, Blæsillam, Asellam, Leam, Paulam, Fabiolam, quarum nomina æternitati consecravit. Euolve opuscula, neque pœnitebit; sunt enim omnia disertissima. Nullius assiduas, crebras ve fuisse leges apud presbyterum con-

CAP. III.

y apud Phot. in Bibl. Cod. 273. p. 327.

z Orland. hist. Soc. l. 1. §. 8. l. 16. §. 91.

Cap. IV. fessiones. Nullam laudari reperies, quod *errata sua in confessione continenter ipsa explicaverit*; quod *sacerdotem quotannis domum confessionis causa advocaverit*, quod *in confessione frequens fuerit*, quæ Iesuitarum supra erant de Maxentia, Mitia, & Marina mulieribus suis encomia. Fabiolæ pœnitentiam laudat quidem Hieronymus; sed publicam, sed palàm tota Roma spectante factam. Præter hanc, quæ nihil ad Innocentianum mysterium pertinet, fecisse Fabiolam omnibus vel hebdomadibus, vel mensibus, vel certe annis, confessionem de peccatis apud aliquem sacerdotem arcanam, eandemque legitimam, omnino erat hoc loco dicendum, siquid huiusmodi fuit. Non dixit Hieronymus, summus dicendi artifex; Ne ergo dubites, nihil huiusmodi fuisse, quod diceret. Eadem & cæterarum ratio est, quarum nullam istud confessionis Innocentianæ mysterium factitasse vel agnovisse Hieronymi silentium clamat. Fuisse autem in publico ac legitimo totius (quod Latini nunc volunt) Ecclesiæ usu eam confessionem, quam clarissimæ illæ sanctissimæque mulieres nescierint, plane est incredibile. Ergo & illud hinc, quod asserimus, concludamus nullam fuisse olim in usu fidelium publico atque legitimo Innocentianam istam Latinorum recentiorum confessionem.

Capvt IV.

Argumentum IV. inde ductum, quod in veteri Ecclesia fideles nulla ut nunc apud Latinos, lege obligabantur apud sacerdotem ante in arcano confiteri, quam ad mensam Dominicam, Eucharistiæ sumendæ gratia, accederent. Idque octo rationibus, & aliquot Chrysostomi, Pelagij, Augustini, Dorothei, Patrum Cabilonensium, & Hincmari testimoniis confirmatur.

HIs ita in communi de Latinorum confessione observatis, nunc singulas caussas videamus, quibus ad eam factitandam adduci solent. Prima est Eucharistiæ communio, ad quam nisi prius confessi accedere non solent. Ea de re Patres Tridentini, quo loco definiunt quæ qualisque esse debeat fidelium ad sumendum Eucharistiæ Sacramentum præparatio, ita statuunt, ac decernunt; a *Ecclesiastica* (inquiunt) *consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; Quod si necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebrave-*

a Conc. Trid. Sess. 13 cap. 7.

lebraverit, quamprimum confiteatur. Ex mox in canonibus leges suas his pœnis sanciunt *b*? *Ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur; statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Siquis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Hæc est Synodi Tridentinæ lex; quæ ab Innocentiana eo differt, quod ad confessionem non alios videtur obstringere, quam *peccati mortalis sibi conscios*; adeoque ab huius officii necessitate eos absolvere, qui non aliorum quam venialium peccatorum sibi conscij sunt. At Innocentius, omissa illa in præsens peccati sive mortalis, sive venialis ratione, *omnem utriusque sexus fidelem, qui quidem ad annos discretionis pervenerit,* obligat *c* ad confitendum sacerdoti saltem semel in anno. Vnde videtur emergere pugna inter hæc duo decreta. Siquis enim sit fidelis, qui annum unum egerit absque ullius peccati, saltem mortalis, cōscientia, hunc Tridentini à suæ quidem confessionis iugo exsolvere videntur, donec in mortalem aliquam culpam inciderit; Innocentius vero eum, qualiscumque fuerit conscientia necessario confiteri iubet. Quò se vertet? Vtri hero parebit, cum aliud hic, ille aliud velit? Latini in hoc bivio sequuntur id, quod tutissimum visum est, & quod ut opinor, ipsi etiam Tridentini non nolebant, etiamsi aliud loquuti sint. Cum enim hoc unum statuant non esse necessariam confessionem nullius mortalis peccati conscio; non vetant tamen etiam istum cōfiteri, quod iubet Innocentius. Itaque omnes cuiuscumque conscientiæ confiteri solent. Sane fuerunt in istis partibus Theologi, qui venialia ipsa confitenda necessario esse putarent, ut Bonauenturura *d* & Riccardus *e*; Et illi ipsi qui eorum sententiam refutant, hoc nihilominus concedunt, etsi non præceptum, *consilium tamen esse salutare etiam venialia, confiteri*; ut videre est apud Sotum *f*, & alios recentiores. Huc accedit, quod cum istud peccati venialis à mortali discrimen sic interdum obscurum sit, ut facile sit homines, maxime plebeios in eo intelligendo errare, & unum pro altero sumere tutissimum visum est omnia delicta ad Confessarium deferre. Sed & hoc in Tridentinorum lege est animadvertendum, quod verbis utuntur ambiguis, & longe nunc aliud significantibus, quam quod olim apud veteres significasse deprehenduntur; Hi enim *mortalia* ea tantum peccata & censebant & vocabant, quibus à canonibus Ecclesiasticis publica pœnitentia erat imposita. Hæc verò minima pars eorum erant, quibus hodie Latini *mortalium* nomen tribuunt. Itaque fateor equidem apud veteres, qui peccatorum, quæ tum *mortalia* dicebantur, sibi erant conscij, eos Dominica mensa tamdiu fuisse prohibitos, donec eorum non confessionem apud ministros duntaxat, sed etiam pœnitentiam, ac (ut veteres, sed sano sensu loquebantur) *satisfactionem*

CAP. IV.
b ibid. Can. 11.
c Conc. Later. sub Inn. 3. c. 21
d Bonav. in 4. d. 17. in 1 part. art. 2. q. 1.
e Riccard. ibid. art. 2 q. 4.
f Soto. in 4. d. 18. q. 1. art 1. concl. 4. & d. 11. q. 1 art. 4.

Cap. IV. apud totam Ecclesiam fecissent. Erant enim isti non alij, quàm publicè pœnitentes. „Vt vero apud antiquos, quicumque sibi alicuius ex iis peccatis, quæ nunc Tridentini *mortalia* vocant atque intelligunt, conscij erant, ij sacra mensa excluderentur, donec confessionem apud unum aliquem sacerdotem fecissent (quæ ipsissima Tridentinorum lex est) id inquam dictu falsissimum, atque absurdissimum est. Patet enim ex omni Christianæ antiquitatis pœnitentiali disciplina non alios, quam publice pœnitentes ad hoc, ut communicarent, obligatos fuisse ad confessionem apud sacerdotem, & ad satisfactionem apud Ecclesiam faciendam; cæteros omnes non publice pœnitentes liquet ad communicandum ut nulla apud Ecclesiam satisfactione, ita neque ulla apud sacerdotem confessione indiguisse. Cum ergo publice pœnitentium in unaquaque Ecclesia numerus multipliciter ac pœne incomparabiliter minor fuerit, quam cæterorum Christianorum (quos solos *fideles* vocari mos erat) vel hinc quivis intelligit immane fuisse veteris disciplinæ ab hac Latina discrimen. Hæc omnes, etiam sanctissimos fideles, ad confessionem vel præcepto obligat, vel certe consilio, ad hoc ut cõmunicent; Illa neminem eorum, quos in fidelium censu habebat, ad id officij obstringebat, quo ad mensam Domini admitterentur; solos publicæ pœnitentiæ reos ad hoc, ut communionem, à qua erant exclusi, consequerentur, sacerdotes convenite, & iis confiteri iubebat, neque hoc solum, verum etiam publice coram Ecclesia satisfacere. Sed hæc, quæ & in superioribus iam sunt delibata, & in sequentibus ulterius tractabuntur, satis nunc sunt ad patefaciendam & Tridentinorum & aliorum Latinorum fraudem, qui ambiguo *mortalis peccati* nomine simplicioribus illudentes, ita suam de his mentem exprimunt, ac si eadem cum veteribus sentirent. Nunc missis vocabulis, rem ipsam spectemus, num homines Christiani ad Eucharistiam ex Domini mensa percipiendam id olim omnes fecerint, quod eos hodie apud Latinam Ecclesiam facere videmus; hoc est num illos sacerdotis tribunal omnes adire, eique in arcano confiteri, & peccatorum conscientiam exponere mos & ritus veteris Ecclesiæ fuerit, ut nunc Latinæ est. In prima disputationis parte non fuisse hunc Ecclesiæ Apostolicæ morem inde satis docuimus *g*, quod Paulus ad Domini mensam accedentibus hoc unum præcipit *h*, ut *se ipsum unusquisque eorum probet*; non præcipit, ut ad sacerdotem eat, & apud eum confiteatur, sed illa sui ipsius probatione apud se functum ad divinum epulum statim & continenter nulla cuiusquam alterius officij mora interposita, admittit. *Probet se ipsum homo; ET SIC de pane illo edat, & de calice bibat.* Sed & tum & proxime secutis temporibus ipsa Ecclesiæ, quæ colligebatur ratio, id ipsum fateri cogit. Cũ enim in illis nascentis Christianismi primordiis & pauci essent ministri, & Christiani frequentissime, imo quotidie (si Tridẽtino Catechismo *i*, & plærisq; Latinis credimus) omnes communicarent; stultum ac ridiculum est imaginari quicumque communicabant, eos

g supr. l. 1. c. 1.
h 1. Cor. 11. 28
i Catech. Trident. de Eucar. p. 176.

apud

apud sui gregis pastores ante confessos fuisse singulos, quam communicarent. Fingamus ministros (quod Latinos nuper de Iesuitarum nonnullis prædicantes audivimus) à summo mane ad multam noctem in hoc uno opere fuisse occupatos; Fingamus totos dies, totasque noctes in eo consumpsisse; nihil publicæ fidelium & catechumenorum institutioni, nihil Evangelij apud exteros prædicationi, nihil aliorum sacramentorum administrationi dedisse; ne sic quidem omnibus gregis quisque sui confessionibus audiendis pares esse poterant. Orlandinum memini ut summum, ut pœne incredibile sacerdotalis in hoc genere diligentiæ specimen prædicare *k*, quod Antonius Gomius, & Consalvus Vasius Iesuitæ singulis fere diebus quinquagenos ambo audierint confitentes. Memini Iarricum, ut rem stupendam narrare *l* duos alios itidem Iesuitas, id est homines, ut notum est, impigerrimos, diebus quindecim mille confessiones audire potuisse. Ad hanc nunc rationem primæ Ecclesiæ res exigamus. Paulus testatur *m*, antequam Christus in cœlum adscenderet, *fratres*, id est Christianos, una convenisse plures, quam quingentos. Diebus post Domini ascensionem decem, ad hunc numerum accesserunt animarum circiter tria millia, & alia paulò post virorum quinque millia *n*, neq; longe abhinc crevisse in dies dicitur *discipulorum*, id est Christianorum, numerus. Ecclesia ergo Hierosolymitana iam tum capita continebat minimum decem millia. Longe ampliorem, copiosioremque fuisse ipse rerum, quæ in Actibus narrantur, cursus, Apostolicæque prædicationis divina vis suadet, neque ego id quemquam puto Christianum negaturum. Sed nos quod certum, quod Scripturæ pæne disertis verbis testatum est, etiamsi id fortasse minus est, ponamus. Donemus non fuisse illam Ecclesiam plurium, quam decies mille capitum. Ad confessiones decies mille uno die audiendas opus est Iesuitis (id est perniciſſimis & ad prodigium strenuis ministris) ex Iarrico quidem trecentis; ex Orlandino etiam aliquanto pluribus. Iam vero in illa prima decem millium capitum Ecclesia, quibus ministris confessionum audiendarum ex legibus Latinis ius esset, ij non erant plures quam duodecim; Apostoli scilicet, soli tum in omni Christianismo sacerdotes, ad quos accesserunt quidem paulò post viri septem, sed Diaconi, huius adeo confessionalis Sacramenti administrandi incapaces. Fac ergo Domini Christi Apostolos Divi Ignatij Apostolis sedulitate, diligentia, pernicitate nequaquam (quod difficile est) fuisse inferiores; Fac illos huic uni curæ intentos, affixosque fuisse, ut nunc sunt pulli Ignatiani; Fac denique quicquid libuerit, non ideo tamen efficies, ut duodecim operariorum labor id uno die exhauriri potuerit ad quod opera trecentorum vix satis fuerit. Vt enim inter se constet aliqua ratio diurnum trecentorum hominum pensum viri duodecim nisi diebus triginta conficere vix possunt. Ex quibus jam clare liquidoque perspicitur, si fideles Hierosolymitani quotidie (quod Latini concedunt) omnes communicabant, fieri nequaquam

SS 3

k Orland. hist. Soc l 7. § 67.
l Iarr indic l. 6. c. 19 p. 735.
m 1. Cor. 15. 6.
n Act. 2. 41. & 4. 4. & 6. 1.

Cap. IV. quam potuisse, ut nulli nisi confessi cõmunicarent, ne hoc quidem fieri potuisse, etiamsi alternis tantùm diebus, vel etiam hebdomadibus singulis communicasse dixeris. Sed ne id quidem facile futurum fuisse, etiamsi fingamus menstruas duntaxat fidelium communiones fuisse, cõcedet credo, quisquis serio reputaverit quot quantæque in aliis fuerint Apostolorum occupationes; ut viros illos divinos, siquid confessionibus audiendis dedisse eos velis, minimam profecto sui temporis suæque operæ particulam iis dedisse necesse sit. Parco de secutis Ecclesiæ per gentes paulatim diffusæ incrementis dicere. Nemo est, qui non facile intelligat credentium copiam cum ministrorum numero ita comparatam totis illis primis temporibus fuisse, ut plane fuerit impossibile apud Pastores hodierno Latinorum more confiteri quotquot communicabant, etiamsi donaverimus non communicasse eos frequentius, quam octavo quoque singulos die. Cornelius Romæ Episcopus testatur *o* in Ecclesia sua tertio iam adulto Christianismi sæculo viduarum, & aliorum egentium; qui publicis sumptibus alebantur, numerum supra capita fuisse mille & quingenta; populi vero reliqui multitudinem immensam fuisse & innumerabilem. Vel eorum, quos alebant numerus ostendit, quam copiosus esset ille fidelium cœtus. Certe non videntur pauciores fuisse quinquaginta, vel etiam sexaginta millibus. Hanc verò tantam multitudinem regebant non plures, quam quadraginta sex presbyteri una cum Cornelio Episcopo, ut ipse ibidem affirmat. Iam si Iatrici rationes sequimur, quadraginta etiam diligentissimi sacerdotes non plura, quam viginti confitentium millia assiduo atque improbo quindecim dierum labore audire valent. Vnde planum est Cornelij temporibus fieri nullo modo potuisse, ut Ecclesiæ Romanæ fideles ante communionem omnes confiterentur; etiamsi eos finxeris (quod utrumque parum est verisimile) neque plures fuisse, quam vicesies mille, neque sæpius,

3\. quam octavo quoque die communicasse. Id verò Romæ revera factum illis temporibus non fuisse, ut communicaturi scilicet antequam ad sacram mensam accederent, apud sacerdotem proprium in arcano confiterentur, evidenter arguit eiusdem Cornelii quædam de Novatiano, schismatis adversùm se auctore, in eadem illa epistola narratio. Ait *p* enim suum illum adversarium singulos, qui communicaturi ad suam mensam accedebant, prehensis eorum inter Eucharistiam distribuendam manibus jurejurando obstrinxisse his verbis; *Iura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi te nunquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reversurum.* Hoc istius facinus, sane impudens, & quod ait Eusebius, *pessimum* merito exaggerat Cornelius. At si mos tum fuisset fideles sacerdotem quemque suum ante communionem sacram adire, & solum cum eo in arcano colloqui ad confessionem; nemo non videt Novatiano facile futurum fuisse de fidelium in se constantia & fide sibi cavere, iusiurandum in illo confessionali secreto exigendo, procul omni scandalo.

o Cornel. apud Eus. hist. l. 6 c. 43. fol. 70. a.

p Id. ibid.

scandalo. Ille verò quod & facilius erat & honestius, id fecisset haud dubie si licuisset. Non fecit; ut constat; sed in ipsa Domini mensa, tota plebe inspectante & audiente, jusjurandum illud cum magno scandalo exegit. Non igitur ulla alia commodior ratio erat, qua exigeret; eaque necessitate ad hanc impudentiam devenire coactus est. Cum igitur non defuturam ei fuisse talem rei gerendæ rationem omnes videant, si tum obtinuisset Innocentianæ confessionis disciplina; fatendum postremo est nullam tum obtinuisse.

Sed neque hunc fuisse veteris Ecclesiæ morem, ut fideles non confessi à sacra communione excluderentur, vincit certa quarti quintique sæculi disciplina. Constat enim omni illo tempore quibuscumque licuit Eucharistiæ sacris interesse, iisdem eius quoque percipiendæ ius fuisse. Imo qui intererant, eos nisi communicarent, reprehensos & increpitos à præpositis fuisse, veluti se perperam & inverecunde gerentes, ex Chrysostomo *q* patet, qui in istos non semel invehitur. Iam vero quibus licuerit his sacris interesse docent & Constitutiones quæ dicuntur Clementis *r*, & veteres omnes Liturgiæ; in quibus peracta Missa Catechumenorum Diaconus dimittit quoscumque nefas erat *missæ fidelium*, id est Eucharistiæ sacris interesse, clara voce clamans, *Ite Catechumeni in pace. προέλθετε οἱ κατηχούμενοι ἐν εἰρήνῃ.* Paulò post energumenos eodem quoque modo exire jubet *s*, exclamans, *Ite energumeni.* Tum & competentes sive baptizandos, *Discedite* (inquit) *illuminandi t.* Postremo denique pœnitentes eadem ratione ex conventu dimittit, clamans, *Discedite qui estis in pœnitentia u. ἀπολύεσθε οἱ ἐν μετανοίᾳ.* Tum demum converso sermone ad *fideles* (id est ad Christianos, qui baptisma integrum servaverant.) *Fideles* (inquit) *flectamus genua: Rogemus Deum* per Christum eius. Hinc sequitur Eucharistiæ liturgia, sive *missa fidelium*; qua completa communicant omnes qui adsunt; primo clerici, tum ascetæ, & ex mulieribus Diaconissæ, & *Virgines* & *Viduæ*; postea pueri; & omnis populus ordine cum pudore, & reverentia absque tumultu. Ex quibus liquet fidelibus tametsi non confessis licuisse Eucharistiæ interesse adeoque cōmunicare; neque alios inde exclusos fuisse, quam primò quidem catechumenos; Secundò vero energumenos; tertiò baptizandos (id est ut puto, competentes) quarto denique pœnitentes, exceptis his quatuor ordinibus, cæteris omnibus Christianis licuisse adesse Eucharisticis sacris. Quod si ij fideles, qui non erant confessi, Eucharistia exclusi essent, eos haud dubie Diaconus perinde ac catechumenos & pœnitentes ex Ecclesia dimisisset, antequam inchoaretur missa fidelium; exclamans ut ad superiores, *Ite fideles omnes non confessi*, vel *Discedite quotquot confessione apud sacerdotem minime expiati estis.* Atqui nihil huiusmodi pronuntiat in tota Liturgia Diaconus: Hos ergo in sacra Synaxi dimissis pœnitentibus remanere fas erat. Neque hic mihi quisquam responset non confessos pœnitentium nomine contineri. Hoc enim evidentissime falsum 4

q Chrysost. in epist. ad Eph. hom. 3. extr. p. 887. c. d.

r Const. A. post. l. 8 c. 6. (Bov. 7.)

s ibid. cap. 7. (Bov. 9.)

t ibid. c. 8. (Bov. 11.)

u ibid. c. 9. (Bov. 11.)

CAP. IV. falſum eſt. Illi namque qui dimittebantur pœnitentes, *οἱ ἐν τῇ μετανοίᾳ*, non alij erant quam publice pœnitentes, ut & ex omni veteris Eccleſiæ ſermone, & ex ipſis orationibus patet, quæ ſuper iis ab Epiſcopo in eadem Liturgia antea pronuntiatæ ſunt. Publice autem pœnitentes, iam confeſſi erant; neque enim ad publicam pœnitentiam quiſquam aliter, quam facta apud præpoſitos confeſſione admittebatur. Cum ergo pœnitentes *οἱ ἐν μετανοίᾳ* confeſſi eſſent, clarum eſt pœnitentium, qui exire jubebantur, nomine fideles non confeſſos ſignificari nequaquam potuiſſe. Vt illud jam mittam, quod in libro ſuperiore dictum eſt, neque à quoquam negabitur, qui ſit in Patrum ſcriptis mediocriter verſatus, *pœnitentes τοὺς ἐν μετανοίᾳ*, ita ſimpliciter appellatos nunquã apud veteres niſi de publice pœnitentibus intelligi. Itaque cum fideles non confeſſi nullo eorum ordinum continerentur, quos à ſacris Euchariſtiæ arcere mos erat, neque ipſi ſeorſum proprie ac nominatim ex Eccleſia dimitterentur; neceſſario ſequitur iis licuiſſe in veteri illo Chriſtianiſmo, ſacris Euchariſticis intereſſe, atque adeo communicare, quod ut nuper diximus, cuicumque licebat intereſſe, eidem quoque communicare liceret.

5. Præterea non fuiſſe ad hanc Euchariſtiæ præviam cõfeſſionem ullo Eccleſiæ vel præcepto, vel conſilio compulſos omnes fideles, hinc quoque perſpicitur, quod nulla ea de re lex, nulla regula, nulla exhortatio, nullum exemplum, nulla denique in communicantes non confeſſos pœna in tota primorum ſæculorum antiquitate occurrit. Quod enim Soto x & alij Latini obiiciunt eos à Cypriano non uno in loco reprehendi, qui communionem ante confeſſionem ſuſcipiant; eorum nos craſſum errorem libro ſuperiore ſatis coarguimus, & partim ex clariſſima rerum ipſarum luce, partim ex virorum apud ipſos Latinos celeberrimorum teſtimonio atque conſenſu docuimus ſanctiſſimum Martyrem in locis obiectis primò non de quibuſvis Chriſtianis, ac ne de eorum quidem quoquam, quos *fideles* dici apud noſtros tum ſolenne erat, ſed de lapſis in idololatriam, publicæque adeo pœnitentiæ reis loqui; ſecundò *exomologeſin*, quam dicit, non eſſe (quod iſti inſcite ſane atque imperite, ne dicam impudenter, contendunt.) innocentianam hanc atcanã peccatorum in aurem unius ſacerdotis enumerationem, ſed publicam in Eccleſiæ totius oculis pœnitentiam ac ſatisfactionem. Vnde ſequitur eos, qui criminis graviſſimi, vt idolatriæ & apoſtaſiæ, manifeſte rei erant, iis non licuiſſe ad menſæ Dominicæ communionem accedere, niſi prius legitima pœnitentiæ actione apud Eccleſiam publice ſatisfeciſſent (quod nos concedimus, & ipſi etiam factitamus) non ſequitur aliorum Chriſtianorum, id eſt *fidelium*, quemquam ex aliquo veteris illius Eccleſiæ vel præcepto, concilio debuiſſe ſacerdoti peccata, quorum ſibi eſſet conſcius, omnia in aurem confiteri, antequam ad ſacram menſam accederet, quod nos refutamus. Eadem eſt eorum ratio, quæ alibi apud Cyprianum z occurrunt de duabus mulieribus, quæ quod nulla exomologeſi

x Soto in 4 d. 12. q. 1. art. 1. p. 287. b. ex Cypr Ep l. 1. ep 14. 15. 16. 18. y ſup. l. 3. c. 5. & 6.

z Cypr Li. de lapſ. p. 202.

logesi expiatæ communicare ausæ essent, graves Deo pœnas dederunt; tum etiam de eo viro, cuius simile crimen pari quoque animadversione notatum est. Et titulus & argumentum libri, qui est de lapsis & totius loci series clamat horum trium crimen fuisse idololatriam, quæ publica pœnitentia ex legibus Ecclesiasticis, merito ut notum est, multabatur. Viri certe id proprie delictum fuisse, quod Christum negasset, luculentissime demonstrat Cyprianus, dum ex inflicta illi divinitus pœna colligit, *Dominum recedere cum negatur.* Ex his ergo nihil aliud, quam ex præcedentibus sequitur, nimirum publicæ pœnitentiæ reos satisfacere publice apud Ecclesiam ante debere, quam Eucharistiam invadere. Eorum vero Christianorum qui post susceptum baptismum, vel certe post actam semel legitime pœnitentiam nullo huius ordinis peccato professionem pietatis maculaverant, quemquam illis temporibus obligatum fuisse aliqua Ecclesiæ lege, ad confitendum presbytero ante communionem, id neque hinc, neque aliunde probari potest. Contra vero hæc ipsa Cypriani ex libro de lapsis loca potius suadent fidelibus absque sacerdotis judicio liberum fuisse & mensam Dominicam accedere. Ille enim narrat & virum & mulieres, de quibus loquitur, *sacerdoti latenter obrepsisse, & inter communicantes fideles Eucharistiam sumpsisse*; quod non facile contigisset, si iam tum apud Christianos obtinuisset Innocentianæ confessionis disciplina. Certe unumquemque fidelem conscientiæ suæ dimissum esse, ut absque ullo sacerdotis hac de re arbitrio Eucharistiam in Ecclesia sumeret, id quoque præter superiora ostendit, quod apud Clementem Alexandrinum *a* legimus, fuisse illa sæculo, quosdam presbyteros, qui *Eucharistiam postquam de more in particulas diviserant, unicuique ex populo permitterent ipsum sibi partem sumere. Optima enim est* (inquit) *sua cuiusque conscientia ad hoc, ut res obiectas accurate vel eligat, vel fugiat.* τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσι. ἀρίστη γὰρ πρὸς τὴν ἀκριβῆ αἵρεσίν τε καὶ φυγὴν ἡ συνείδησις. Istorum Clemens frustra vel liberalitatem, vel prudentiam laudat in permittendo unicuique fideli percipiendæ sacræ particulæ arbitrio, si nullus eam sumeret, de quo aliena apud sacerdotale tribunal sententia non esset, priusquam ad mensam Dominicam accederet, exploratum ac judicatum, an vel eo esset accessurus, nec ne. Ergo confitendum est fideles illo sæculo suæ singulos conscientiæ plane dimissos esse, ut ipsi judicarent, non ut cuiusquam sacerdotis arbitrio judicandum deferrent, an digne communicare possent. tantamque fuisse præpositorum in hac servanda communicantibus libertate religionem, ut essent teste Clemente ministri, qui ad mensam accedentibus particulas, non porrigerent ipsi, sed eas in sacra mensa divisas ac positas quemque pro suo arbitrio sumere sinerent, ne si ipsi traderent scilicet, eo veluti suo quodam præiudicio viderentur aliquid de accedentium in hunc actum jure delibare atque decerpere. Origenes id ipsum docet, quo loco disputans de ocu-

Cap. IV.

6.

a Clem. Alex. Strom. l. 1. p. 271 c.

7.

CAP. IV. de oculis ad Dominum inter precandum vel attollendis, vel publicani exemplo non attollendis, totumque huius rei iudicium fidelis cuiusque conſcientię relinquens, Euchariſtiæ ſumendæ eandem quoque eſſe rationem diſerte, tametſi obiter ſignificat *b*, *Cæterum* (inquit) *unuſquiſq; ſe ipſum de rebus huiuſcemodi judicet, probetque homo, & ſic non ſolum ex illo pane comedat, & ex calice bibat, verum etiam oculos elevet ſuperne eos attollens, precemque fundat ſubiciens ſe ipſum Deo, humilianſque illi.* Ergo cum par ſit ex Origene rei utriuſque ratio, pij cujuſque erat de utraque ſtatuere; neque quiſquam fidelium cogebatur antequam Euchariſtiam ſumeret, magis quam antequam precaretur, ſacerdotis judicium de eo requirere.

8. Sed idem alibi quoque negat *c* quemquam licere de Eccleſia à præpoſitis eiici, niſi cujus peccatum ſit evidens, eiici vero non poſſe, quorum dubia vel occulta peccata ſunt. Item *d excommunicari* à præſidentibus peccatores, *cum delictum eorum manifeſtum ſit Eccleſiæ.* Quorum vero peccata *manifeſta non ſunt hominibus*, eos non à præſidentibus, ſed à Deo, qui videt in occulto, excommunicari. Eodem pertinent, quæ idem in alio opere ſcribit *e*, *in Eccleſia Chriſti conſuetudinem tenuiſſe talem, ut qui manifeſti ſunt in magnis delictis eyciantur ab oratione communi.* Paria tradit vetus Pauli interpres S. Hilarius Ambroſij nomine falſo vulgatus, idemque, ut videtur; Quæſtionum in Vetus, & in Novum Teſtamentum auctor, qui inter Auguſtini opera circumfertur. Vtriuſque certe operis communis hæc ſententia eſt *f*; quorum crimina occulta ſunt eos menſa Dominica ne à conſcio quidem delicti Epiſcopo excludi poſſe, aut debere, quod Iudam Dominus, cuius furtum cognitum habebat, non ideo tamen abjecerit; Et, *abiicere eum non licere, qui publice detectus non fuerit.* Hæc illi; quæ conſiſtere non poſſunt, ſi fideles antequam ad ſacram menſam accederent, in arcano ſacerdotis tribunali hodierno Latinorum ritu dijudicarentur. Hæc enim communicandi lex ſi iam tum obtinuiſſet, patet non eos tantum peccatores, quorum delictum *hominibus & Eccleſiæ manifeſtum factum eſt*, quiq; *publice detecti ſunt*; excommunicari, deque Eccleſia, aut ab oratione, ac Chriſti menſa ejici potuiſſe, ſed etiam eos, *quos Deus unus videt in occulto* peccantes; ut hodie apud Latinos etiam occulti peccatores ab uno illo ſacerdote, cui confeſſi ſunt, in arcano plectuntur, & ab ipſa etiam communione pro ejus arbitrio interdum, tamen raro abſtinentur. Itaque cum hoc in Eccleſia ſuo tempore factum fuiſſe negent Origenes, & Hilarius, planum ac liquidum eſt ne illud quidem tunc obtinuiſſe, ut qui eſſent communicaturi, ii prius à ſacerdote in arcano audirentur, & ex ſua clam apud eum in aurem facta confeſsione judicarentur. Sed hæc Origenis & Hilarij teſtimonia, quæ confeſſionariæ totius cauſæ jugulum apertiſſime petunt, iterum erunt alibi accuratius recitanda atque expendenda. Iam ergo cætera de Euchariſtia videamus. Præter hæc, alia ſunt veterum loca, quibus diſerte ipſi teſtantur ſe eos fideles, qui communicare volunt, ſibi ipſis dimittere,

& om-

b Orig. in Ioann. Tom 18. p.391.

c Id. in Ioan. hom 21 p.328.

d Id. in Iud. Hom 1. p. 342.

e Id in Matth. tract 35. p.179

f Ambr. in 1. Corin 5.1.2. p. 1894 b.

f Quæst. in V. & N.T. q 102. Tom. Aug. 4. p.433.c.d.

& omnem quæ ad hoc mysterium requiritur, præparationem propriæ singulorum conscientiæ permittere. Luculentissimus extat Chrysostomi eam in rem locus, ubi ex ipso Paulo docet, quæ esse debeat singulorum fidelium ad huius mysterij perceptionem præparatio g; *Propterea* (inquit) *Paulus dicit, Probet autem se unusquisque* (sic enim locum Pauli recitat) *& sic de pane comedat, & de calice bibat. Non revelavit ulcus; non in commune theatrum accusationem produxit; non delictorum testes statuit; Intus in conscientia, nemine præsente præter Deum, qui cuncta videt, fac judicium, & peccatorum inquisitionem, & vitam omnem recogitans in mentis judicium peccata deducito. Reforma quod deliquisti, atque sic pura conscientia sacram attinge mensam, particepsque sancti sacrificij fias.* Διὰ τοῦτο φησὶν ὁ Παῦλος; ἕκαστος δὲ δοκιμαζέτω ἑαυτὸν, καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω, καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου πινέτω. οὐκ ἀπεκάλυψε τὸ ἕλκος· οὐκ εἰς κοινὸν θέατρον ἤγαγε τὴν κατηγορίαν, οὐ παρέστησε μάρτυρας τῶν πλημμελημάτων. ἔνδον ἐν τῷ συνειδότι μηδενὸς παρόντος πλὴν τοῦ πάντα ὁρῶντος θεοῦ, ποιοῦ τὴν κρίσιν, καὶ τῶν ἁμαρτημάτων τὴν ἐξέτασιν, καὶ πάντα τὸν βίον ἀναλογιζόμενος, ὑπὸ τοῦ νοῦ τὸ κριτήριον ἄγε τὰ ἁμαρτήματα· διόρθου τὰ πλημμελήματα. καὶ οὕτω μετὰ καθαροῦ τοῦ συνειδότος τῆς ἱερᾶς ἅπτου τραπέζης, καὶ τῆς ἁγίας μέτεχε θυσίας. Hactenus Chrysostomus. Nihil istis dici potuit contra musteum Tridentinorum decretum disertius. Hi omnes fideles ad sacerdotis tribunal cogunt antequam ad Dominicam mensam accedant. Ille ad unius conscientiæ, Deique omnia videntis conspectum obligat. Hic unius Dei conscientiam in hac probatione requirit; Illi & sacerdotis necessariam putant. Tridentini jubent fidelem omnia delicta apud sacerdotem confiteri, Chrysostomus omnes hinc testes facessere jubet, uni peccatoris conscientiæ totum hoc judicium atque examen permittit. Profecto vel unus hic locus omne istorum Confessionale mysterium evertit. Quod vero Bellarminus respondet h, *Chrysostomum loqui de confessione, ut ordinatur ad confusionem & erubescentiam, quæ pars dici potest satisfactionis, non autem de confessione, ut ordinatur ad absolutionem sacerdotalem, quæ propriè pars est sacramenti pœnitentiæ essentialis; quod confessio à Nectario sublata non esset instituta, ut per eam sacerdos cognosceret peccata pœnitentis, & indirecte judicaret, esset ne pœnitens ligandus vel absolvendus, aut quæ pœnitentia imponenda esset; sed solum ut pœnitens illa confusione accepta partem pœnæ, quæ peccatis eius debebatur, lueret*; adeoque Chrysostomum his verbis hoc tantum velle *non esse necessarium ad eiusmodi finem obtinendum publice, vel etiam privatim confiteri hominibus, sed satis esse cum dolore & lacrymis confiteri Deo. & sic satisfacere adjunctis precibus, eleemosynis, jejuniis, alijsque pijs & laboriosis operibus*; quod inquam Bellarminus ita respondet, eo maximas nugas agit, seque plane ad incitas redactum testatur nihil habuisse, quod responderet. Ac singula quidem, quæ hic dicit, accuratius postea expendemus; quæ ad plurima Chrysostomi loca affert, non ad hunc unum. Nunc satis est ea breviter refellere. Primò quorsum iste nobis

Cap. IV. 9.

g Chrysost. homil. de ieiun. sive 4. de pœnit. quæ est 56. T. 1. p. 611. D.

h Bell. de pœnit. l. 3. c. 11. §. Resp Chrysostomum.

Cap. 17. Nectarium obtrudit? Quasi verò hic de Nectario vel locutus fuerit, vel etiam cogitarit Chrysostomus! Atqui ne illud quidem constat eum Constantinopoli, non autem Antiochiæ hanc homiliam habuisse. Ille vero de Nectario nihil; simpliciter, ut apparet, ac bona fide exsequitur, quæ ex sua, totiusque adeo illorum temporum Ecclesiæ sententia, fidelium legitima ac necessaria esset ad sacram cœnam præparatio. Tum falsum est, & à Petavio ipso Iesuita confutatum, quod iste hic, ut alibi non semel, imaginatur, quæ à publice pœnitentibus exigebatur confessio, eam publicam fuisse peccatorum ab ipsis commissorum enumerationem, ac recitationem. Itaque cum hæc, quam sibi somnians fingit, publica singulorum peccatorum enumeratio; quamque à Nectario sublatam dicit, nulla plane in rerum natura neque tum, neque antea fuerit, frustra ac inutiliter se fatigat, dum quærit in quem finem instituta esset, & hariolatur *ad confusionem pœnitentiu*, non autem *ad absolutionem* fuisse ordinatam. Præterea absurdissima sunt, & plane aliena, quæ hic iste nobis de Chrysostomi mente deliramenta effutit, statuens eum *de confessione loqui, ut ea ordinatur ad confusionem, non ad absolutionem*. Ista verò totidem monstra sunt, isti temere atque inauspicato somniata. Quæso enim quid istorum apud Chrysostomum occurrit? Absit vero hæc à nobis stultitia, ut siquid Bellarmino delirare vel vaticinari libuerit, id nos statim Chrysostomum in animo habuisse credamus. Non ex illius placitis, ac figmentis, sed ex ipsorum testium verbis, & causis de singulis testimoniis statuendum est. Iam verò totum hunc Chrysostomi locum excute; singula verba expende; causam atque institutum considera. Nihil ille profecto neque de *absolutione sacerdotali*, neque *de confusione & erubescentia satisfactoria* vel dixit, vel innuit; imo ne *confessionem* quidem semel toto hoc in loco nominavit. Mens viri clarissima est; Loquitur de ea *probatione*, quæ ex Paulo ad sacram mensam accedentibus necessaria est, quam si Bellarmino *confessionem*, præter omnem auctoris rationem libet appellare, equidem hanc illi nomenclaturam non invidebo; modo illud mihi, quod clarissimum est, concedat, quam ipse *confessionem* ex mera sua libidine absurde vocat, eam *κρίσιν* & *ἐξέτασιν*, & ex Paulo *δοκιμασίαν* à Chrysostomo appellari *judicium, disquisitionem, probationem*; & quod caput est, totum in una hominis fidelis conscientia, ac sub unius Dei, non autem ullius præterea hominis, oculis fieri. Ergo cum Chrysostomum clarum sit loqui de *probatione* (quam Bellarminus ridicule & omnibus inuitis Musis *confessionem* vocari vult) ut ea *ordinatur*, non quod iste absurdissime delirat, vel *ad sacerdotalem absolutionem*, vel *ad confessionem pœnitentiu*, sed *ad utilem & legitimam sacræ Eucharistiæ perceptionem*; profecto & illud quoque manifestum est, Chrysostomum nullam à fidelibus apud sacerdotes confessionem ante sacram communionem requirere; cum ipso Bellarmino fatente, Chrysostomus ad id quod

hoc

hoc loco vult & molitur, necessarium esse neget vel *publice vel etiam privatim confiteri hominibus.* CAP. IV.

Idipsum ex eo clarissime confirmatur, quod alibi postquam auditores ad Christianam cum fratribus reconciliationem cohortatus est; *i* ἂν τοῦτο (inquit) κατορθώσωμεν, δυνησόμεθα μετὰ καθαροῦ συνειδότος, καὶ τῇ ἱερᾷ ταύτῃ καὶ φρικτῇ προσελθεῖν τραπέζῃ, καὶ τὰ ῥήματα ἐκεῖνα τὰ τῇ εὐχῇ συνεζευγμένα μετὰ παῤῥησίας φθέγξασθαι. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, τὸ λεγόμενον. διὸ τῷ ἑκάστου συνειδότι καταλιμπάνω, εἰδέναι πῶς μετὰ κατορθωκότες τὴν ἐντολὴν, μετὰ παῤῥησίας προσιέναι ταῦτα δυνάμεθα κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον τὸν φοβερόν. *Si hoc fecerimus, poterimus pura conscientia ad sanctam, terribilemque hanc mensam accedere, & verba illa. quæ precationi inserta sunt, cum fiducia dicere (intelligunt initiati, quid sit quod dico.) Proinde uniuscujusque conscientiæ relinquo, quomodo mandato illo impleto per terribile illud tempus hæc fidenter dicere possimus.* Vides, ut nullum vel apud sacerdotem, vel apud alium quemvis hominem examen aut judicium inter suam concionem, & sacræ mensæ participationem medium relinquat, præter eam, quæ fit apud singulorum conscientias, probationem? Nullam ergo apud sacerdotem privatam confessionem ante Eucharistiæ perceptionem singulis necessariam agnovit.

i Chrysost. in Gen. hom. 27. p. 197. a. b.

Huc etiam pertinent, quæ in homilia de Philogonio, quinque ante Christi natalem diebus dictâ occurrunt; in qua cum Chrysostomus multis facundissime, ut solet, atque copiosissime auditores suos ad sacram Synaxin proximo festo celebrandam cohortetur, eosque jubeat quinque illos dies, qui supererant, in eas curas impendere; inter cætera, quibus hæc ad Eucharistiam præparatio continetur, *confessionis*, quæ ex adversariorum dogmate inprimis necessaria est, ne meminit quidem. Iubet *k* suos *vitiis, quibus assueverant, nuntium mittere; à rapina, à maledicentia, a contumelia abstinere, liberalitati, eleemosynis, mansuetudini operam dare. Hæc* (inquit) *non egent diebus multis, annis ve, sed solo animi proposito, & unico die perficiuntur. Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate; Pollicere te posthac ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor, ac fidejubeo fore, ut si nostrum qui peccamus, quisque recedens à pristinis malis ex animo vereque, promittat Deo se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad excusationem.* ταῦτα οὐ χρόνου δεῖται, οὐδὲ ἐνιαυτῶν πολλῶν, ἀλλὰ προαιρέσεως μόνης, καὶ ἐν μιᾷ κατορθοῦται ἡμέρᾳ. ἀπόστηθι τῆς πονηρίας. ἐπιλαβοῦ τῆς ἀρετῆς. παῦσαι τῆς κακίας. καὶ ὑπόσχου μηκέτι ταῦτα ποιεῖν, καὶ ἀρκεῖ σοι τοῦτο εἰς ἀπολογίαν. ἐγὼ δὲ μαρτύρομαι καὶ ἐγγυῶμαι, ὅτι τῶν ἁμαρτανόντων ἡμῶν ἕκαστος ἂν ἀποστὰς τῶν προτέρων κακῶν ὑπόσχηται τῷ Θεῷ μετὰ ἀληθείας μηκέτι αὐτῶν ἅψασθαι, οὐδὲν ἕτερον ὁ Θεὸς ζητήσει πρὸς ἀπολογίαν. Hæc Chrysostomus. Ergo, inquam, *Confessionem apud sacerdotem*, quæ istis ut constat, non continetur, à fidelibus ex Chrysostomo minime requirit Deus, ad hoc, ut cum eius venia & gratia ad sacram Christi mensam accedant. Cætera *l*, quæ ad finem homiliæ sequuntur,

k Chrysost. hom. de B. Philog. quæ est u. T. 1 p. 358. D.

l Ibid. p. 360.

CAP. IV. quuntur, in eandem sententiam scripta sunt. Solam resipiscentiam, solam peccatorum detestationem, veramque ex animo ad Deum conversionem à suis exigit. *Confessionis* apud ullum mortalem nullus meminit; neque quos reprehendit, iis *confessionem* neglectam obiicit, neque quos cohortatur, de ea facienda monet.

Ita & alibi multa de prædicationis in auditorum animis efficacia, sane præclara ac pœne divina, locutus *m*. *Communi* (inquit) *omnibus doctrina proposita conscientiæ relinquimus auditorum, ut convenientem suo vulneri ex iis, quæ dicta sunt, eliciant medicinam*, κοινὴν ἅπασι προθέντες τὴν διδασκαλίαν τῷ τῶν ἀκροωμένων συνειδότι καταλιμπάνομεν, ὥστε ἕκαστον τὸ κατάλληλον φάρμακον τῷ οἰκείῳ τραύματι ἐκ τῶν λεγομένων ἐπισπάσασθαι. Non sic nostri nunc confessionarij, qui singulorum conscientias non modo curiose, sed etiam impudenter scrutantur, neque quemquam sibi ipsi permittunt, sed uniuscuiusque vulneri remedium sigillatim adhibere sui quoque officij esse contendunt. Hanc Chrysostomi perpetuam in locis tam multis mentem paucis verbis expressit Pelagius, *n* commentario in priorem Pauli ad Corinthios Epistolam, qui sub Hieronymi nomine, sed falso, jampridem circumfertur. *Prius* (inquit) *perscrutanda est conscientia, si in nullo nos reprehendit; & sic aut offerre, aut communicare debemus.*

Neque minus aperta sunt Augustini, quam Chrysostomi in eam sententiam verba in quodam de Domini verbis sermone à Beda laudato *o*; *Cogitantes ergo* (inquit) *gradus vestros, servantes & professionem vestram, accedite ad carnem Domini, accedite ad sanguinem Domini. Qui se scit aliter esse, non accedat. Compungimini magis sermone meo.* *Mox*; *Ecce* (inquit) *dedi Domine Deos meos*; *Ecce in conspectu tuo, & Angelorum tuorum, & in conspectu ipsius plebis tuæ erogavi pecuniam tuam, Timeo enim judicium tuū; Ego dedi, Tu exige, & si non dicam, facturus es. Ergo hoc potius dico*; *Ego dedi, tu converte, tu parce. Fac pudicos, qui fuerunt impudici.* Tum postremo conversus ad plebem; *Quicumque impudici estis, corrigite vos, dum vivitis. Ego enim verbum Dei loqui possum, impudicos autem & in nequitia perseverantes de judicio Dei & damnatione liberare non possum.* Hactenus Augustinus. Vides, ut auditorum conscientiæ judicandum relinquat, an ex verbo Dei à se tradito ad sacram mensam accedere debeant, neque eos ad aliud confessionale tribunal amandet, ut de eo statuere queant. Ac ne secutis temporibus mutatum putes, patet ex Dorotheo Archimandrita, sexto quo ille vixit, sæculo ne monachos quidem, communicarent, confiteri ante coactos. Is enim narrat *p* Monachum suspiciosum monuisse, suum Abbatem, ut fratrem quemdam à sacra communione cohiberet, quod eum sibi visus esset videre ficus mane furtim in horto suscipientem, & comedentem, Quæ ut liquet, admonitio supervacanea & absurda erat, neque ab Abbate admittenda, si usus tum fuisset neminem istorum Monachorum ad Eucharistiam admitti, nisi confessione apud aliquem sacerdotem prius functum.

m Hom. 37. T. 5. quod peccata non sunt evulg. p. 664. D.

n in 1. Cor. 11. 37 Hieron T. 9 fol. 140. D.

o Aug. Serm. 46. de verb. Dom. T. 10.

p Doroth. Doct. 9. T. 1. Bibl. patr. Gr. Lat p. 802. b. c. d.

Sed

Sed ne nono quidem sæculo videmus hoc à fidelibus communicaturis postulasse Patres, ut apud sacerdotem confessione arcana pectus purgarent antequam ad Domini mensam accederent. Alterius Cabilonensis Synodi a. D. 813. canon extat hoc titulo *q*. *De discretione adhibenda in perceptione Eucharistiæ.* Hic locus poscebat, ut confessio illa arcana præciperetur, si tum obtinebat. Atqui nulli eius meminerunt illius Synodi Patres. Tantum monent *in perceptione corporis & sanguinis Domini magnam discretionem adhibendam esse; cavendumque ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat; si vero indiscrete accipiatur, timendum esse illud quod ait Apostolus.* Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. *Iuxta ejusdem ergo Apostoli documentum, probare se debet homo, & sic de pane illo manducare; & de calice bibere, ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamque suam præparet se ad percipiendum tantum sacramentum.* Hæc illi. De confessione plane nihil dicunt. Eadem observare est apud Hincmarum, qui annum Domini 880. supergressus est, quo loco fusissime, ut fere solet, apud Carolum Calvum Regem eas animi præparationes exsequitur *r*, quæ sunt ad huius Sacramenti perceptionem necessariæ. Exigit, *ut se ipsum quisque judicet; ut constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Deinde sanguis animæ per lacrymas profluat, postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini.* Et cætera longiuscula, in quibus nusquam confessionis meminit. Cum ergo ex his appareat nulla Ecclesiæ lege fideles per omnia illa tempora fuisse ad confessionem apud sacerdotem faciendam obligatos ad hoc ut rite communicarent; nemo non videt Innocentianæ confessionis disciplinam nullo apud veteres in usu fuisse; quæ si tum cognita & approbata esset, in hoc haud dubie religionis articulo usurpata fuisset, ad quem ipsi Latini docent eam maxume esse adhibendam.

q Conc. Cab. 2. can. 46. T. 2. Conc. Gall. p. 318.

r Hincm. Opusc. 1. c. 12. T. 2. p. 100. 102.

CAPUT

Caput V.

Argumentum V. inde ductum, quod in vita supremis confessionem auricularem facere aut expetere fideles apud Latinos quidem cuncti, apud veteres vero Christianos nulli in utrorumq; libris reperiuntur, quod magna ex utraque parte exemplorum copia demonstratur.

ALIUD etiam est vitæ humanæ tempus, quo confessionem Latini & avidissime expetunt, & diligentissime factitant, nimirum cum versantur in supremis. Tunc enim eam esse de jure divino necessariam, docent *s*. Itaque mori non confessum, infœlicissimum putant, & merito sane, si ad obtinendam veniam atque remissionem interior pœnitentia, quam contritionem vocant, absque hac vocali peccatorum apud presbyterum enumeratione non est satis. Iarricus, insignis apud Ignatianos magister, magnæ infœlicitati deputat *t*, quod Christiano cuidam, de quo narrat, contigerit absque sacerdote & confessione mori; tametsi eum alioqui affirmet peccatorum suorum pœnituisse. Idem vicissim septuaginta quibusdam Christianis Caymele a.D. 1608. peste absumptis multum gratulatur *u*, quod pæne omnes rite confessi mortui sint. Solerius scriptor eiusdem ordinis, tradit *x* puellam egregiæ (ex Iesuitica quidem disciplina) pietatis, cum in gravem morbum incidisset, de presbyteri cui confiteretur, absentia plus doluisse, quam de suæ valetudinis discrimine. Sed & pia vota Dominum exaudivisse, repente præter spem repræsentato sacerdote Iesuita, qui adhibito confessionis remedio utrumque & animi & corporis morbum simul ac semel curavit. Simile est, sed multo mirabilius, quod pro vero venditat Alexander Rhodius *y*, cum optimus quidam de Cocinsina neophytus ægerrime ac pæne inconsolabiliter ferret, quod eius mater absente presbytero sine confessione mortua esset, mulierem ad leniendum pij filij dolorem fuisse divinitus resuscitatam. Itaque Latini, quorum sedulitatem atque providentiam nemo nescit, suis adversus funestissimum casum, quoad quidem fieri potuit, diligenter cavetunt. Nequid enim hujusmodi contingeret, mysterij confessionarij parens Innocentius medicis corporum jampridem districte præcipit *z*, *ut quoties ad infirmos vocantur, ipsos ante omnia moneant & inducant quod medicos advocent animarum*, id est presbyteros, Medicos, qui constitutionem hanc suam violaverint, arceri ab Ecclesiæ ingressu tamdiu jubet, donec *competenter pro delicto satisfecerint*. Ignatius verò, princeps Iesuitarum Divus, cum videret *a* saluberrimum decretum magna morientium fraude, etiam in ipsa urbe Roma haudquaquam ea, qua par erat, religione observari, tot animarum periculis pro sua

s Sot. in 4. d. 18 q. 1. art. 4. concl. 5.
t Iarric. Indic. l. 4. c. 18 p. 591.
u Id. ibid. l. 6. c. 25 p. 799.
x Sol. Iap. l. 18. c. 12. p. 629. & Ann. Iap. a. 1626. p. 191.
y Alex. Rhod. Itin. Eoi part. 2. c. 10. p. 98.
z Innoc. 3. in Conc. Later. c. 22.
a Orland hist. Soc. l. 4. §. 9.

pro sua caritate anxius, rem ad Papam detulit, ac sua oratione, suoque consilio pervicit, ut Innocentianum inventum in usum revocaretur. Idem ut apud Siciliam obtineret *b*, paucis post annis Domenecus Ignatianus Socius Panormi à Prorege impetravit. Cum ergo Latini hoc Christianæ religionis officium esse putent usque adeo necessarium, non est mirandum, quod non modo ipsi id omnes in supremis versantes qua licet, religiosissime præstent; Sed etiam scriptores præstitum à morientibus memorent, quorum res in vita & morte gestas vel ex professo narrant, vel obiter tantum perstringunt. Nos ex immenso exemplorum acervo pauca ad specimen afferemus. Froës Bartholomæum, Omuranum Principem, qui Dynastarum Iaponum primus Latina sacra amplexus est, dignis elogiis cohonestat, & refert *c* postremo ex morbo quodam esse mortuum, *quem ei Deus ideo* (inquit) *immiserat, ut se ad mortem imminentem tanto diligentius compararet, quod & sane præstitit crebro confitendo & communicando.* Idem alibi de Leone quodam ad Latinum ritum valde pio *d*; *In gravi* (inquit) *morbo sese ad mortem facta exomologesi comparavit. Confessionem* autem Innocentianam dicit; quam solenni quidem, sed gravi vel inscitia, vel fraude *exomologeseos* nomine donat, quam nos plane aliud fuisse jam non semel demonstravimus. Trigautius Paulum Sinam neophytum inter multa præclara, quæ de eo prædicat, & hoc diserte tradit *e*, non semel esse de peccatis in morbo confessum; & alium ejusdem ordinis virum, cognomento Ciù, refert peccata identidem esse confessum, & in alia operis parte *f* quemdam ex eadem gente neophytum jam octogenarium de peccatis in supremis confessum, viaticum à Iesuitis expetivisse. In Annalibus *g* alius quidam annum alterum supra nonagesimũ ingressus, simul ut morbo se correptum sensit, confitetur, & supremam unctionem suscipit. Apud Solerium *h* Paulus quidem primus ille Divi Xaverij ex Iaponibus discipulus, rite cõfessus & unctus Bungi moritur. Apud Almeidam *i* Firandinus quidam civis, Ethnici Regis Secretarius, cum animadverteret se iam ad vitæ exitum appropinquare, susceptas in vita maculas confessione delet, & quod nullus esset in quo degebat loco, sacerdos, Bungum se confert, & quidem cum heri sui offensione, magnoque rei familiaris discrimine. Alibi nobis exhibet Trigautius *k* vetulum quemdam Firoximensem religiosissimum militem; qui biduo, quo ante mortem ægrotavit, semel atque iterum confessus, Iesu & Mariæ nomina invocans, animam efflavit. Alij in annalibus tradunt *l* Iulium Pianotum Iesuitam tam gravi subito morbo occupatum fuisse, ut vix suppeteret tempus confessioni faciendæ, extremæque unctioni capessendæ, qua accepta illico esse mortuum; & Iaponem quemdam neophytum *m*, cui nihil erat in morbo gravius, quam quod sibi de vita periclitanti sacerdotem deesse videret, repente magno Dei dono valuisse commodius, ut etiam ad Iesuitam triginta inde milliaribus absentem pergeret, & confessione apud eum facta ita demum

Cap. v.

b Id. ibid. l. 7. §. 19.

c Ann Iap. a. 1586. 1557. p. 19.

d Ann. Iap. ad 1596. p. 290.

e Trig. Sinic. l. 4. c. 19. p. 469.

f ibid. p. 470.

g Ann. Sin. a. 1611 p. 166.

h Sol. Iap. l. 5. c. 7. §. 20.

i Epist. Iap. l. 5. fol. 180.

k Trig. Mart. Iap. l. 5. c. 10. p. 283.

l Ann. Iap. a. 1601. p. 145.

m Ibid. p. 195.

Cap. V.

a Iarr. Indic. l. 1. c. 1. p. 110. optata morte frueretur. Iarricus *a* D. Ioannem de Castro, Indiarum apud Goam Proregem, viri suprema exsequens, scribit inprimis se ad mortem instantem munivisse *acceptis pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ unctionis sacramentis*, id est ut omnes intelligunt, confessum, communicatum, & unctum ad plures abivisse; & in eadem operis parte narrat *o* Petrum Velleium, ex quadam Divi Xaverij, cuius familiaris fuerat, prædictione, de fatali hora divinitus admonitum, cæteris abiectis curis, mortis meditationi totum vacasse, bona egenis distribuisse, confessionem delictorum apud sacerdotem composito sedatoque animo accuratam fecisse, Eucharistiamque sumpsisse; postremo vita exsolutum fœliciter quievisse. Apud eundem *p* descripta habetur Laurentij Soarezij, de Goano Iesuitarum seminario auditoris, mors, ut ipse quidem judicat, longe beatissima; quam cum instare religiosissimus puer intelligeret, crebrius solito confiteri ac communicare cœpit, plurimisque inde habitis cum Diva Virgine, & cum Domino Christo, cuius imaginem in cruce patientis tenebat, suavissimis ac devotissimis colloquiis, tandem expiravit. Idem in eodem libro affirmat *q* Monachum Æthiopem pæne centenarium divinitus non semel admonitum, ut si salvus esse vellet, ad Iesuitas iret, iisque confiteretur, tandem paruisse, & Latina sacra professum decem inde dies superfuisse, neque ullum eorum dierum absque confessione transegisse. Iam apud Solerium *r* Ioannes Fernandius, primus Divi Xaverij apud Iapones Socius Firandi rite susceptis omnibus sacramentis (id est confessione, communione, & unctione extrema) vivere in terris desiit, Leo *s* item, civis Meacensis, honestus inprimis ac locuples, morbum ingravescere sentiens quotidie confitetur; ex pietate magis, quam ex necessitate; D. Michaël Amacusæ regulus *t* ex letali morbo decumbens confitetur, communicat, & animam exhalat; Et Augustinus Tsucamidonus *u*, magnus Iesuitarum apud Iaponas heros, cum sibi Cōfessarij copiam fieri frustra expetivisset, capite crudeliter truncatus cadit. Idem Solerius narrat *x* Sacondonum, principem apud eandem gentem virum, in supremis confessum viaticum accepisse; Et alium de plebe hominem *y* sacerdoti ad se ab anu quadam adducto peccata confessum esse, ad id temporis divinitus servatum, nequid ei Christianorum mysteriorum deesset. Fuisse & quemdam nonagenariũ senem *z*, cui se religiosissime ad mortem comparanti, cum id (inquit) *quod caput est*, deesset (confitendi scilicet copia) duo divinitus Iesuitæ in extremis versanti obtigerint, apud quos confessus placide tandem migravit. Episcoporum mortes eodem quoque modo exsequuntur. Ludovicum Cerqueiram, Lusitanum Iaponum Episcopum a. D. 1614. Nangasaci mortuum esse tradunt Iesuitarum annales *a*, sed & illo rerum suarum articulo confessionem fecisse. Ita Vasatensem in Gallia Episcopum Antonius Godellus, Grassensis & ipse Episcopus, cum paulò ante mortuum laudaret in frequentissimo Cleri Gallicani conventu, diserte dixit *b iam ab initio illius morbi, qui ei*

letalis

Margin notes:
o Ibid. c. 25. p. 275.
p Id. ibid. l. 5. c. 3. p. 25.
q Id. ibid. c. 39. p. 3 5.
r Soler. Iap. l. 3. c. 7. §. 73.
s ibid. l. 6. c. 11. §. 105. 106. 107.
t ibid. l. 7. c. 8. §. 67.
u Ibid. l. 12. c. 3. p. 222.
x Ibid. l. 14. c. 3.
y Ibid. c. 8.
z Id. ibid. l. 19. c. 25.
a Ann. Iap. a. 1614 p. 422 425.
b Godell. in Laudat. funebr. Ep. Vasat. p. 60 63.

letalis fuit, apud monachum quemdam Dominicanum profunda humilitate, accuratißimaque diligentia confeßionem fecisse. Sed his addendæ videntur aliquot mulierum in supremis confessiones, quas non minus quam virorum, Latini scriptores solent talibus in locis memorare. Froës Dominæ Maxentiæ mortem describens, principis apud Iapones fœminæ, de cujus pietate me jam supra aliquid dixisse memini, refert *c* eam in illo ultimo vitæ articulo versantem voluisse confiteri, tametsi nihil sibi conscia; paulò post expirasse calculum benedictum manu tenentem, & ad consequendam plenariam indulgentiam ter Iesu & Mariæ nomina pronuntiantem. Idem narrat *d* Martham quandam ex eadem gente mulierem in ædes maternas post factam apud Iesuitas confessionem, reportatam paulò post esse mortuã, cum reliquias, rosarium, calculos benedictos, sacras imagines, & alia pietatis Latinæ instrumenta fœminis, quę ei laboranti ministrarant, benigne distribuisset. Sic etiam Trigautius *e* mulierem Firoximensem, domi nobilem, gravissimo morbo laborantem confessionem fecisse, & naturæ debitum exolvisse dicit. Solerius Dominam Gratiam, fœminam eminentissimam, & omni ornamentorum ac virtutum genere abundantem, Iocundoni Regis Tangensis uxorem, paulò ante quam tragicam illam mortem; quam ipse describit, conjugis jussu, magno & invicto animo pateretur, confessam fuisse monet *f*, & Iesu ac Mariæ nomina etiam tum invocasse, cum ei cervix crudeliter amputaretur. Religiosissimæ cujusdam Virginis hoc quoque apud eundem auctorem elogium est *g*, quod & vivens Divæ Matris rosarium quotidie recitaret, neque unquam de conjugio cogitasset, & moriens Iesuitæ confessa esset. Annales Iaponici narrant *h* Isabellam Iacobi Mimasacæ viduam, post reportatas iterata confessionis & communionis frequentatione multas de Paganorum tentationibus palmas, tandem in supremis reliquorum sacramentorum (id est confessionis & communionis) præsidio munitam, unctionem extremam suscepisse, inde animam emisisse. Sic etiam Theclam *i* pro Latina fide vinctam, in morbum incidisse, & ex eo edita apud Sacerdotem cõfessione prius expiatam, paulò post esse mortuam. Denique in Brasiliensium commentariis *k* legimus quandam illic Latini ritus mulierem in extremis apud Ignatianum sacerdotem esse confessam, oleo inde sacro postremum perunctam fatis tandem concessisse.

Sed hæc quidem vereor ne sint plus satis; quæ tametsi multa videri possint, paucissima sunt tamen præ iis, quæ de hoc genere in omnibus Latinorum libris occurrunt. Vnde quivis intelligit quam studiose apud eos omnes fideles, viri, mulieres, senes juvenes, proceres, plebeij, Reges, privati, clerici, laïci, monachi hoc Innocentianæ confessionis mysterium in morte usurpent. Neque vero dubitandum est, quin veteris Christianismi & fideles eadem facturi fuerint, & scriptores paria similibus locis tradituri, si eadem cum Latinis sensissent. At qui nihil tale in

CAP. V.

c Ann. Iap. a. 1596. p. 105.

d Ibid. p. 109.

e Trig. Mart. Iap. l. 2. c. 17. p. 224.

f Sol. Iap l. 9. c. 1. p. 176

g d. ibid. l. 17. c. 1. p. 497.

h Ann. Iap. a. 1606. p. 186.

i Ann. Iap. a. 1618. p. 116

k Ann. Brasil. a. 1612. p. 164.

Cap. v. omnibus veterum monumentis occurrit. Ne ipsi quidem credo, adversarij negaverint neminem istic reperiri, qui cum Iarrico infœlicitati deputet hominem contritum ante mori, quam peccata sacerdoti in aurem insusurrarit, vel qui cum eodem gratulandum fideli alicui ducat, quod in supremis ante sit confessus, quam mortuus. Neque istic fidelem ullum inuenio, cui vel valetudo, vel etiam vita ad hoc vel reddita, vel protracta fuisse dicatur, ut ei liceret peccata sua in arcano apud presbyterum confiteri. Decretum vero Innocentiani geminum pervelim mihi ab istis antiquariis proferri ex priscorum Christianorum tabulis, quo Medici sub excommunicationis pœna jubeantur fideles, quorum valetudinem curant de accersendo Confessario admonere atque urgere. Nihil in tota antiquitate simile cernitur. At si confessionis ea est, quam Latini putant necessitas, omnino decebat veteres aliquid huiusmodi decernere. Cave vero existimes primum ex omnibus Christianis Præsulibus sapuisse Innocentium. Ante eum fuerant innumeri, ipso multo & prudentiores & meliores. Sed hi scilicet de animarum salute solliciti, de confessione illa apud unum hominem vocali & arcana, quæ nihil ad salutem valet, ne cogitarunt quidem. Ille, qui cuperet omnium hominum mentes sibi & clericis, suis mancipiis esse & semper & maxime in supremis vitæ momentis subjectas, confessionis suæ necessitatem callide commentus est; ac nequis fidelium huius tam sibi suisque fructuosi jugi expers moreretur, illam Medicorum, quam diximus, operam ad id non stulte profecto adhibendam putavit. Sed illud nunc videamus, num ut Latini recentiores, ita olim veteres Christianismi scriptores eos fideles, quorum mortes narrant, confessos fuisse apud sacerdotem in supremis memorent. Loca sunt in veris antiquitatis Christianæ monumentis pæne innumerabilia, in quibus fidelium mortes describuntur. Inspiciamus siquid in iis de morientium arcana apud sacerdotem confessione tradatur. Anteriora mitto, in quibus de piorum, nisi forte martyrum, morte raro quicquam narrant. Pontius, ubi Cæcilij Carthaginensis presbyteri, viri justi & memoriæ laudabilis, mortem tangit *l*, & ab eo *de sæculo recedente, arcessitione iam proxima, conjugem & liberos Cypriano* (quem ille olim ad Christum converterat) *commendatos fuisse* narrat, *ut quem* (inquit) *fecerat de secta communione participem, postmodum faceret pietatis hæredem*; Pontius, inquam, hic Cypriani, Episcopi sui, memoriæ debebat, ut ejus in Christianismo magistrum ritu Christiano mortuum esse, hoc est communicatum, confessum, atque unctum, hoc obiter loco diceret, si ita mori jam tum erat fidelium ritus. Dixisset Cyprianum suo in Domino parenti, in ultimo agone consistenti, officia rependisse, quæ ab eo ipse primum Christi olim curriculum ingrediens acceperat, Dixisset ejus morientis confessionem audivisse, qui suam initio professionem exceperat, oleo denascentem munivisse, qui se chrismate nascentem munivisset. Sed nihil ille horum dixit; quæ scilicet nondum erant apud

l Pont. Diac. in vita Cypr. est ai.b.

apud Christianos nota, multis demum postea sæculis inventa. Helenæ Augustæ mortem, Constantini matris, descripsit Eusebius *m*; ut testamentum condiderit; ut eo condito octogenaria, assistente & manus tenente Filio, vivendi finem ita fecerit, ut non mori, sed vitam caducam cum æterna commutare prudentibus videretur. De confessione peccatorum apud presbyterum facta, nihil dicit, quæ si vere facta esset, tam dici merebatur, quam testamenti confectio. Nicolaum, Myræ Episcopum, iisdem circiter temporibus mortuum, Breviarium Romanum narret *n* instante morte *sufficientem in cælum, cum Angelos sibi occurrentes intueretur, illo Psalmo pronuntiato,* In te Domine speravi, *usque ad eum locum.* In manus tuas commendo Spiritum meum, *in cælestem patriam migravisse.* Hæc quidem isti unde habeant, nescio, certe confessionis non meminisse clarum est. Athanasius, Antonij Monachorum parentis mortem, præfatus dignam, quæ à se commemoretur, & à nobis cupide audiatur; accurate describit *o*, virum sanctum de suo exitu divinitus doctum, fratres in monte exteriore visisse, & extremum esse allocutum, multaque ad fidei & vitæ integritatem pertinentia præcepisse, tum iis valedicentem in montis interiora, ubi commorari solebat, rediisse *p*, post paucos menses in morbum incidisse *q*, & duos monachos, qui una erant, eique propter senectutem ministrabant, accersivisse, eosque pluribus ad constantiam in vera pietate hortatum, illud nominatim districte jussisse, ut corpus quidem suum clam, nemine conscio sepelirent, nequis Ægyptiorum suas reliquias aliò auferret: vestes verò suas amicis distribuerent; his dictis, lætum expiravisse. De confessione, nihil. At si, ut nunc apud Latinos est, ita tum apud Ecclesiam in usu confessio fuisset, eam & Antonius fecisset, & Athanasius factam memorasset. Antonius de morte imminente certior factus presbyterum accersiri ad excipiendam confessionem suam jussisset; Athanasius id vel factum dixisset, vel cur non esset factum exposuisset; ut Latinos in locis paribus sese gerentes nuper exhibuimus. Atqui plane nihil huiusmodi apud Athanasium toto hoc loco legitur. Iam Athanasij ipsius vitam, & laudes luculentissima oratione dixit vir illius sæculi disertissimus, Gregorius, in qua postremo vitam eum ait *r in bona senectute clausisse, Patribusque suis Patriarchis & Prophetis & Apostolis ac Martyribus, qui pro veritate dimicaverunt, adjunctum esse*; *Confessum* vel *inunctum* (quod nunc Latinorum est) non dicit. ἐν γήρᾳ καλῷ (inquit) καταλύει τὸν βίον, καὶ προςτίθεται τοῖς πατράσιν αὐτοῦ. Idem Basilij Episcopi, viri & maximi, & amicissimi, mortem in oratione encomiastica, magna cura, ut par erat, enarravit *s* ut morbo primum pæne exanimatus, deinceps robustior repente factus discipulis quibusdam suis, ordines contulerit; ut effusos circa jacentem, ac ultima suspiria trahentem cives Cæsarienses pæne omnes, tantique viri discessum ægerrime ferentes, sacrosancta doctrina non nihil instruxerit, extremisque alloquiis meliores effecerit; ut denique novissima verba

CAP. V.

m Euseb. de vita Const. l. 3 c. 46 fol. 144.b. edit gr.

n Brev. Rom. Fest. Dec. 65. d 6. Dec. p. 805.

o Athan in Vita Ant. T. 1. p. 501. c. d.

p p. 502. d.

q p. 503. b. c. d.

r Greg. Naz. Orat 21. extr. T 1. p 397. A.

s Id. Orat 20. p. 370. d 371. b.

hæc dixerit, *In manus tuas commendo spiritum meum*, iisque dictis animam lætus exhalarit. Tantum ille de sanctissimi viri supremis; De confessione ab eo vel facta, vel expedita non magis loquitur, quam si hominis (ut nos Latini per contumeliam vocare solent) *Calviniani* suprema describeret. Item antea, superstite & præsente Basilio, parentis sui Gregorij, Nazianzeni Episcopi, laudationem funebrem dixerat, in qua eius mortem breviter describit *t*; Ac primum morbi, quo valde senex molestissimo afflictus erat, unum ei lenimen ac solatium fuisse præfatur sacrum ministerium, quo scilicet dum in Ecclesia pro muneris sui ratione, tametsi infirmus, fungebatur, *se subducebat ægritudo, tanquam ex imperio fugaretur*, ὑποχώρει τὸ πάθος, ὥσπερ ἐξ ἐντολῆς φυγαδευόμενον. Tum addit *u* centum ferme annos egressum *ita demum in bona senectute vitam clausisse, Quomodo? In orationis* (inquit) *verbis ac gestibus, nullo vitij vestigio, plurimis virtutum monimentis relictis.* Hic Patris optimi *confessionem* memorasset filius amantissimus, si qua facta esset, & facta esset ab hoc viro, si fieri tali tempore mos Ecclesiæ fuisset. Sed & Cæsarij fratris, & Gorgoniæ sororis funebres orationes scripsit & reliquit Gregorius, eloquentia sua dignas, in quibus utriusque mortem exhibet; in neutra confessionem memorat. Ac Cæsarij quidem obitum * brevissimè perstringit *x*, eum terræmotu (qui Nicæam in qua tum degebat, totam pœne quassaverat) *superiorem quidem fuisse; morbo vero non item, hominem enim fuisse.* ἀλλὰ τοῦ μὲν σεισμοῦ κρείττων ἐγένετο, τῇ δὲ νόσῳ ἑάλω. καὶ γὰρ ἦν ἄνθρωπος. Gorgoniæ verò mortem accuratissime describit *y*, etiam id ad se postulare rei ipsius dignitatem præfatus; maturè dissolvi cupivisse, idque à Deo & flagitasse & impetrasse; etiam fuisse monitam de die, quo esset migratura; tam enixe curavisse, ut maritus se superstite baptismum, quo hactenus carebat, susciperet; Hoc quoque consecutam, cum dicta cœlitus dies advenisset, decubuisse *z* & ad mortem se comparasse; ad virum, ad filios, ad amicos sermones sua pietate dignos habuisse, deque altera vita præclare disseruisse; postremo voce summississima illa de Psalmo verba mussitasse, *a* ut Pastor, qui aderat, aure ei admota *deprehendit. In pace in id ipsum dormiam, & requiescam*, ita demum in Domino obdormivisse.* Sensibus caret, qui non videt Gregorium carissimæ sororis, cujus etiam minima, ut novissima cum caris colloquia, ut illa eius de Psalmo verba, vel tam diligenter notat, vel operose exsequitur, confessionem, capitalem pietatis partem nequaquam fuisse prætermissurum, si quam illa fecisset; Non facturam fuisse Gorgoniam, si eam illius sæculi Ecclesia in usu habuisset, nemo credet, qui summam fœminæ pietatem ex ipso Gregorio didicerit. Alter Gregorius, huius amicissimus, sed aliquanto junior, eodem sæculo extitit Nyssenus; cuius aliquæ supersunt in fideles vita functos orationes laudatoriæ, in Gregorium Neocæsariensem, in Ephremum, in Macrinam sororem, in alios; Sed horum, quos dixi, mortes cum narret, nullius in hoc rerum articulo confessio-

t Id Orat. 19. p. 39. a.

u ibid. b.

x Id Orat. 10. p. 169.

* a.D. 369.

y Id Orat. 11. Gorg. p. 187. c.

z ibid. p. 186. b. c.

a ibid. p. 187. d.

* a.D. 379.

CAP. V.

fessionem memorat. At Gregorij quidem obitum simplicissime sic exhibet *b*, *Precatus* (suis Neocæsariensibus) *& iis, qui iam credidissent, incrementum ad perfectionem & incredulis conversionem, ita ex vita humana ad Deum migrat obtestatus necessarios suos, ne peculiarem sibi locum sepulturæ compararent.* Ephremi vero Syri discessionem pluribus exsequitur; sanctum virum iis, qui aderant, mandasse *c*, *ne pretioso cum vestimento corpus suum sepelirent*; & consecutum inde miraculum narrat; Hinc cum vitæ finis immineret, fideles circumstantes *multis piis* commonitionibus ad virtutis studium, atque amorem esse cohortatum, atque ita ad tranquillum æterni regni portum fæliciter emigravisse *d*. Macrinæ vero & religiosissimæ mulieris, & sororis suprema, provocante tum pietatis, tum naturæ ipsius affectu effuse ac plane singulari cura describit *e*; Vt se, cum eam decumbentem ex gravissimo illo morbo quo exstincta est, inviseret, sermone de divina providentia sapientissimo primum exceperit; Vt repetito paulò post colloquio summa Dei in se suosque, & Gregorij communes parentes, & in ipsum Gregorium beneficia mirabili oratione recensuerit *f*; Vt diu isto ad Ecclesiasticas preces fratre, ipsa in oratione ad Deum noctem egerit *g*; Mane repertam esse carne quidem plane afflicta jacentem, mente vero erectâ, atque alacri philosophantem *h*; Sed & cum advesperasceret, præclarum licet cum fratre colloquium dimittentem, *precibus locutam esse cum Deo, manibus supplicantem & tenui voce submurmurantem, oculisque & ori & cordi signum crucis apponentem.* Illato in cubiculum lumine, cum vox defecisset, gratiarum actionem vespertinam, manuum & labiorum motione peregisse, simulque ducto ingenti suspirio vitam una cum precatione terminasse. Hæc ille. Quis sanctam mulierem, adhuc Monacham & Monacharum præfectam non confessionem, non oleum supremum, ut cætera mittam, expetituram fuisse? Quis non Episcopum venerandæ sorori, ultro oblaturum ac ministraturum fuisse intelligit, si ista tum Christianos morientes suscipere solenneerat? Hæc enim nemo credo suspicabitur, licet revera gesta, fuisse tamen à Nysseno per oblivionem aut incogitantiam in ea oratione omissa, in qua tam diligenter ac pæne anxie omnia, etiam munitissima particulatim narrat. Ambrosius, utriusque Gregorij æqualis, Satyrum fratrem mortuum luculentissima oratione luxit, in qua omnes viri virtutes & aliqua earum specimina, ac inprimis pietatem in Deum, sigillatim edisserit *i*, in hoc tamen omni sermone nullam peccatorum apud sacerdotem in supremis confessionem dixit. Sed neque ullius meminit in oratione de obitu Theodosij* Augusti, de quo cum esset in supremis non aliud dicit, quàm hoc unum *k*; quod *cum iam corpore solveretur magis de statu Ecclesiarum quam de suo periculo angebatur.* Martini Turonensis Episcopi mortem Sulpitius Severus disertissima ad suam socrum epistola descripsit *l*; *Illum obitum suum præscivisse*, & cum iam per aliquot dies vi febrium teneretur, *pernox* (inquit) *in orationibus & vigiliis fatiscentes*

artus.

b Greg. Nyss. de vita Greg. Neocaes. T. 3. p. 171. a.
c Ibid. Orat. de vita Ephr. p. 613. C.
d Ibid p. 614. b.
e Id. de vita Macr. in 2. T. 3.
f p. 189. b. c.
g p. 191 c. d.
h p. 192. d 193. a. b. c. 195. a. b. c.
i Amb. in obit. Sat. T. 3. p. 460. 461.
* a. D. 395.
k Ambr. de ob Theod. T. 3. p. 496. d.
l Sulpit. Sever. ep. 3.

Cap. V.

artus servire spiritui cogebat, in cinere & cilicio recubans; A presbyteris, qui ad eum confluxerant, rogatum, ut corpusculum lateris mutatione relevaret, respondisse, *finite me fratres, cœlum potius respicere, quam terram.* Diabolo, quem prope assistentem videbat, dixisse, *Quid hic astas cruenta bestia? Nihil in me funeste, reperies. Abrahæ me sinus recipit*; *Et cum hac voce flagitatum divinis operibus spiritum cœlo reddidisse.* Hæc ille fusius edisserit; de confessione plane nihil, quam Latini in multo brevioribus de suorum morte narrationibus nunquam omittunt. Hieronymus sui Nepotiani acerba morte prærepti * suprema singulari facundia in eius epitaphio lugens exsequitur *m*; Vt avunculum consolaretur; ut manus tanquam in Dei occursum extenderet; Vt ipsius Hieronymi etiam in o articulo meminisset, eumque avunculo amicum legaret, & in hæc postremo suæ recordationis uerba deficeret. Qui hæc singula minutatim consectatur, de confessione nihil dixit; Merito, quæ scilicet nondum illo sæculo nota erat. Par eiusdem de suprema hac confessione in Marcellæ epitaphio silentium, quam dicit *n* *obdormivisse in Domino, integro vegetoque corpusculo, in filiæ manibus oculos clausisse, in ejus osculis spiritum reddidisse, inter superstitum lacrymas, videntem conscientia vitæ bonæ & præmia futurorum*; Confessam ante dormitionem, nusquam dixit. Sed idem Paulæ mortem, & omnia in illo tempore dicta factaque, & Eustochii filiæ in matrê officia, & sua ipsius cum moriente colloquia, proprio opere curiosissime exsequitur *o*. Ait eam ad ultimũ vsq; spiritũ illos versiculos susurrasse, *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Et, *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Et, *Elegi abjecta esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Narrat, *à se interrogatam cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid? Græco sermone respondisse nihil se habere molestiæ, sed omnia quieta & tranquilla perspicere, post hæc obmutuisse, digitumque ad os tenentem crucis signum pinxisse in labiis, defecisse* denique *cum adessent Hierosolymarum, & aliarum urbium Episcopi, & sacerdotum inferioris gradus ac Levitarum innumerabilis multitudo.* Qui hæc omnia tam accurate colligit; cur confessionis, si eo quoque sigillo vitam Paula clausit, non magis istic, quam in aliorum epitaphiis meminit? Neque enim ejus vel à se exactæ, vel à Paula factæ uspiam in tota oratione meminit, Idem Pauli & Hilarionis Eremitarum vitas composuit. Neutrum ante mortem confessum tradit *p*, & Antonij tamen cum Paulo instante ejus morte colloquium; Hilarionis vero etiam morbum, & supremos sermones narrat, hos scilicet, *Egredere anima mea. Quid dubitas? Septuaginta prope annis servîisti Christo, & mortem times!* Augustinus Monicæ suprema, optimæ matris optimus filius, diligentissime in Confessionibus exposuit, *q* & quæcumque pietatem ejus significarent, in morbo, ex quo obiit, gesta dictaque studiose conquisita memoravit. De confessione apud sacerdotem facta, nullum verbum fecit.

* a.D.397.

m Hier. ep.3. T.1. fol.9. G. & H.

n Id. epist.16. fol.43. K. X.

o Id. ep. 27. T. 1. fol.63 F. G. H.

p Id. ibid. in vita Pauli fol. 85. K. L. M. & in vita Hil. fol.90. D. E.

q Aug. Confess. l.9. c. u. 12.

Augustini

Cap. v.

Augustini ipsius summi viri ac Episcopi non vulgaris mortem pari cura tradidit Possidius Calamensis Episcopus, ejus familiaris. De confessione ejus apud aliquem presbyterum suprema nihil habet, idque eo magis observari debet, quod eo loco Augustini & pœnitentiam & de pœnitentia sententiam refert; cuius si confessionem illam apud sacerdotem arcanam, partem esse necessariam putasset, eam haud dubiè ex hac occasione disertè narraturus erat. Sic enim ille r; *Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos, & sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit ultima, qua defunctus est, ægritudine. Nam sibi jusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi, de pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter ac ubertim flebat; & ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem, quam exiret de corpore, à nobis postulavit præsentibus, nequis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio. Et ita observatum, ac factum est, & omni illo tempore orationi vacabat.* Hæc hactenus Possidius. Cur ille confessionem apud aliquem sive monachum, sive de sæculo sacerdotem ab Augustino factam non laudat, perinde ac à Vasatensi Episcopo apud Dominicanum editam supra celebrabat facundissimus Godellus? Nam neque Hipponensis illius Episcopi, quam huius Vasatensis, minor pietas fuit; neque Godelli Grassensis in hoc, quam Possidij Calamensis in illo celebrando major vel cura, vel diligentia. Quid ergo est? Nimirum cum uterque ex sui sæculi legibus & vixerint & mortui sint, Augustinus quidem nullam in supremis confessionem apud ullum sacerdotem fecit; fecit Vasatensis, quod ea res hujus quidem sæculo pro sanctissimo ac maxime necessario pietatis officio habeatur, illius vero ævo nullo apud Christianos in usu esset. *Pœnitentiæ* meminit Possidius; confessionis non meminit; quod scilicet pœnitentia illa privata, ex ipsius pœnitentis arbitrio ac præscripto sponte sumebatur, atque agebatur, nullam apud sacerdotem confessionem requirebat, cuius ministerium ad solam publicam pœnitentiam necessarium illis temporibus putabatur; vt postea clarius demonstrabitur. Caprasium Lirinensem Abbatem, iisdem fere cum Augustino temporibus mortuum, vitæ ejus auctor, tametsi alioqui ut videtur, recentior, neque ipse tamen confessum in supremis memorat s; licet quatuor ad eum sacerdotes sub mortis tempus venisse narret. Honoratum Arelatensem Episcopum, Hilarius successor proprio uolumine celebravit t; in quo morbum ejus, & patientiam, & præclaros ad adstantes sermones. & cætera hujus generis sane diligenter exhibet; quibus absolutis virum sanctum placide in Christo obdormivisse, & Angelicis choris susceptum fuisse dicit, de confessione non magis loquitur, quam cæteri, quos hactenus recensuimus. Hilarium ipsum, apud Honoratum Massiliensem u (qui vitam ejus scri-

r Possid. de vita Aug. c. 31.

s Vita Capras. apud Sur. d. 1 Iun.

t Hil. in vit. Honor. Arel. c. 15 26 27. apud Sur. Ian. d. 16.

u Vita Hilar. Arel. [illegible] apud [illegible] d. 5. Maij.

XX plit

CAP. V.

psit post a.D. 460.) vidimus quidem suos imminente morte sapientissime alloquentem, modulationem Psalmorum audientem, manu oculos atque os crucis signo communientem, in oratione perstantem, lætum denique ad supernam patriam proficiscentem, confessionem vero vel facientem, vel expetentem, nuspiam istic videmus. Suum quoque Altissiodorensem Germanum Constantius Presbyter Lugdunensis, & cœlitus de suo transitu præmonitum, & morbo inde laborantem, & die morbi septimo pie ac Christiane morientem exhibet *x*, nulla tamen quod sciam, apud sacerdotem confessione functum. Sed neque Fulgentium Ruspensem Ferrandus *y*, neque Cæsarium Arelatensem Cyprianus *z* in eorum supremis, quæ fuse & accurate narrant, confessos esse apud aliquem presbyterum memorant. Quid? quod multi quorum mortes describunt, eos sacram Eucharistiam in supremis sumpsisse diserte quidem narrant; confessionem verò auricularem tali tempore quemquam fecisse, non narrant? At, qui illam memorant, hanc profecto, si facta esset, non magis tacuissent, quam nunc in paribus locis Latini, quos supra utramque memorantes non paucos audivimus. Exempla de multis aliquot annotabo. Ambrosium, qui a. D. 397. obiit, Paulinus ejus familiaris tradit *a* *corpore Domini accepto, ubi glutivit, emisisse spiritum*. De confessione nihil habet. Eadem ratio est Cassij Narniensis *b*, & Benedicti *c* apud Gregorium Magnum; Galli Arverni *d* apud Gregorium Turonensem, Vedasti Atrebatis apud Alcuinum *e*, Læti Diaconi *f*, Remigij Remensis *g*, Mauri *h*, Agyli Aurelianensis Vicecomitis *i* apud alios; qui omnes intra sextum sæculum vixerunt. Hos enim apud auctores indicatos in supremis communicatos omnes legimus; confessum eorum neminem legimus. De septimo quoque sæculo similia nobis exempla Suriana farrago præbet. Istic enim & Bavonem Christi Confessorem *k*, & Radbertum, sive Rupertum Vangionensem Episcopum *l*, & Richarium *m*, & Trudonem presbyterum *n*, & Gislenum *o*, & Austrebertham Pauliacensem Abbatissam *p*, & Remalcum Trajectensem Episcopum *q*, & Bertulfum *r*, & Gertrudem *s*, & Audomarum Morinorum Antistitem *t*, & Hermelandum Abbatem Antrensem *u*, & Ausbertum Rothomagensem Episcopum *x*, omnes Eucharistiam paulò ante mortem expetivisse in iis commentariis videmus, quos de eorum vita atque obitu fusissime perscriptos collegit Surius; confessione in aurem sacerdotis facta expiatos, non videmus. Neque sequentis, id est octavi sæculi mos alius fuisse videtur quo scilicet pertinent Suiberti Verdensis Episcopi *y*, Liobæ Abbatissæ *z*, Vulfranni Senonensis Archiepiscopi *a*, Pyrminij *b* & Corbiniani *c* Episcoporum, Adelhardi Corbeiensis *d* & Ludgeri Monasteriensis Episcopi *e* mortes à vetustis auctoribus, ut habet Surius, eadem quoque ratione traditæ; hoc est ita ut istos omnes communicatos quidem in supremis narrent; confessum ne unum quidem istorum dicant. Idem observare est apud Bedam, scri pto-

x Const. in vita Germ. c. 25. apud Sur. Iul. d. 31.
y Ferr. in vita Fulg. c. 30.
z Cypr. de vita Cæs. l. 2. c. 22. apud Sur. Aug. d. 27.
a Paulin. vita Ambr. c. 25. apud Sur. Apr. d. 4.
Sequentium lo. a vide apud Sur. diebus notatis.
b Iun. d. 29.
c Mart. d. 21.
d Iul. d. 1.
e Febr. d. 6.
f Nov. d. 5. p. 16.
g Ian. d. 13. p. 159.
h Ian. d. 15. p. 340.
i Aug. d. 30. p. 330.
k Oct. d. 1. p. 9.
l Mart. 27. p. 268.
m April. d. 26.
n Nov. d. 23.
o Oct. d. 9. p. 116.
p Febr. d. 10. p. 99.
q Sept. d. 3. p. 29.
r Febr. d. 1. p. 11.
s Mart. d. 17. p. 198.
t Sept. d. 9. p. 101.
u Mart. d. 25. p. 2 3.
x Febr. d. 9. p. 95.
y Mart. d. 1. p. 14.
z Sept. d. 28. p. 301.
a Mart. d. 20. p. 214.
b Nov. d. 3. p. 6.
c Sept. d. 8. p. 90.
d Ian. d. 2. p. 10.
e Mart. d. 26. p. 260.

ſcriptorem illius memoriæ laudatiſſimum, qui ad annum Domini 735. vivendo pervenit. Is enim cum piorum plurimorum mortes accurate, ac copioſe deſcribat, eoſque fere in ſupremis ſeſe Euchariſtia muniviſſe narret, nuſquam arcanæ in hoc rerum articulo confeſſionis meminit. Vide eum ſi libet, Ceaddæ Britanni Epiſcopi *f*, & Hildæ Abbatiſſæ *g*, & Cuthberti Lindsfarnenſis Epiſcopi *h*, & pueri cujuſdam de inſtante obitu divinitus admoniti *i*, & fratris neſcio cujus ſimpliciſſimi *k* ultima in terris tempora operoſe exſequentem. Inter ea, quibus iſti ſe ad mortem imminentem parabant, ac muniebant, Euchariſtiam quidem ubique, confeſſionem vero nuſquam à Beda nominatam aut ſignificatam reperies, neque dubito, quin hoc ſis miraturus, ſi Innocentianorum conſectaneus es. Sunt enim illa Bedæ loca plane ejuſmodi, ut in iis confeſſionem, ſi tum in uſu fuiſſet, prætermitti abſque flagitio non potuiſſe, ſi ea expenderis, facile ſis ac nullo negotio intellecturus. De nono ſæculo duo tantum, ſed illuſtriſſima exempla dabo. Eginhartus de Cardo Magno, in opere de ejus vita proprie ſcripto *l*; *Septimo* (inquit) *poſtquam decubuit die, ſacra communione percepta, deceſſit.* Sic & Ludovicum Pium Caroli filium, *communionem ſacram* à Drogone accepiſſe narrat *m*, qui vitam & actus ejus compoſuit vir eorumdem temporum. De confeſſione neuter quicquam habet. Sed hæc, ut videtur, ſatis ſunt ad illam, quam inſtituimus, Latinorum recentium, & veterum Chriſtianorum parallelam inter ſe comparationem, in qua ad imminentem mortem ſe comparantes videmus confeſſionem apud preſbyterum in arcano feciſſe, illos quidem ſemper, hos verò nunquam. Unde quivis quantumvis rudis intelligit veteres hanc Latinam confeſſionem plane neſciviſſe; quam ſcilicet ſi notam habuiſſent, in ſupremis neceſſario erant uſurpaturi, ut Latinos nunc ſolere ex ſuperioribus exemplis docuimus.

f Bed. hiſt. Angl. l. 4. p. 87.
g ibid. c. 23.
h Id. l. de vita Cuthb. c. 39. p. 120.
i Id. hiſt. Angl. l. 4. p. 97.
k Ibid. c. 24.
l Eginh. de vita Car. M. Tom. Cheſn. p. 104.
m Lud. Pij vita apud Cheſn. ibid. p. 319. e.

Caput VI.

Argumentum VI. inde ductum, quod in deſcribendis ſuis ſuorum-ve morbis, calamitatibus, bellis, naufragiis, itineribus & profectionibus & cæteris periculoſis, Confeſſionis ſacramentalis Latini quidem recentiores ſcriptores paſſim ac pæne ſemper, veteres verò nunquam meminerunt.

Atque hæc demonſtratio tanti apud me eſt, ut eam vel unam ad id vincendum, quod probare inſtitui, ſatis eſſe putem. Verum tamen ut vis ejus magis magiſque confirmetur, præter iſta, quæ in genere de confeſſionis circa mortem uſu diximus, obſervandæ nunc veniunt

Cap. vi. certæ quædam propriæ, ac ut ita loquar, speciales causæ, in quibus eam Latini, maxime qui sunt paulo religiosiores, vulgo ac prope semper adhibere solent, ut in morbis, in periculis mortalibus, in bellis, in pugnis, in naufragiis, in longinquis peregrinationibus, in Ecclesiæ persecutione. De morbo jam supra diximus, ex Innocentiana lege à novissimis Papis Divi Ignatij consilio & auctoritate confirmata, ac in usum revocata neminem ægroto apud istos licere absque confessione curari à Medicis. Itaque si mundus ad istorum normam saperet universus, quicumque ægrotant, ii medicos non prius adirent aut consulerent, quam Confessarios; & sic ipsi sane vulgo factitant. De Ignatij sodalitio Pater infirmari in regno Bungensi cœpit *n*. Ad hominem curandum Viceprovincialis (ut vocant) Rector ordinis, medicum misit & confessarium. Alius nescioquis neophytus senex, ubi se ægrotare sensit, ad Ecclesiam Canzusæ venit, ut sibi sacerdotis copia ad confitendum esset *o*. Hinc illi Iesuitarum labores quos se longe maximos apud Iapones tolerare gloriantur *p*, noctu diuque discursantes ad excipiendas eorum, qui confirmantur, confessiones. Quin & huic legi parere, quam salutare sit cujusdam de Sinarum gente mulieris exemplo docens, cui vitam divinitus ideo productam, fuisse hariolantur *q*, quod in morbo confessa esset. Eo factum est ut nosocomiis sui esse soleant Confessarij, ut Goano verbi gratia; in quo Iesuitæ narrant *r* semper aliquem adesse sui ordinis sacerdotem, qui infirmis aures confitentibus admoveat. Vt in morbis, ita quoque in aliis calamitatibus, ac periculis, siqua ingruere videant, aut suspicentur, confessione adhibita sibi cavent. Iesuitæ suos Bungenses in maximis, quibus urgebantur, miseriis narrant *s* se esse consolatos confessionibus, quas ab iis quotidie audiebant. Et Orlandinus Mamertinorum in sua civitatis clade confessiones longe, quam antea frequentiores fuisse tradit *t*. Idem alibi Lusitanos ex naufragio in sterilibus nudisque scopulis miserabilem vitam trahentes cum maxime confessiones apud Iesuitas fecisse, & patrocinia cœlitum implorasse refert *u*. Froës narrat *x* cives quosdam Nangazacenos, cum Meacum vincti abducerentur, verentes ne ab Iaponum Rege Taycosama occiderentur, prius confessos esse, & communicasse, quam se in viam darent. Solerius refert *y* a. D. 1565. cum occisis duorum proditorum scelere Cubo conjuge, & liberis omnique familia, res Iaponica, quam Cubo annos XVIII. rexerat, summo esset in discrimine magnaque passim esset omnium trepidatio, quicumque Meaci erant apud Iesuitas, eos simulatque de cæde auditum est, statim eadem illa vespera confessos esse, dieque proximo mane communicatos; timentes nequid iis secius in illa publica rerum conversione accideret. Alibi vero *z* multis post annis Arimæ & Omuræ Reges cum suspectam haberent Monarchæ sui fidem, antequam se eius aulæ crederent, confessione & communione animos non aliter expiasse, quam si ad certam mortem essent profecti. Idem auctor est

n Ann Iap. a. 1590. p. 14.
o Ibid p. 109.
p Ibid. p. 125.
q Ann. Sin a. 1614. p. 169.
r Iarric Indic. l. 2. c. 1 p. 406.
s Ann Iap. a. 1588 p. 19.
t Orland. hist Soc. l. 9. § 14.
u Id. ibid l. 15. § 15.
x Ann Iap. a. 1591 p 14.
y Soler Iap l. 5. c. 4. § 9.
z Id. ibid l. 9. c 18. § 186.

a Hieronymum Regis Bengensis Francisci nepotem, cum accepto in bello Corajano vulnere periclitaretur, tametsi ad id bellum generali confessione purgatus ivisset se tamen jussisse in Iaponiam revehi ne absque confessione moreretur. Denique Barsæus apud Iarricum *b* cum milites, qui ad expeditionem quandam nulla confessione expiati iverant, graviter incusasset, hanc legem omnibus Christianis figit, nefas esse quemquam letalis sibi peccati conscium ullum mortis periculum adire, non antea, si licuerit, confessum. Itaque qui bellum apud eos vel meditantur, vel gerunt, si suæ quidem disciplinæ religiosi sunt, confessione plurimum utuntur. Organtinus Iesuita quodam in loco *c*, quod breviores litteras scribat, Cavachensium sese ad bellum accingentium confessiones excusat, ad quas audiendas scilicet vocabatur. Froës vero auctor est *d* Augustinum, Iaponem heroëm suum cum ad bellum Corajanum proficisceretur, generali peccatorum confessione apud sacerdotem Iesuitam factæ animum accuratissime expiasse. Eundem *e* aliquot post annis Meaci itidem religiosissime confessum esse legimus, antequam veniret in exercitum conjuratorum; & Alvarem Iarricus *f*. Congi in Africa Regem, luculentam fecisse docet peccatorum confessionem antequam ad bellum proficisceretur. Est in aliis Iesuitarum annalibus *g*, militem qui ad bellum illud Corajanum absque confessione profectus erat, magna subito ob tantum flagitium religione perculsum, accepto ab Omurandono suo duce commeatu in Iaponiam retro, unde venerat, quinquaginta leucas emensum ea tantum gratia rediisse, ut erratū illud suum corrigeret, & quidem largiter correxisse. Ter enim repetito sacro cōfessionali lustratum, ita demum auspicato in castra revertentem datam suo Tribuno fidem præstitisse, eoque exemplo commotos non paucos in illo exercitu milites idem quoque fecisse. Pater sane Barsæus adeo graviter tulit *h* illam Lusitanorum, de quibus nuper dixi, cohortem nulla confessione purgatam contra hostem ivisse, ut concionem, quæ eum audiebat, jusserit ter ab unoquoque repetita oratione Dominica, & salutatione Angelica, profanorum hominum pro tanto delicto pœnas à Domino Deo religiosissime flagitare. Paruerunt auditores, & sunt exauditi. Tota cohors pessime ab hoste mulctata paulò post rediit, sua clade docens, quam sit & flagitiosum & periculosum ad bellum absque prævia confessione proficisci. Multo verò sapientius sibi consuluerunt alii, ipsi quoque Lusitani Melchioris Codigni milites; qui, quod nullus adesset in exercitu presbyter, Ducem suum rogarunt, ne agris apud Indos Catiganæ difficilem ac periculosam oppugnationem aggrederetur; sibi enim certum esse non aliter quam Christiane atque Catholice mori; id est bene confessos. Idem scriptor alibi tradit *k* solenne esse Lusitanis, ut ad bellum profecturi confiteantur, atque communicent; ex bello verò reduces Deo ac Divæ Dei parenti gratias agant. Itaque hunc eorum quoque esse morem *l*, ut aliquem ex Iesuitarum sodalitio sacerdotem

a Id ibid. l. 10. c. 10. §. 157.
b Iarric. Indic. l. 4. p. 399.
c Ann. Iap. a. 1577. p. 17.
d Ann. Iap. a. 1591 p 144.
e Sol. Iap. l 19. c. 9. §. 104.
f Iarr Indic. l. 5. c. 1 p. 71.
g Ann Iap. a. 1598. p 4. post B.
h Iarric Indic. l 4. c. 4. p. 399.
i Id. l. 6. c. 3 f. p. 885.
k Id ibid. c. 7. p 100.
l Ibid. c 13. p 138.

Cap. vi. secum ad bella ducant, suas confessiones auditurum. Sane eos legimus bellis haud raro ad hunc usum interfuisse, in castris, in agmine, etiam in acie; ut duos sacerdotes Ozacæ *m*, dum urbs obsideretur, in excipiendis propugnantium confessionibus assidue occupatos, ut unum *n* in Zelacristi Æthiopis exercitu, apud quem cum tota nocte confessi essent, & ipse Imperator, (qui brevi illa nocte quater hoc mysterio expiatus est) ut alii plerique duces, præfecti, atque milites, postridie insignem & victoriam & prædam de hoste reportarunt. Ita & Iarricus *o* sacerdotem in Pauli Diazii apud Africam exercitu fuisse scribit; neque milites nisi apud eum prius confessos ad pugnandum processisse. Idem tradit *p* Lusitanos arcem Turcarum Catifam ad Persicum sinum positam facta apud Barsæum confessione oppugnare aggressos fœliciter cepisse: & postea *q* cum Lusitani Calecutensi Zamorino fœderati, bellum adversus Cugnalem piratā gererent; Iesuitas in exercitu assiduos fuisse, qui milites & peccata cōfitentes audirent, & præliū ineuntes animarēt; Et Carvalhi *r*, ducis fortissimi, milites in quodam cum hostibus congressu Nunnium Iesuitam in ipsa arena & sua delicta confitentes audiisse expiasseque, & ad rem bene gerendam esse cohortatum; Et in expeditione Ittana adfuisse Ignatianum quoque sacerdotem *s*, qui totum diem in audiendis Lusitanorum & Amboinensium confessionibus transegit; Et in arcis Ternatensis expugnatione tres fuisse in Acunnii exercitu Iesuitas, qui noctem, diemque sequentem totum consumpserunt in audiendis militum confessionibus. Sed & hanc disciplinam trecentorum Saracenorum sanguine sancitam fuisse idem quoque alibi auctor est *t*, cum Thomæi Christiani ad ulciscendam unius sui sacerdotis ab illis impiis jugulati cædem animis per confessionem prius expiatis, eos adorti fugarunt ac ceciderunt. Ibidem docet Iarricus *u* solere Lusitanos milites in navibus omnes confiteri antequam exscensionem in terram hostilem faciant; atque ita se gessisse in bello quodam adversus Regem Paru suscepto. Neque vero illi aliis moribus apud Brasiliam vivunt; in qua narrant Annales *x* Salenzæ duci in quadam adversus barbaros expeditione comites adfuisse duos Iesuitas, tum ut militem & ad pugnam animarent, & confitentem audirent; tum etiam, ut sacra crucis signa, quacumque iter facerent, erigi curarent. Sic & in Æthiopia perhibent Annales *y* in Proregis exercitum venisse Iesuitas quatuor, tantumque fuisse apud eos confitentium numerum, ut iis ne unum quidem ab hoc labore vacuum superesset sui temporis momentum. Item Carvalium *z*, Ignatianum Patrem, profectum esse in exercitum, qui adversus barbaros Gallos ducebatur, ut militum confessionibus aures & operam præberet. Sed neque navales apud Latinos in mari pugnæ absque confessionis sacris transiguntur. Narrat Iarricus *a* cum triremem Lusitanicam Iavenses Indi oppugnare adorti essent, eo periculo commotos milites, vectores, & mercatores, qui ea vehebantur, inprimis apud duos Iesuitas Fernandum, & Da-

m Ann. Iap. a. 1615. 1616. p. 65. 66.
n Ann. Goz. a 162.. p. 291.
o Iarr. Indic. l. 3. c 6. p 87.
p Id. l. 4. c. 5. p. 401.
q Id l. 6. c. 3. p 52..
r Ibid c. 18. p. 905.
s Ibid. c. 41. p 910.
t ibid c. 14. p. 651.
u ibid p. 666.
x Ann Bras. a. 1577. p 71.
y Ann. Æth. a. 1624. 1625. p. 52.
z Ibid. p. 75.
a Iarr. Indic. l. 2. c. 26. p. 649.

& Damaralinm confessionem fecisse. Idem cum tres Lusitanicæ naves CAP. VI.
Mozambicum appulissent, & inimica Batavorum classis minari videretur impetum in portum facturam, tradit *b* Thalassiarchum, nobiles, milites que Lusitanos, eo metu excitatos Iesuitis peccata confessos esse. Mox & alterius navis casum narrans *c* quæ Iesuitas & alios Angolam portans in Batavorum manus incidit, Lusitanos dicit cum hostem conspexissent, seque ad pugnam impares esse animadverterent, Iesuitis primo Patribus confessos esse; tum se ac navim Batavis dedidisse. Idem quoque scribit *d* Ludovicum Vasconcellasum, cum navem, qua in Brasiliam vehebatur, hostes aggrederentur, & ipsum & quos habebat milites confessione primum expiatos fortissime dimicasse, sed postremo tamen captos, multosque in conflictu nullo discrimine confessarios, confessosque occubuisse. Fœlicior fuit eius confessionis eventus qua Lusitani classiarii apud Iesuitas functi, & ab his sub pugnæ initium ostensam Divæ Matris Virginis iconem venerati, Alebecium Turcam vicerunt, quinque ejus triremes ceperunt, & Mombazam, urbem in littore sitam, incenderunt. Navium mentio me monet, ut ejus etiam confessionis exempla superioribus adjungam, quam Latinis in eodem elemento non hostis, sed ipsius maris metus exprimit, in naufragii discrimine: Illa vero in istorum commentariis frequens occurrit; Ut cum Nicolaus Pantaleo Iesuita in Annalibus scribit *f* se, & alios, qui eadem navi ad CXXX. capita vehebantur omnes devote confessos esse, cum exorta tempestate in summo periculo versarentur. Balthasar Gagus refert in simili *g* discrimine omnes ad confessionem concurrere cepisse, alios inde flagris sese ipsos cecidisse; alios mare reliquiis, & aqua sacra lustrasse. Solerius parem aliorum casum describens dicit *h* vectores alios genibus nixos ante Divæ Virginis Matris imaginem vota pro sua salute fecisse; Iesuitas aliis confitentibus aures dedisse, aliis dejectis & afflictis consolationem præbuisse. Insignis est apud istos Lusitanæ cujusdam navis historia *i*, quæ ad Indias tendens exterioris Africæ scopulis illisa periit a. D. 1585. Omnes simulatque fractam navim senserunt, vocibus inter se confusis exclamantes, *Confessionem, confessionem* poposcisse refert Iarricus *l*. Fuisse qui præ moræ impatientia palam clara voce confiterentur; Quosdam de mari mirabiliter servatos, cum essent à Caffris barbaris in vincula conjecti, vovisse si evaderent, in quemcumque Christianorum hominum habitabilem locum primum venissent, se ibi generalem confessionem facturos. Sed & alios Lusitanos idem memorat *m* a. D. 1606. Angolam navigantes, cum in magnum discrimen essent adducti, omnes à Iesuita admonitos confiteri cœpisse, & evasisse. Franciscus verò Fernandes, ipse quoque Iesuita, narrat *n* se & alios in sinu, si bene memini, Gangetico navigantes in simili periculo raptim omnes ad *confessionem, velut ad tutissimam ancboram*, confugisse; atque id ipsum quoque Iarrious scribit *o*, apud quem illud postremo, ut cætera mittam, legimus *p* cum quatuor Iesuitæ

b Id. l. 5. c. 47. p. 340.
c Ibid. c. 43 p. 353. 354.
d Id. l. 3. c. 35. p. 297.
e Ibid. l. 3. c. 19. p. 160. 162.
f Ann. Sin. a. 1602. p. 100.
g Epist. Iap. l. 4. p. 197.
h Soler. Iap. l. 6. c. 16. § 91.
l Iarric. Indic. l. 3 c. 11. p. 130. 149.
m Id. l. 3. 45. p. 313.
n Ann. Goæ a. 1590. p. 4.
o Iarr. Indic. l. 2. c. 11. p. 601. p. 606.
p Id. l. 6. c. 19. p. 896. 897.

CAP. VI. Iesuitæ ad Moluccas Insulas navigarent, fracta navi omnes vectores apud eos esse confessos; sed eosdem paulò post, cum cymba, in quam evaserant; ipsa quoque vehementer periclitaretur, iterum confessionem redintegrasse. Sed apud istos non soli confitentur, qui navigant. Quodvis iter, siue mari, sive terra fiat, ab hoc fere officio auspicari solent. Froëm supra suas inde Nangazacenos laudantem *q* audivimus, quod eorum honoratissimi quique quoties longa itinera suscipiunt, prius animos suos sacra confessione ab erratis expurgent. Alii neophytorum Brasiliensium pietatem eo commendant *r*, quod paulò à suis villulis longius, nisi confessi, haud temere peregrinentur. Neque talium apud eos exempla desunt. Quosdam ex illis ipsis Brasiliensibus institutum iter legimus ingredj ante noluisse *s*, quam apud Iesuitam, à quo discedebant, confessi essent. Auctor relationis de novem Martyribus Iaponibus meminit *t* cuiusdam neophyti, qui cum longinquum iter meditaretur, de confitendo primum cogitavit. Et Solerius *u* civem Meacensem, quem persecutorum furor patriam linquere cogebat, quantumvis & honesta, & necessaria esset festinandi causa, urbe tamen prius egressum negat, quam esset confessus. Iarricus Ignatii Azevedii ad Brasiliam iter narrans *x*, & ipsum & comites confessionem & communionem omnes in insula Madera fecisse tradit priusquam illinc ad Canarias insulas navigaturi solverent. Cardimus *y* denique quatuor illos Lusitanorum ad Toxogunum; Iaponum Imperatorem, legatos, qui a. D. 1649. missi sunt, antequam Macaunte exirent (exierunt autem inauspicato nunquam redituri) omnes diligenter confessos fuisse scribit. Sed & in ipso itinere si id paulo longius fuerit, confessionem, qui sunt apud eos religiosiores repetere solent. Ita primi illi Socii *z*; quos Ignatius Lutetia in Italiam dimisit, in itinere confessione se purgasse; & Xaverius *a*, atque ejus comites, cum ex Italia in Lusitaniam irent, sacramenta pœnitentiæ, confessionemque adeo inprimis, sæpissime iterasse dicuntur. Sed nequid prætermittam, etiam hoc superioribus adjungere placuit, ipsa quoque Lucinæ apud Latinorum matronas sacra sæpe haud absque confessione peragi. Narrat Trigautius *b* Dominam Ludovicam, viri Iaponis uxorem, instante partus tempore, apud Ignatianum sacerdotem esse confessam, & mox liberatam; cum eius collo admotæ essent nescio quæ Divi Loyolæ à Iesuita donatæ reliquiæ. Hæc ipsa fortasse Ludovica est illa mulier, de qua Annales *c* rem similem narrant circiter hæc tempora. In aliis quoque paulo anterioribus litteris *d* lego quemdam de Iesuitarū grege presbyterum duas mulieres in partu periclitantes liberasse; partim confessione expiatas, partim Ignatii reliquiis, utriusque collo alligatis, contactas, atque sanctificatas. Sed nunc cum his Latinorum similia ceterum loca comparemus. Ac Innocentianam quidem illam legem, quę medicos vetat quemquam ægrotantem ex artis suæ preceptis curare, quem non ante monuerint ac compulerint confessarium adhibere, jam supra

q Ann. Iap. a. 1596 p. 125.
r Ann. Bras. a. 1577. p. 61.
s Iarric Indic. l. 4. c. 10 p. 147.
t Ann. Iap. a. 1609. 1610. p. 51.
u Sol. Iap. l. 18. c. 7. p. 404.
x Iarric. Indic. l. 3. c. 5. p. 234.
y Card Relat. Iapon. p. 23.
z Orland. hist. l. 1. §. 115.
a Id l. 2 §. 92.
b Trig Mart. Iap. l. 4. c. 15. p. 339.
c Ann Iap a. 1614. p 418.
d Ann. Iap. a. 160?. p. 259.

supra diximus esse recentissimam, neque ante a. D. 1215. quo eam tulit Innocentius, quicquam simile apud Christianos factitari solitum reperiri. Sed neque fideles, cum in morbum inciderent, de peccatis suis confitendis statim cogitasse, & sacerdotem ea gratia accersivisse, vel expetivisse, vel apud eum confessos esse, in ullis antiquitatis monumentis legimus. Gorgoniæ sororis Gregorius gravissimum quemdam morbum operosissime; ut in talibus solet e, describit, adhibitos curando medicos, adhibitas publicas omnium civium supplicationes; ipsam ad Deum omnium medicum confugisse; nocte intempesta ad altare procubuisse; ingemuisse, clamasse, valide orasse, flevisse, lacrymis *antitypa Dominici corporis & sanguinis admiscuisse* ita demum morbo liberatã esse. De confessario, de confessione nihil dicit. Narrat Hieronymus* Fabiolam Romæ *primam omniũ nosocomium instituisse*, in quo ægrotantes colligeret *de plateis, & consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foveret*: Præfectum nosocomio presbyterum, qui infirmos confitentes audiret, nullum memorat; quod tamen neque neglexisset Fabiolæ pietas, si hæc Confessionis disciplina jam tum fuisset, neque, si factum esset, tacuisset Hieronymi diligentia, in Fabiolæ laudibus hoc loco sollicita. Nunc non occurrit nosocomiorum alibi facta à veteribus mentio; hoc scio nusquam apud eos legi hujusmodi locis affixum fuisse ad audiendas infirmorum confessiones presbyterum. Narrat Pontius *f* Carthagine grassatam esse illam luem, de qua aureum Cypriani volumen extat. Narrat nostrorum Cypriani oratione accensorum mirabilia fuisse in ægros, & mortuos officia, viritimque distributa singulorum ad has curas ministeria; neque hanc eorum caritatem in solos fidei domesticos stetisse; in ipsos exteros fuisse effusam, id est in Paganos. Locus (quod omnes vident) unice flagitabat, ut hic ante cæteros dicerentur sacerdotes suas partes in audiendis ægrotantium confessionibus egisse; qualiter Orlandinum videmus illud de suo Xaverio minime tacuisse *g*. quod Indis aliquando, tametsi elephantiacis ac leprosis, confitentibus sese adiungere non dubitarit. Eandem illam mortalitatem ut Carthagine Pontius ita etiam Alexandriæ sævisse, magnamque populi stragem dedisse testatur Dionysius civitatis per illa tempora Episcopus; ipse quoque memorans *h* nostrorum stupendam in miseros caritatem; peste percussos libere visentium, ac curantium; Quosdam morbo ex contagio affectos occubuisse ipsos; evasisse, quos curaverant; neque neglecta mortuorum corpora, sed diligenter sepulta; hos autem, quorum illa tam egregia in miseros officia fuerant, partim presbyteros atque diaconos; partim laïcos fuisse. Sed neque iste magis, quam Pontius, confessionis ægrotantibus à presbyteris ministratæ meminit. Jam neque in veterum libris ullum eorum exemplum exstat, qui in insigni aliqua miseria, aut calamitate versantes apud sacerdotem confessi esse, aut confessionem longe, quam antea diligentius, ac crebrius fecisse dicantur. Ad bella

Cap. VI.

e Gregor. Naz. Orat. 11. T. 1. p. 186. b. c. d. 187. a.

* Hier. ep. ad Ocean. T. 1. fol. 71. F.

f Pont. in vita Cypr. è ui. 8.

g Orland. hist. Soc. l. 3. §. 91.

h Dion. Al. apud Euseb. hist. l. 7. c. 22. fol. 77. a.

Cap. VI.

certe & prælia vel in ipsis bellis, qui confessione usus fuerit ex solenni nunc Latinorum more, Christianum apud priscos reperio neminem, sive ducem, sive militem. Constantinum Eusebius tradit bellum adversus Licinium molientem *i*, exercitus comparasse, Episcopos secum duxisse; prælio congressurum *Deum omnium Servatorem invocasse*, & in eodem bello corpus inedia affligentem Deo supplicasse; Confessum apud presbyterum nusquam dicit. Hoc exemplum contra Latinos validum est, qui Constantinum jam tum baptizatum fuisse ex nescioqua fabulosa Sylvestri P. R. legenda somniant.; Ego nolim urgere, qui illum Principem non ante supremum vitæ diem sacro lavacro ablutum fuisse ex Eusebio *k* sciam, locupletissimo ac certissimo rerum Constantiniarum autore. Sed ecce annis post Constantinum circiter sexaginta occurrit, religiosissimus Princeps Theodosius, se ad bellum illud nobile adversus Eugenium Paganismi fautorem parans, ex quo admirabilem victoriam reportavit. Ruffinus eum narrat *l circumiisse cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas jacuisse cilicio prostratum, & auxilio sibi fida Sanctorum intercessione poposcisse*: & in ipso congressu cum suas auxiliares barbarorum copias ab hoste *fundi videret, stantem in edita rupe, in utriusque exercitus conspectu, projectis* armis, ad solita se vertisse auxilia, prostratumque coram Deo sic orasse; *Tu omnipotens Deus, nosti, quia in nomine Christi Filij tui ultionis justa ut puto. prælia ista suscepi; si secus, in me vindica, Si verò caussa probabili, & in te confisus huc veni. porrige dexteram tuam, ne forte dicant Gentes, Vbi est Deus eorum?* Hæc Ruffinus. Orosius eo paulo junior, eadem sic tradit *m*. *Theodosius expers cibi ac somni Dominum Christum* (inquit, *solus solum, qui posset omnia, corpore humi fusus, mente cælo fixus orabat. Dehinc postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, & testes propemodum, quas in precium præsidij cælestis appenderat, lacrymarum lacunas reliquit, arma fiducialiter corripuit solus.* Similia narrant Socrates breviter *n*, Theodoretus *o* fusius. Hic etiam addit visionem duorum Apostolorum Theodosio in somnis oblatam. Ita quidem se ad prælium comparasse Christianissimum Principem summo illi consensu memorant. Nocte tota sacerdotes in excipiendis suis suorumque confessionibus fatigasse, & suas quater repetivisse (quod de Zelacristo affirmant Iesuitæ) nemo ex his quatuor scriptoribus tradit. Ergo nihil tale fecit Theodosius. Cur enim de confessione tacerent omnes, qui cætera tam accurate loquuntur? Principio, sacerdotum, populi supplicationes ad orationum loca, prostrationes ante Martyrum & Apostolorum thecas (error enim reliquiarius Christianismum invadere jam cœperat) qui ipsas Theodosij in prælio preces recitant? qui ejus ad Christum orationem, jejunium, vigilias, lacrymas, cœlestem denique visionem referunt? Vel unus hic locus vincit Christianis illius seculi plane ignotam, atque insitatum fuisse illum nunc Lusitanorum solennem morem, quos Iesuitæ supra negabant vel ad bellum ire, vel prælio congredi,

i Eus. de vita Const. l. 2. fol. 118. A. B. 119. B.

k Id. ibid. l. 4. fol. 153. B.

l Ruffin. hist. l. 2. c. 33. init.

m Oros. hist. l. 7. p. 660.

n Socr. l. 4. c. 24

o Theodor. hist. Eccl. l. 5. c. 24.

congredi, nisi prius confessos. Quis enim credat, rem (si Latini vera sentiunt) tam insignem tamque necessariam, vel neglecturum fuisse Theodosium, si in solenni illius Ecclesiæ usu fuisset, vel si vere facta ab eo esset, prætermissuros quatuor illius prælii tam diligentes tamque studiosos scriptores? Idem ille Orosius paulò post Marcezilis bellum adversus impium fratrem Gildonem exsequens, narrat p eum jam inde à Theodosio edoctum, *quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi à clementia Dei impetraret*, *Caprariam insulam adiisse*; *inde secum Sanctos Dei servos aliquot permotos precibus suis sumpsisse*; *cum his, orationibus, jejuniis*; *Psalmis dies noctesque continuantem sine bello victoriam meruisse*. Illinc enim in Africam trajecisse, & ad flumen Ardalionem castra metatum in somnis vidisse Ambrosium victoriam haud obscure nuntiantem, tertio post die *noctem orationibus, hymnisque pervigilem egisse*, denique *abjpsis cœlestium Sacramentorum mysteriis* in hostem processisse; mirabiliterque vicisse. De animo confessione apud sacerdotem facta expiato (quod solenne est scriptorum Latinorum in talibus carmen), iste, qui sub initia quinti sæculi vixit, plane nihil dicit. Neque illis sæculis morem fuisse, ut Christiani Principes, Præfecti ac Duces Confessarios secum in bellis haberent, apud quos vel ipsi, vel milites peccata certis temporibus, præsertim vero quoties esset cum hoste congrediendum, rite confiterentur (ut nunc fieri apud Latinos nuper audiebamus) satis mea quidem sententia docet vel unus Ferrandi Diaconi Paræneticus ad Reginum Comitem paulò post sexti sæculi initia scriptus liber; in quo cum ille exponat *qualis esse debeat Dux religiosus in actibus militaribus*, cætera quidem, quæ eo pertinent, fuse atque diligenter exsequitur omnia, de confessione apud sacerdotem facienda, de Confessario in comitatum allegendo, qui sibi, qui militibus peccata inter tam multa belli discrimina confitentibus, operam det, nullum omnino verbum facit; ne eo quidem loco, in quo sacerdotes ita enixe Ducibus commendat, ut iis obediendum sciscat, neque quicquam sine eorum consilio gerendum. Quis non sentit accuratum scriptorem confessionarij negotii, si quo tum in usu apud nostros bellantes aut militantes fuisset, tali loco mentionem fuisse facturum? Nulla ne hic quidem facta est; quia scilicet cujus fieret, id nullum adhuc eo sæculo fuit. Eadem observanda veniunt ad Salvianum Massiliensem. Is enim quemdam Gothorum Principem (cuius tametsi hostis, pietatem hac in parte laudat) ad pugnam sese plane eodem modo parasse memorat q. *Ipse* (inquit) *rex hostium usque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit*; *ante bellum in oratione jacuit, ad bellum de oratione surrexit*. De huius, non magis, quam Orosius de Mascezilis, aut Ruffinus de Theodosij confessione loquitur. Iam neque veterum quemquam in naufragii periculo ad Ignatianam illam confessionis *anchoram* confugisse apud ullum ejusdem memoriæ verum scriptorem reperimus. Nobile est inprimis Pauli apud Lucam in Actibus Aposto-

Cap. vi.

p Oros. hist. l. 7. p. 664. 665.

Ferrand. Diac. Parænet. ad Regin. c. 17. p. 171.

q Salvian. de gubern. D. l. 7. p. 161.

Cap. vi.
r Act 27.18. 39. &c.

licis naufragium. Sed neque ipsum Apostolum, neque Lucam, aut alios ejus comites Christianos (fuisse enim aliquos constat) tali in casu confessos esse legimus. Atqui ritum si is esset, quem Latini volunt, decebat & à Paulo dedicari, & à Luca ad exemplum memorari. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, ubi tempestatem, qua jactatus est, Alexandria Athenas navigans, & summum omnium vectorum in tanto periculo pavorem describit: ſ

ſ Greg Naz Carm. 1. T. 1. p. 5. B.

—— Omnes (inquit) *clamitant*
Omnes adunum fletibus genas rigant
Iunctique Christum voce gemebunda rogant
Etiam Tonantem, qui prius non noverant.
Βοὴ δ' ἦν σύμμιγος. τε καὶ θρηνούντων ἀλίως
Ναῦται, κελευσταί, δεσπόται, ἐπιβάται
Χερσὶν καλούντων· ἐκ μιᾶς συμφωνίας
Καὶ τῶν ὅσοι τὸ πρόσθεν ἠγνόουν Θεόν.

Nautas, celeustas, dominos, magistras, vectores, omnes qui in navi erant, Christum invocasse dicit, *Confessum* esse quemquam, vel si presbyter qui audiret, nullus aderat, vovisse confessionem se quamprimum id liceret, facturum, nullus dicit; quod Iesuitas de suis in pari loco versantibus prædicantes nuper audiebamus. Quod ne ipse quidem quicquam tale fecerit, prudens mitto; quod quo tempore hæc acciderunt, nondum esset Gregorius baptizatus; nondum adeo mysterii confessionalis capax. Quæ ipsa quoque ratio est, cur neque hoc loco afferam, quod Satyrus apud Ambrosium neque ipse confessionem legitur in naufragio constitutus vel fecisse, vel expetivisse, vel certe vovisse *t*. Nimirum & ipse quoque illo tempore adhuc erat catechumenus. Synesius, cum Alexandria Cyrenen in patriam navigaret, scribit *u*, cum gubernator de vita periculum esse monuisset, omnes vectores, ut par erat, vehementer fuisse perturbatos. *Ad has* (inquit) *voces sublatus tumultus, virorum planctus, mulierum ululatus; Omnes Deum invocantes lamentabantur, carissimos recordabantur.* ἅπαντες ἐθεοκλύτουν. Hic vero, si Iesuita fuisset, omnes dixisset clamantes *confessionem*, *confessionem poposcisse*; vel *vovisse*. Synesius nihil aliud scripsit, quàm Dei opem invocasse. Hoc enim est θεοκλυτεῖν. Hesychius; θεοκλυτήσαντες. θεὸν ἐπικαλεσάμενοι. θεοκλυτοῦσαι. θεὸν ἐπικαλέμεναι. Sic etiam Suidas, & ex eo Phavorinus, θεοκλυτήσαντες, θεὸν ἐπικαλεσάμενοι. Neque satis scio, quid Synesij interpreti venerit in mentem, qui ἐθεοκλύτουν reddit, *Deos implorabant*, quasi & is qui loquitur, & ii de quibus loquitur, Pagani fuerint, plurium cultores. Atqui & Synesium, & Romanum illum, qui una navigabat monachum utrumque constat fuisse Christianum; sed & cæteros vectores vel plerosque, vel certe aliquos, Christianos quoque fuisse suadet, & Alexandria, unde solverant, & Cyrene, quò navigabant, civitas utraque Christiana. Sed non est hic prætereundus Gregorii P. R. I. insignis de Ma-

t Ambros de obitu fr. T. 3. p. 460. d.
u Synes epist 4. p. 164. C.

de Maximiani naufragio locus. Hic cum Constantinopoli Romam rediret, una cum Gregoriani monasterii quibus præerat fratribus, navi, qua vehebatur, vi tempestatis effracta, & ipse & socii in ultimo discrimine versabantur x. *Tunc* (inquit) *in eadem navi residentes non jam ex morte vicina, sed ex ipsa ejus præsentia ac visione turbati omnes, sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, ut eorum animas benigne susciperet, quorum corpora in tam pavenda morte tradidat.* Ex Latinorum legibus, monachos istos omnia ad confessionem necessario obligabant naufragium, mors præsens, Eucharistia; & confessarii copia erat. Maximianum enim jam tum fuisse presbyterum suadet dignitas viri & præsens (erat enim monasterii Romani pater, sive præfectus) & insecuta (fuit enim postea Syracusarum Episcopus.) Ac ut presbyterum defuisse donemus, certe vovenda erat confessio. Nihil tamen de confessione Gregorius, neque facta neque vota; ad quam caussa validissima & quidem triplex cogebat; quamque in tali rerum articulo nemo hodie Latinorum omitteret. Ergo ne sexto quidem sæculo jam præcipiti, quo ista contigerunt, adhuc vel Romanis monachis nota erat hodierna sacramentalis istius confessionis disciplina. Sed neque à recenti Latinorum ritu minus abhorret, quod Maximianus & fratres corpus & sanguinem Christi hic accepisse dicuntur. Ego verò non memini me vel audire vel legere quicquam huiusmodi à Latinis hodie factitari non modo in naufragio, sed ne omnino quidem in mari, sive sudum sit, sive procellosum cœlum. Sed hoc quidem obiter. Nunc satis est confessionem, quam omnes Latinorum naufragi vel faciunt, vel vovent, nusquam apud veteres in simili causa à quoquam usurpatam reperiri. Sed ut nullæ navigantium, ita neque ad iter vel longinquum vel periculosum se accingentium ullæ extant in vetustiorum Christianorum libris confessiones. Plane nulli istic occurrunt vel Nangazaceni, vel Brasilienses Ignatiani, qui nullum iter paulo longius ante ingrediuntur, quam animos confessionali sacro ab erratis expurgaverint. Narrat Lucas y cū Paulus & Barnabas Antiochia in difficilem provinciam mitterentur, jejunasse omnes fratres, & orasse, iisque manus, antequam proficiscerentur, imposuisse; Ipsos confessos esse, non narrat; quod Azevedium Iesuitam & comites in simili causa fecisse ex istorum nuper annalibus recitabamus. Multæ sunt Pauli in eodem volumine expositæ peregrinationes, illa præsertim novissima, cum Cæsarea in Italiam vinctus advectus est z. Sed neque tunc, neque alias vel Paulus, vel comites confessione se ad iter comparasse dicuntur. Eadem observari possunt ac debent ad Petri in Recognitionibus itinera cum Cæsarea Tripolim, & hinc Antiochiam proficisci fingitur, nusquā confiteri ante discessum fingitur. Neque in veris sequentium sæculorum monumentis quemquam, credo, fidelem reperire est, vel qui legationem, ad quam delectus fuerit, à confessione auspicatus esse dicatur ut Macaenses illi ad Iaponum Regem ex

Cap. VI.

x Gregor. l. Dial. l. 3. c. 36.

y Act. 13. 3.

z Act. 27. toto.

Cap. vii. Iesuitarum commentariis oratores) vel qui persecutionem fugiens, locum, in quo illa exercetur, non ante linquere voluerit, quam esset apud sacerdotem confessus; quod de suo Meacensi neophyto tradunt Ignatiani Annales. De puerperis, non equidem memini quicquam me apud veteres scriptum legere. Sed hoc ipsum quod nihil apud eos de his invenitur, magno argumento est nondum tunc repertum aut usitatum fuisse, ut Christianæ mulieres confessionem ante partum facerent. Nam si hic olim apud nostros mos fuisset, ut nunc est apud Latinos, incredibile est Deum illorum matronis hoc officio functis non eadem fuisse largiturum, quæ nunc horum puerperis concedit. Fuissent & veteribus suæ Ludovicæ; quibus faciles fœlicesque partus confessio conciliatura erat, quæ si fuissent re vera aliquæ, earum haud dubie & aliqua extaret in priscorum libris memoria. Solent enim & certe debent, dici quæcumque rara & miraculosa accidunt, ut quod de mulierum Christianarum partu rara, ac quantum equidem memini, nulla apud veteres Ecclesiæ scriptores fiat mentio, id ipsum confessionem in hac causa à fidelibus matronis usurpatum non fuisse ostendat. Cum ergo in omni hoc rerum difficilium ac periculosarum genere nullum apud veteres fuisse confessionis usum appareat, omnino hanc eos nescivisse confitendum est, quam si cognitam habuissent, in his certe, ut vulgo loquimur *casibus*, æque ac nunc Latini, necessario adhibituri erant.

Caput VII.

Argumentum VII. quo non fuisse apud veteres usitatam Confessionem auricularem, ut est nunc apud Latinos, inde ostenditur, quod quæ ab horum fidelibus in persecutione & ab ipsis Martyribus in ultimo agone, plurimum usurpata legitur, in ea priscis libris nuspiam reperitur vel in Ecclesiæ persecutione, vel in Confessorum & Martyrum certaminibus memorata.

Sed hic jam seorsum reddendus est is, qui supra cum cæteris indicatus erat, confessionis in persecutione usus; in hunc à nobis locum consulto sepositus, quod singulari observatione dignus sit. Primo ergo quoties in Latinam religionem aliquid alicubi persecutionis concrepuit, statim solent ejus professores ad Confessariorum genua frequentes accidere, multoque quam antea, diligentius atque religiosius apud eos confiteri. Pleni sunt his exemplis istorum libri; neque temere apud eos ullum hujusmodi tempus absque confessionis mentione describitur. Camillus Iesuita suos Sinas ingruente cujusdam persecutionis procella, ad con-

Cap. VII.

ad confessiones subito & frequentius & devotius solito concurrere visos esse scribit *a*; & Solerius pariter tradit *b* Omuræ ac Firandi apud Iapones, sparsa de imminente persecutione fama, ita commotos, accensosque fuisse suorum animos, tantumque fuisse omnium ad confessionem, & communionem concursum, ut apud eos jugis quædam, perpetuaque quadragesima agi videretur. Sæviente verò ac fervente ipsa persecutione, audi quam diligenter observent factas à suis confessiones. Cum tali tempore Kiencianum, urbem apud Sinas nobilem, duo presbyteri Ignatiani venissent, multi ad eos accurrerunt confitendi gratia, inquit Alphonsus Vagnonus *c*. Publicato apud Iaponas Quabacondoni contra Iesuitas, & eorum facta edicto, affirmat *d*. Ludovicus Froës multos passim ad mortem fortius ferendam sese confessione, ac communione comparasse, & ad Iesuitas, siqui vel Firandi, vel Ozacæ, vel alibi consisterent, propere venisse confessionem poscentes; In Cocinayo quidem Ecclesias quavis diei hora plenas fuisse hominum *e*; quod eo scilicet tempore plane omnes confiterentur & communionem sumerent, dicentes se animos componere ad vitam, si necesse esset, pro Creatore offerendam. Sic & in Ximi partibus simili sparsa fama omes ad Ecclesias confessionis causa confluxisse *f*; sibi certum ac constitum esse testantes una cum Ignatianis Patribus mori. A. 1596. narrat Froës *g* cum Meaci custodiis ob suam fidem septi essent monachi aliquot Franciscani, eo ipso tempore totam apud illos noctem confessos esse suos consecraneos. In ea verò persecutione, quæ a. D. 1613. apud Iapones contra Iesuitas excitata nunquam plane postea conquievit, donec eorum sacra ex illis insulis penitus tandem exterminavit, refert Trigautius *h* Arimenses, qui ob fidem à magistratibus exagitabantur, confessos esse, & communicasse; & cum Ignatiani post indictum iis exilium aliquot diebus Arimæ commorati essent, ad eos noctu atque interdiu omnes confluxisse sui ritus homines confitendi & cōmunicandi gratia. Idem Notcuensium & Xinganorum per eadem tempora exercitationes & præparationes edisserens; *Tum i verò* (inquit) *videres plurium annorum confessiones passim fieri.* His consentanea sunt, quæ Camillus Constantius Iesuita a. D. 1618. scribebat *k* Patres Ignatianos ad conservandos his tristissimis temporibus suos in Iaponia consecraneos non aliis *fere mediis uti, quam sacramentorum administratione, maxime vero confessionis & communionis.* Solerius quoque ad a. D. 1620. refert *l* quemdam Iesuitam in mulieris nobilissimæ ædibus latentem, suis persecutionem patientibus confessionem & communionem administrare; juxta ea, quæ eodem pene anno ad Mutium Vitellescum scripserat Gaspar Ludovicus *m*, nimirum Iesuitas hac calamitosa tempestate in diversa, quà licet, loca irrepere ad audiendas suorum hominum confessiones, cui & Ioannes Baptista Bonellus anno sequente succinebat *n*, tradens Iacobum Carvallium Iesuitam magnum confessionum numerum his duris licet temporibus audivisse Zaboræ & Iesi &c.

a Ann. Sin. a. 1617 1618 p 180.
b Sol Iap. l. 9. c. 13. §. 148.
c Ann. Sin. a. 1618. p. 262.
d Ann Iap. a. 1587. p. 63. 67. 106.
e Ibid. p. 68. 778.
f Sol. Iap. l. 4. c. 1. p 397.
g Relat. trip. Iap. a. 1596. p. 33.
h Trig. Mart. Iap l. 1. c. 11. (an. 11.) p. 58. 68.
i ibid. c. 23. p 117.
k Ann Iap. a. 1617. 1618. p. 104.
l Sol. Iap. l. 23. p. 644.
m Ann. Iap. a. 1619 p. 13.
n Ann. Iap. a. 1520 p. 233. 234.

Cap. vii. Iesi & apud metalla, sive argentifodinas, & in Tangatu. Huc quoque id pertinet, quod idem auctor ibidem scribit *o* incolas provinciæ Nanhu, cum viderent sibi à suis Principibus & Magistratibus impendere persecutionem, Iesuitas adiisse confitendi gratia. Idem a. D. 1625. docet multos Nangasaci, & in vicinitate voluisse confiteri, quo essent ad spiritualem pugnã paratiores *p*. Eadem leguntur de regni Iomi incolis, quos dicit Solerius *q* sese sacramentorum frequentatione ad persecutionem parasse. A. 1630. cum maxime fervente Bagundoni tyranni persecutione in provincia Tacacù, tradunt Annales *r* eo penetrasse Iesuitas, multorumque & confessiones audivisse, & animos ad patiendum confirmasse. Item duos ejusdem sodalitii sacerdotes Amacusam a. D. 1629. ad suos adversus persecutionem muniendos venisse, quinque istic solidos menses in eo curando negotio egisse, confessionibus autem admoventes, & alia sacramenta noctu diuque administrantes, & quidem ut laterent, noctu sæpius, quam interdiu. Interdum de certis, ac singularibus personis eadem observant; ut de Leone Nochu Iapone *s*, egregio fidei suæ confessore, quem sacramentis, veluti *armis quibusdam validissimis se munivisse* ferunt, singulis hebdomadibus minimum semel confitentem ac communicantem. Ita Froës *t* Sacandenum, virum nobilem, sese confessione adversus vim persecutorum munire; item Constantinum & Michaëlem, quos Organtino nominatim confessionem fecisse dicit. Sic Iarricus *u* Isabellam, Regis Ternatensis viduam; frequenter confiteri & cõmunicare consuevisse tradit, quo persecutorũ vim atq; insidias fortius repelleret, & felicius declinaret. Deniq; cum perseverante persecutione carior in dies apud Iaponas Iesuitarum annona facta esset, id in hac sacri ministerii jactura, veluti gravissimum ab istis notatum est, quod sui ritus fidelibus ita multum *imminuta sit facultas maculas suas per confessionem eluendi*; quo fieri dicunt, ut nunc ipsi multo quam antea crebrius ac diligentius alii alios mutuo cohortentur ad divinæ legis observationem. Sed præter hunc confessionis in persecutionis tempore usum, observandum est secundo eam Latinos etiam proprie ad martyrium adhibere, & quidem ita diligenter, ut inter omnes ad hoc summum Christianæ pietatis certamen præparationes confessio apud eos principem fere locum obtineat. Id facile ex iis intelligitur, quæ ipsorum scriptores de actis novissimorum apud Iaponas Martyrum litteris mandarunt. Rarus enim hujus census Martyr est in cujus agone non fiat aliqua confessionis mentio, si iis quidem ille locis & temporibus passus est, quibus aliqua confitendi copia esset. Firandini *y*, qui pro fide Latina Nangazacum cõfugerant; cum mortis in se supplicium à Magistratibus decretum esse accepissent, extemplo Iesuitam advocarunt, apud quem confiterentur. Canzugedoni subditi *z*, cum viderent principem persecutionem in se moliri, confessione & communione à Ludovico Iesuita Iapone ministrata animati se ad mortem subeundam parant. Sic & Alexander Rhodius *a*

o Ibid. p. 149.
p Ann. Iap. a. 1625. p. 14.
q Sol. Iap. L. 20. c. 11 p. 811.
r Ann. Iap. a. 1629. 1630. p. 110.
r Ibid. p. 165.
s Ann. Iap. a. 1579. p. 18.
t Tripl. Relat. Iap. a. 1596. p. 51. 59.
u Iarr. indic. l. 2. c. 17. p. 668.
x Ann. Iap. a. 1617. 1618. p. 337.
y Sol. Iap. L. 13. c. 8. p. 198.
z Id. L. 14. c. 8 p. 447.

Cap vii.

dius *a* narrat se suos Cocinsinenses pro fide vinctos, & martyrii candidatos invisisse; neque quemquam ex iis fuisse, quem non audierit confitentem; cui Eucharistiam confesso non dederit. Sed jam singulos in Latinorum tabulis videamus. Istic ergo *b* Didacus Gonnoia, adolescens apud Iaponas illustris, coorta persecutione, quo se ad martyrium præparet, confessionem facit apud sacerdotem Ignatianum; Thomas, vir ex eadem gente nobilis *c*, se Animæ voluntaria corporis afflictatione ad martyrium exercens, confessioneque ac communione, quoties Iesuita præsente frui licebat, paulò post una cum fratre pro Latina fide occisus est. Ioannes Mimborovus *d*, ardentissimus Ignatianorum sacrorum zelotes, ita se ad martyrium præparat, ut confessionem primo faciat; tum communicet, ac denique magnam quandam Papæ indulgentiam lucretur. Sequitur illustris illa Martyrum Arimensium, tantopere à Trigautio celebrata, ogdoas. Hi paulò antequam novissimo carcere includerentur, è quo ad passionem processerunt, inter cætera, quibus se ad illam palmam formabant, omnes apud sacerdotem confessi sunt *e*, & communicarunt. Fæitodonum, Bungensem nobilem, idem Trigautius *f* narrat, ut se ad martyrium præpararet sacerdotem Ignatianum non sine periculo Bungum accivisse, seque ad ultimum certamen, utroque accepto, pœnitentiæ scilicet & altaris sacramento, munivisse; & altera in parte *g* Ludovicum & Cosmum fratres, cum apertum martyrii agonem viderent, ut ad eum ineundum se accingerent, Nangazacum inprimis venisse, & apud Iesuitam, qui istic erat, confessos esse, Soterem item Coraïtam *h*, in quem herus gladio se animadversurum minabatur, illico ad Iesuitam accurrisse, seque facta apud hunc confessione ad martyrium comparasse; Ad Paulum verò Vchiborum Ximaberensem *i*, martyrium in vinculis exspectantem, clam venisse presbyterum Ignatianum, eiusque confessionem in ipso carcere excepisse; Sed & Ludovicum Sottarem *k* omnia peccata facta apud Iesuitam accuratissima confessione ideo delevisse, ut se ad martyriũ muniret, quod Yavanagæ, regni Cicungi urbe, consummavit; Sanchem quoque alium ejusdem palmæ candidatum *l*, jamque ad eam judicum sententia damnatum, Iesuitæ presbytero, quem domi suæ latentem habebat, inprimis esse confessum, tum in agonem descendisse, & in ipso passionis loco genibus ante crucifixi imaginem nixum cervicem spiculatori porrexisse. Hæc Trigautius in Martyriis Iaponicis. Solerius paria in historiis exhibet; Augustini Tsucamidoni filium *m* adhuc impuberem, cum patris, qui capite truncatus fuerat, carnificem non dubitaret in se quoque sæviturum, Iesuitæ confessum esse, & ab eodem aliquid vel sacræ imaginis, vel grani benedicti, quod secum gestaret, poposcisse, ut sic esset in omnem eventum paratus; neque vanum fuisse metum; puerum enim paulò post à parentis inimico crudelissime fuisse interfectum, Camillum Constantium Iesuitam *n*, gloriosissimam martyrii lauream paulò post consecutum, Firandi versantem,

a A'ex Rhod. 1 in 1oi part. 1.c. 11.p 108.
b Trigaut. Matt. Iap. l. 1. c. 7 p 11.
c ibid. l. 1. c. 8. p 15
d Ibid. p. 180. c. 7. (an 8.)
e ibid. c. 11.
f Id. ibid. l. 3. c. 13 p. 297.
g ibid. c 18 p. 334
h ibid. l. 4. c. 8. p. 434.
i ibid. c. 12. p. 436.
k Ibid. l. 5. c. 12. p 539.
l ibid. post c. 14 p. 643. 624.
m Sol. Iap. l. 13. c 9 p 104. 9. 72.
n Ibid l. 19. c. 21. p. 737.

Cap. VII.

quosdam pro fide vinctos adiisse, eosque in ipso carcere apud se confitentes audivisse, & ad martyrium fortiter faciendum animasse; Franciscum Ioiamum *o* se Firoximæ ad martyrium accingentem confessionem ante omnia apud suum sacerdotem fecisse; tum communicatum, ac postremo agonem capite abscisso consumma. Sed & in aliis Annalibus similia leguntur; A. D. 1625. *p* multos avide confiteri, ut sint ad pugnam spiritualem, id est martyrium paratiores. A. D. 1626. Thomam Soxinum *q*, à persecutoribus de religione lacessitum ad martyrium se munivisse, confessione facta apud Matthæum de Couros Ignatianæ sectæ presbyterum. Sic etiam Alexander Rhodius *r* Andream illum suum, quem tantis laudibus celebrat, martyrem, narrat confessionem fecisse, cum sese ad illud certamen pararet. Postremo id quoque hoc loco observandum est Latinæ disciplinæ homines confessionem illam suam non modo ad martyrium se accingentes, sed etiam in ipso jam martyrii agone consistentes plurimum usurpare, si istic quidem constitutis sacerdotis copia sit. Vix, equidem crederem, nisi hoc ipsi de suis testarentur. Narrant *s* enim cum XXVI. si bene memini, martyres, jam lata in eos sententia Meaco Nangazacum vincti ad mortem ducerentur, unum ex istis Martinum Franciscanum ad Iesuitam Viceprovincialem in hæc verba scripsisse; *Nullum* (inquit) *aliud in hac vita desiderium habemus, quam aliquo die confitendi, & communicandi, antequam Nangazacum perveniamus.* Item Paulum Iesuitam *t*, unum ex istis, cùm in Omuranam ditionem pervenissent à Præfecto petivisse, ut Nangazaci breve sibi tempus ad confitendum & communicandum ante mortem indulgeretur, idque impetravisse, ipsum que una cum duobus Ignatianis sociis confessione de tota vita apud Patrem eiusdem sectæ facta, agonem in cruce consummavisse. Trigantius *x* verò aliorum octodecim de Cucinotzu Martyrum acta ad a. D. 1614. tradens, unum ex his Ludovicum scribit, cum duos menses tormentis, quæ passus erat, superfuisset, toto illo reliquo post martyrium tempore frequenter confessum esse & communicatum; & Michaëlem Ixindam, cui idem contigit, eadem quoque sacramenta percepisse. Idem in altera operis parte auctor est *y* Petrum Macchiadem Iesuitam, & Petrum de Ascensione Augustinianum, bis quidem antequam ad rigorem educerentur, in ipso vero agonis loco semel alterum alteri confessionem invicem fecisse; atque ita demum Christi crucifixi simulacra manibus tenentes, Iesuque & Mariæ nomina invocantes capite truncatos esse. Solerius duo narrat observatione digna. Prius est *z*, cum homines quinquaginta, partim Nangazaceni, partim Omurani etiam ibi nati ad ignem pro Latina fide damnati essent, jamque cremandi ad palos nexi starent, unum ex iis Carolum Spinolam, nobilissimum Iesuitam, Luciæ, Iaponicæ ex illo Martyrum agmine mulieris, confessionem illo ipso momento audivisse, eamque à peccatis absolvisse, quod forte contigisset mulierem ad palum Iesuitici pali proximum alligari.

o Ibid. l. 20. c. 12. p. 824. 596.

p Ann. Iap. a. 1625. p. 1[illegible].

q Ann. Iap. a. 1626. p. 131.

r Al. Rhod. Itin. Eoi part. 2. c. 32. p. 158.

s Relat. Iapl. [illegible] a. 1590. c. 10. p. 63.

t Ibid. c. 12. p. 67.

u Ibid. c. 13. p. [illegible]3.

x Trig. Mart. Iap. l. 4. c. 7. p. 409.

y Id. ibid. l. [illegible] 26. p. 508.

z Sol. Iap. l. 10. c. 1. p. 709. §. 121.

gari. Alterum ſequitur, quod apud eundem ſcriptorem legitur *a*. Petrus Paulus Navarrus, non poſtremus inter Ignatianos Iaponum Apoſtolos captus, & vinctus & ad mortem certiſſime deſignatus, Zelam ejuſdem ordinis ſacerdotem forte nactus, inprimis ſemel atque iterum apud eum confitetur, paulò poſt cum ad locum paſſionis procederet, Clementem, qui una cum eo ad martyrium ducebatur, inter eundum confitentem ipſe audivit; mox uterque paſſus eſt. Hæc de Latinis ſatis ſunt.

Cap. VII.
a Ibid. c. 16. p. 761. 766. 767.

Nunc veteres, quorum multa hujus generis monumenta habemus, in pari rerum articulo verſantes ſpectemus. Ac primo quidem, quæ fidelium eſſet cum perſecutio vel denuntiabatur, vel exercebatur; ad certamen præparatio, Tertullianus breviter & in genere ſic docet *b*; *Tunc* (inquit) *Eccleſia in attonito eſt. Tunc & fides in expeditione ſollicitior, & diſciplinatior in jejuniis, & ſtationibus, & oratione, & humilitate, in alterutra diligentia, & dilectione, in ſanctitate & ſobrietate.* Confeſſionis nullus meminit; quam hoc omnino loco ex Latinorum uſu, vel ſolam dicere ſatis erat, vel certe cum *jejuniis, & ſtationibus, & oratione* conjungere decebat. Plurima ſunt in vetuſtiſſimorum ante Conſtantini principatum Chriſtianorum libris perſecutionum tempora; Vt in ipſis ſtatim Chriſtianiſmi primordiis, cum Iudæorum Principes Apoſtolis edixerunt *c*, *ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu*, eoſque mox *in cuſtodiam publicam miſerunt*, & paulò poſt etiam contumelioſe ceciderunt, & Stephanum ad mortem lapidarunt, ac Eccleſiam denique Hieroſolymis naſcentem perſecutione magna diſſipare, & in ipſo ortu exſtinguere conati ſunt. Lucas *d* fideles toto hoc tempore fregiſſe quidem circa domos panem, Deum collaudantes, & ad eum unanimiter levaſſe omnes vocem, item *in unum cor, & in unum animum* coaluiſſe, & quæ ſinguli poſſidebant ea in commune ad omnium uſum contuliſſe, & gaviſos eſſe narrat quod digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam *pati*, quoque acrius ab hoſtibus vrgebantur, eo longius ac latius ſparſiſſe Chriſti Evangelium; hæc inquam, narrat Lucas, Quemquam eorum vel confeſſum eſſe apud aliquem Apoſtolum, vel fratrum confeſſiones audiviſſe, vel ſe adverſus magnam illam perſecutionem hebdomadali confeſſione, *veluti armis validiſſimis muniviſſe*, nullus narrat Lucas. Idem *e* cum Herodes, occiſo Iacobo, & Petro in vincula conjecto, perſecutionis in noſtros ſignum extuliſſet, orationem ab Eccleſia ad Deum pro Petro ſine intermiſſione factam eſſe, & multos fidelium in domo Mariæ, matris Marci, congregatos noctem orando duxiſſe memorat; de confeſſione vel omnium, vel aliquorum, plane nihil dicit. Sed neque ſequentium ſæculorum alia fuit ratio in decem illis immaniſſimis perſecutionibus, quæ in Chriſti Eccleſiam ante Conſtantiniani ſæculi fœlicitatem ſævierunt. Longum eſt ſingulas recenſere. Satis eſt ſemel & univerſim dixiſſe, nullam ex iis fuiſſe, in qua ab ejuſdem memoriæ ſcri-

b Tertull. de fuga in perſec. c. 1. p. 690. A

c Act. 4. 18. & 5. 17. 40. 41. & 18. & 8. 1.

d Act. 2. 46. & 4. 24. 32. 34. 31. & 5. 41. & 8. 1. 4.

e Act. 12. 4. 5. 12.

CAP. VIII. ptoribus traditum sit vel confessionem crebrius ac nostris ac diligentius factitatam fuisse, quam antea; vel fideles Pastorum aures & tribunalia studiosius ad confitendum requisivisse, vel Ecclesias hominibus ad confessionem concurrentibus ita redundasse, ut perpetua quædam quadragesima apud eos agi videretur. Horum apud Latinos, quoties ea sunt tempora solennium, plane nihil occurrit in veterum libris. In iis fideles *confessionem* facere videmus, fateor; sed apud Proconsulem, aut judicem, non apud sacerdotem; & si quando apud sacerdotem, certe non apud Christianum, sed Paganum; qualis Munatius Fœlix fuit Flamen perpetuus, Curator Cirthensis coloniæ, qui nostros sub Diocletiano vexavit. Fatebantur autem veteres isti, non in arcano, sed in publico, Merito; quia non de peccatis (quod est pudendum) sed de Domini nomine ac fide (quod est gloriosum.) Sed nunc ad alterum caput veniamus, an ut nunc Latini, ita & veteres Christiani olim se confessione apud sacerdotem facta ad patiendum pro Domino compararent. De Polycarpo ad divinum illum agonem se accingente hæc habent vetustissimi actus Latini ab Vsserio editi f, sanctum virum *diebus ac noctibus sine intermissione orationi impendendo operam Dei implorasse auxilium, quo fortior esset in pœna.* De confessione, nullum verbum. Neque nostros Lugdunenses g pauculis post annis gloriosissime passos legimus apud sacerdotem toto martyrii sui tempore, confessos esse: obsecrasse cum lacrymis fratres suos legimus, *ut preces ardenter & obnixe pro iis Deo funderent, quo ipso discessu è vita, opus quod Deus tam benigne in illis inceperat, cumulate expleret.* Cyprianum Pontius, cùm de martyrio divinitus uno anno antequam id expleret, admonitus fuisset, totum illud tempus insumpsisse narrat h, in instruendis servis Dei, & ad calcãdas passiones animandis, *optantem dum de Deo loquitur in ipso sermone op. re necari.* Si Iesuita fuisset, novissimum hoc tempus totum dedisset in audiendis aliorum confessionibus, & suis apud collegas faciendis, & optasset profecto sibi, non *verba de Deo apud alios facienti* sed in sacerdotis tribunali confesso & absoluto martyrium contingere. Sebastiani apud Baronium acta tradunt i Episcopum Romanum Caium, & alios cum eo fideles sub Diocletiano apud Castulum latentes ita se parasse ad martyrium, diu, noctuque gemitibus, fletibus, jejuniis, & orationibus occupatos orasse Dominum, *ut digni haberentur tolerantia confessionis ejus, & in numerum sanctorum Martyrum admitti mererentur.* Sic & illos Palæstinos confessores, qui Maximiani jussu in unum locum conclusi martyrium exspectabant, Eusebius scribit k *in orationibus, in jejuniis, in reliquis exercitationibus fuisse assiduos, sequè precibus attentissime ad Deum fusis contra hostem armasse.* Sed non hos magis Palæstinos, quam illos Romanos confessioni apud suos sacerdotes operam dedisse reperimus. Tertulliani extat egregia juxta ac brevis ad Martyras in carcere constitutos exhortatio; in qua omnia exponit, ... illi essent ad susceptum agonem confirmandi l; Vt concordes

f Ad Polyc. Vsseriani. p. 17.

g apud Euseb. hist. l. 5. c. 2. fol. 48. a

h Pont. vita Cypr. ultr med.

i Act. Sebast apud Bar. a. D. 286 §. 10.

k Euseb hist. l. 8 cap. fol. 59. b. Gr. edit. 6. redat.

l Tertull. ad Martyr. c. 1 2. 4.

agant ; ut mentes à terrenis avocatas in cœlum tollant, seque totos illuc animo transferant, *ubi thesaurus noster, cuinem spiritu regant, cum ea spiritu colloquantur de communi salute, de ipso agone & prælio cogitantes.* De confessione apud presbyterum vel facienda, vel expetenda nihil præcipit. Neque aliter Cyprianus Rogatianum, & cæteros instruit, ad quos scribit, Confessores; petens *l*; ne *in eorum cordibus & mentibus quicquam nunc versetur, quam divina præcepta & mandata cœlestia*; *Vt sequantur in omnibus Rogatianum presbyterum, gloriosum senem, viam illis ad gloriam sui temporis religiosa virtute & divina dignatione facientem.* Vel huius presbyteri in carcere una cum iis consistentis mentio Cyprianum monebat, ut cæteros apud eam de peccatis confiteri, & oblato Dei benignitate ad tam salubre opus ministro uti hortaretur, si confessores Christi de peccatis apud sacerdotes confiteri mos fuisset. Idem ad alios Martyras in metallo constitutos, ipse quoque ob eandem Christi causam relegatus scribit; sacerdotes qui inter eos erant solatur *m*, quod *illic facultas* ipsis non detur *offerendi & celebrandi sacrificia divina*; negans in *illo aliquam posse aut religionis aut fidei jacturam sentiri. Celebratis imo* (inquit) *atque offertis sacrificium Deo & pretiosum pariter & gloriosum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cœlestium profuturum*; eos quippe *hostias factos Deo, & se ipsos sanctas atque immaculatas victimas offerentes.* Hos nemo non videt Cyprianum hoc loco, si Latinorum fuisset consecraneus, necessario monere debuisse, ut audiendæ suorum in metallo sociorum confessioni eo impensius vacarent, quod alias sui muneris functiones exercere loci & status sui iniquitate prohiberentur. Cum enim Iesuitæ eos; qui in metallo sunt ob fidem, suscepto longinquo itinere ad confessionem illis ministrandam, sibi adeundos putent; quanto magis istos Cyprianeos presbyteros in ipso metallo constitutos, iis qui secum illic ob eandem Christi causam detinebantur, id solatii præstare decebat? Nihil tamen de illa confessione in tota epistola Cyprianus. Sed & alius extat insignis eiusdem locus, in quo presbyteros suos absens jubet *n*, quoties apud *Confessores* Carthagine in carcere consistentes *offerunt*, non plures una ad eos venire, sed *singulos cum singulis diaconis* ad minuendam Paganorum invidiam, *per vices alternare.* Hic omnino, ut *oblationis*, sive Eucharistiæ, ita & *confessionis* meminisset, si ut Eucharistiam, ita & confessionem Martyribus ministrari solenne tum apud Christianos fuisset. Atque ex his ut constans ac perpetuum de confessione vel facta vel audita in omnium veterum Martyrum actis silentium mittam, clarissime intelligitur nullo apud antiquiorem Christianismum in usu id fuisse, quod nunc apud Latinos solenne esse videmus, ut fideles etiam martyrii candidati de peccatis, si licet, apud presbyterum confiteantur. Illud vero tertium, quod postremo observavimus, Latinorum athletas etiam in ipso martyrio apud sacerdotem confiteri si licet, solere; nullum habemus in tam multis, quæ supersunt, antiquitatis martyriis exemplum;

Cap. vii.

l Cyp. ep. 81. p. 180, 181.

m Id. ep. 77. p. 177.

n Id epist. 4. p. 10.

CAP. VII. quorum actus si omnes jam inde à Stephano ad alios Christi testes excusseris, si qui sæculo etiam septimo & octavo passi sint, nullum reperies, qui confessionem apud sacerdotem de peccatis fecisse in ultimo hoc agone dicatur. Cypriano certe confessionem apud presbyterum facere, si libuisset, licebat, non modo suprema vitæ totius nocte, qua adeo humaniter à custode habitus est, ut convivæ ejus & cari in contubernio ex more fuerint, sed etiam in ipso, quo passus est, loco, ubi Acta docent o & Cyprianum genu in terram ad orationem flexo se prostravisse, & Iulianum presbyterum ei ad ultimum adfuisse, atque ministrasse. Sed neutro in loco quicquam de confessione extat. Iulianus lacinias quidem manuales ei ligavisse dicitur; confessionem eius de peccatis arcanam excepisse non dicitur. Fructuoso quoque Episcopo in Hispania Martyri eadem facultas erat; quem Acta sex illis diebus, quos in carcere ante passionem egit, *& orasse sine intermißione & à fraternitate præsente refrigeratum fuisse; denique etiam Rogatianum quemdam istic baptizasse* tradunt. p At neque ipse apud alium sacerdotem confessus esse; neque Augurium & Eulogiam suos diacônos, qui una cum eo passi sunt, apud se confitentes audivisse legitur. Tam istos Fructuosus, quam Luciam illam suam Spinola & audire & absolvere poterat. Et profecto digna res erat, si vera fuisset, quæ commemoraretur, etiam in ipso igne (sunt enim vivi cremati) episcopum diaconis suis sacramentum administrasse. Sed quid ego in his moror, quasi obscurum sit non fuisse in veteri Ecclesia solenne martyribus de peccatis apud presbyterum confiteri? Atqui hoc ab omni illorum temporum disciplina adeo abhorret, ut non sit dubitandum, quin veteres ista, quæ ex Latinis nuper recitavimus, de Lucia apud Spinolam, deque duobus illis Monachis Iesuita & Augustiniano, altero apud alterum invicem in ipso martyrii actu confitentibus, si audivissent, ea pro absurdissimis & ab omni ratione alienis deliramentis habituri fuerint. Martyras enim peccatorum apud sacerdotem confessione ipsos adeo non egere illi veteris memoriæ Christiani existimabant, ut eos peccata aliis, instar sacerdotum, remittere posse putarent. *Pacem* (inquit) Tertullianus q) *quidam in Ecclesia non habentes* (lapsos autem dicit) *a Martyribus in carcere exorare consueverunt.* Idem alibi, r sed in Montanistam mutatus Catholicis hoc exprobrat, quod potestatem delicta donandi in Martyras effunderent. Dionysius Alexandrinus suos apud Ægyptum Martyras ea potestate usos dicit, & quidem perquam benigne s; & Afros quoque iisdem temporibus Carthagine idem factitasse clarius & notius ex Cypriano t est, quam ut multis confirmari necesse sit. Qui ergo etiam in idololatriam lapsos præfectorum censura solvebant, hoc-ne ipsos præfectis accidere, supplicare mœstos & pallidos, & absolutionem ex eorum ore exspectare fas ac legitimum fuit? Ista vero non cohærere planum est; & monstrum haud dubie videre se putassent priscæ disciplinæ viri, si tres illos de Iesuitico sodalitio

o Pont vita Cypr. paulo ant. fin. & pass. Cypr.

p Act Fruct. apud Par. a. D. 262. §. 00.

q Tertull. ad Mart. c. 1 p. 136. A

r Id. de Pudic. c. 22. p. 744. E.

s Dion. apud Euf. hist. l 6. c. 42. fol. 69 2.

t Cypr. ep. 10. 11. & alibi.

Cap. VII.

Japonicos Martyras Patris Pasio de geniculis peccata sua singulos in aurem narrantes spectassent, & ab eo absolutionem accipientes; tamque hujus superbiam supra Christi testes adsurgentis aversati essent, quam illorum simplicitatem miserati, apud hominem otiose quærentium, quod à Domino Christo certo erant per martyrium accepturi. Illa vero mira inprimis apud veteres visa esset Martini Franciscani vox se in ipso martyrio hoc adhuc in terris desiderare testantis, ut sibi antequam id consummet, confessionem apud aliquem presbyterum facere liceat; Quasi putet, ne ipsum quidem Christum posse suos testes pro suo nomine morientes purgare & in cœlum evehere atque recipere absque Papalium ministrorum venia. Sed nobis nunc satis est, quod nullam in omnibus veterum Martyrum aut præparationibus aut agonibus occurrere illam Confessionem videmus, absque qua Latini (si modo eius copia fuerit) rara apud se narrant facta fuisse martyria. Neque hoc tantum observare est in martyriis ante Constantinum factis; Eadem sequutis temporibus occurrit rerum facies. Ecclesię Africanæ sub Vandalis Regibus Genserico, & Hünnerico ab a. D. 427. ad 487. diras persecutiones passæ sunt, quas proprio opere descripsit Victor Vitensis Episcopus eorumdem temporum, qui in codicibus excusis *Vticensis* perperam dicitur; ut est à Chiffletio, eruditissimo Iesuita demonstratum *u*. Ibi multorum Confessorum, ac Martyrum cruciatus, exilia, mortes leguntur; Nullius ex tanto numero confessio apud presbyterum arcana legitur, vel in præparatione ad has perpessiones, vel in ipsis perpessionibus. Tradit Victor *x* Gensericum Catholicos feralibus edictis terruisse *ne usquam orandi, aut immolandi concederetur gementibus locus; Confessioni* arcanæ, quod in tanta calamitate supererat, eo impensius operam dedisse non tradit. Armogastem narrat *y*, egregium Christi athletam, post multa tormenta incredibili virtute superata, postremo vaccas ad ignominiam pascere haud procul Carthagine à Theoderico Regis filio jussum, cum dormitionis suæ diem Domino revelante instare didicisset, Fœlicem quemdam pium hominem advocasse, rogasseque ut suum corpus; postquam prædicta cælitus morte functus esset, sub quadam siliquæ arbore sepelire dignaretur; ipsum post paucissimos dies de hac vita migravisse; Fœlicem jussa implevisse. Ille vero tali tempore presbyterum ad confessionem suam audiendam accersiri inprimis à Fœlice petivisset, si jam tum is mos apud Christianos fuisset; neque id Victor, si factum esset, in supremis huius viri tacuisset. Atqui de confessione illa arcana nullum in omni hac narratione verbum extat. Idem auctor fuse prosequitur, *z* ut Episcopi, presbyteri, diaconi, & alia Ecclesiæ membra ad capita 4961. à sævissimo Hunnerico ad exilium eremi destinata sint. Luctuosum ac peracerbum eorum iter totum diligenter describit. Quemquam ex tanto numero uspiam apud aliquem sacerdotum, qui una abducebantur, confessum esse nullus memorat. Atqui non tacuit *a* majorem sibi

(nam

u Chifflet. Not. ad Ferrand. Diac.

x Vid. Vit. de persec. Vand. l. 1. Bibl. Patr. T. 7. p. 590 D.

y Ibid. p. 594. B. C.

z Ibid. l. 2. p. 599. B. C.

a Ibid. B.

CAP. VII.

b ibid. p. 600. C.

c Ibid. l. 3. p. 610. E.

d ibid. p. 612. A
e ibid. C.
f ibid. D.
g ibid E.
h ibid p. 613. B.
i ibid. C.
k ibid. E.
l ibid p. 611. D.
m ibid E.
n ibid. p. 614. & seqq. ad fin. Libri
o ibid. p. 611. E.

(nam & ipse exulum unus fuisse videtur) *copiam* quodam loco à barbaris datam esse *& introire, & verbum admonitionis fratribus facere & divina mysteria celebrare.* Quis non eum sentit *& confessionis audiendæ* officium hic quoque fuisse additurum, si tum in usu apud nostros fuisset? Idem observare est, ubi paulò post Cypriani Vnizibirensis Episcopi in exules officia recensens dicit *b* eum *singulos pio & paterno fovisse affectu, non sine fluminibus currentium lacrymarum, paratum pro fratribus animam ponere, totum quod habuit egentibus fratribus expendisse, occasionem quæsivisse qualiter Confessoribus sociaretur; Confeßionem,* oblata tam præclara opportunitate, vel Cyprianum apud aliquem Episcoporum, & presbyterorum exulum, vel hos certe apud ipsum, fecisse non dicit. Sequitur in ultimo operis libro atrocissima Episcoporum vexatio ab Hunnerico instituta, in qua legimus *c* quibusdam Episcopis fuisse vetitum, *ne psallerent, vel orarent, vel codicem in manibus ad legendum gestarent, ne baptizarent, neque ordinarent,* aut aliquem reconciliare præsumerent.* Cur inter hæc sacerdotalis, ut liquet, muneris officia, non illud quoque addit, *ne cujusquam arcanam apud se confeßionem* audirent? Nimirum nullum hoc adhuc inter sacerdotum functiones habuit locum. Quæ enim hic memoratur *reconciliatio,* publica erat lapsi post publice peractam pœnitentiam in Ecclesiæ corpus redintegratio; non erat arcana hominis fidelis in presbyteri aurem confessi absolutio. Inde Victor exsequitur multorum utriusq; sexus Martyrum ac Confessorum certamina Dionysiæ *d,* Maiorici *e,* Dativæ *f,* Leontiæ, Victoriæ *g,* Victoriani *h,* duorum fratrum Aquisregensium *i,* civium Typasensium *k,* Clericorum Carthaginensium *l,* ac nominatim Murittæ Diaconi, *m* & aliorum *n* quos dicere longum est. Sed in his omnibus nulla uspiam occurrit confessionis apud presbyterum ab ullo istorum factæ mentio. Typasenses quidem Ariano quodam Episcopo in eos sæviente, dicuntur *o publice mysteria divina in domo una congregati celebrare cœpisse.* Quid ni etiam, quod erat multo facilius, vel hi, vel alii confessionem apud presbyteros suos fecisse dicuntur? Sed hæc satis sunt, ut quivis non sponte cæcus videat nullam priscos Martyras in suis passionibus confessionem apud sacerdotes sacramentalem fecisse; adeoque hanc confitendi disciplinam nondum apud Christianos in usu fuisse. Nam si fuisset, eam profecto athletæ Christi veteres tam olim factitassent, quam nunc Latini in paribus locis ac temporibus factitant.

CAPVT

Caput VIII.

Argumentum VIII. à temporibus Confessionis nunc solennibus ductum, ut Pascha, Natali, majoribus festis, quadragesima, Sabbatis, sextis feriis, &c. ad quæ Confessionis arcanæ mentionem Latini quidem passim ac fere semper, veteres vero nunquam facere deprehenduntur.

Plærasque Latinæ Confessionis causas executi; nunc & ejus tempora maxime insignia percurramus. In his nullum est hebdomade antepaschali solennius; qua vel nemo, vel certe rarissimus est Latini ritus Christianus, qui non apud sacerdotem confiteatur. Etsi enim Innocentius *u* huius mysterij parens omni utriusque sexus fideli saltem semel in anno confitendum simpliciter decernat, tempus, quo confitendum est, non definiat, sed liberum ut videtur, unicuique permittat, tamen ipsa festi celebritas, & Eucharistiæ, quam idem ille Pontifex omnibus in Pascha præcipit, ratio effecit, ut omnes vulgo confessionis sacrum illa fere hebdomade faciant, paucissimis exceptis, qui vel irreligiosi, vel certe cerebrosi habentur. Itaque quoties Ecclesiastici Latinorum scriptores in hoc tempus incidunt, ejusque religiosos ac solennes actus tangunt, toties fere suæ Confessionis meminerunt. Orlandinus in Divi sui Ignatij rebus memorat *x* eum totum ante Pascha triduum consumpsisse in accurata peccatorum suorum apud Theodosium quemdam confessione, Minoritam Monachum, quo ad officium hoc ministro uti solebat. Neque hoc Ioannes Fernandes omisit *y*, ubi nobilis cujusdam Iaponis religionem celebrat. Diserte scribit eum antepaschali hebdomade vitæ maculas per confessionem diligenter eluisse; Emanuel Pinnerus *z* in itineris sui Indici relatione cum dixisset se & cæteros qui secum erant, Patanam venisse die Martij xxiv. atque ibi Pascha celebrasse, addit statim multos, qui in *carayana* comites fuerunt, confessos esse, etiam nonnullos Armenios, sed metu & ficte. Longum est alia ejusdem generis, quæ apud istos plurima occurrunt, recitare. Plærisque etiam solenne est die Domini Christi natali confiteri. Neque hoc sane prætermiserunt scriptores. Alexander Rhodius *a* in suorum Cocinsinensium rebus, plurimos se in Natalis vigilia confitentes indesinenter audivisse tradit. Iarricus in suorum apud Mogorem gestis festum Dominici Natalis magnifice ac singulari cultu Lahore, urbe Mogorum regia, ab illis actum memorans *b*, inter cætera inprimis scribit, quicumque istic erant Christiani, eos confessione apud presbyterum facta conscientias expiasse. Sed neque Divæ Matris Virginis assumptionem tacent. Annales *c* dum Ecclesiæ à Iesuitis Gorgoræ apud Æthiopas ma-

u Innoc. 3. in Conc. Late. c. 21.

x Orland. hist. Soc. L. 3. §. 8.

y Epist. Iap. l. 2. fol. 116. a.

z Relat. de M Mogore a. 1595. p. 15 B.

a Alex Rhod. Itin Eoi Part. 2 c. 17. p. 118.

b Iarric. In. dic l. 5 c. 19. p. 119.

c Ann. Æth. a 1610. p. 14.

CAP. VIII. gna arte ædificatæ, atque exculta elegantiam ac pompam explicanr (sunt enim Ignatiani ut cætera ferè omnia, ita & architecti optimi) hoc etiam memorant frequentissimas, ac copiosissimas istic fuisse die virginis assumptioni sacra confessiones & communiones, cum alia ex parte Divæ ad cœlos in nube ascendentis imago publice in æde exposita Æthiopas talium rudes in se converteret, admirationeque defigeret. Sunt qui & hæc tria festa & alia uno *majorum festorum* nomine ad brevitatem, credo, complecti satis habent, ut Aloysius Almeida in prædicanda suorum Bungensium pietate exultans *d*, postquam id inprimis extulit, quod isti & publice in Ecclesia & privatim domi haud perfunctorie ipsi suis manibus sese diverberant, mox de confessione hæc habet. Alios quidem præcipuis anni festis, alios vero diebus B. Virginis sacris, alios decimoquinto, alios etiam octavo quoque die confessione maculas suas abluere. Sic & Gaspar Ludovicus *e* milites arcis Diu præsidiarios, quorum pietatem esse ait *toto Oriente inclytam* confessionarij sacri usque adeo religiosos esse prædicat, ut eorum nemo sit, qui non singulis totius anni majoribus ac celebrioribus festis confiteatur. Præter hæc Confessionis tempora, eam ab hominibus sui ritus piis quadragesima maxime frequentari sæpe etiam memorant; ut vel ex iis patet, quos supra audiebamus frequentissimam apud Parauas, & Omuranos confessionem ita significantes, ut dicerent videri potuisse perpetuam apud eas actam fuisse quadragesimam. Quo & illud pertinet, quod Annales narrant *f* Æthiopum Imperatorem; postquam ad sacra Latina defecit, per quadragesimale tempus crebro in Ecclesiæ totius oculis & confessum & communicatum esse. In libro quidem Pontificali diserte jubent *g* à presbyteris, feria illa quarta, quæ *cinerum dies* vulgo dicitur, quæque nunc quadragesimæ initium est, *invitari populum ad peccatorum confessionem.* Sabbati proprium quoque ac peculiarem apud suos esse ad confessionem usum iidem scriptores docent. Gaspar Gagus complures esse scribit *h* neophytorum Bungensium, qui singulis Sabbatis sese confessione confirment; quos Almaida in loco nuper recitato intellexisse videtur, cum idem argumentum tractans diceret fuisse in Bungensi Ecclesia, qui octavo quoque die maculas suas confessione abluerent. Sed & diem Veneris huic ab aliis officio impendi significat Orlandinus *i*. cum à Simone Socio Ignatiano Regis Lusitani filium adhuc impuberem, ejus curæ commissum, sexta quoque feria auditum fuisse dicit *de suu noxulu confitentem* (sic enim hoc eloquitur elegans Iesuitæ corculum) Sunt etiam apud Latinos, qui die suo natali confessionem faciant, quod de Doctore Michaële Sina ab Emmanuele Diazo proditum *k* est. Sunt qui quotannis quinquies aut sexies confiteri satis habent. Suis certe Pequinensibus Venceslaus Pantaleo laudi deputat *l*, quod quinquies sexies ve quotannis apud Riccij gentis suæ Apostoli memoriam convenientes confiteantur & communicent. Alij singulis mensibus conscientiam apud sacerdotes exponunt; quod

d Epist Iap. L 3 p. 154. b

e Ann Goa 1618, 1619, p. 7.

f Ann; Æth. a. 1621 p 186.

g Pont. Rom part. 1. p 442.

h Epist Iap l. 2. p. 138.

i Orland. hist. Soc. l. 9. §. 87.

k Ann Sin. a 1619. p. 40.

l Ann Sin a 1640 p 19.

Cap. viii.

quod ita vulgare apud Parmenses, Ignatianorum cohortationibus emendatos, fuisse tradit Orlandinus *m*, ut nullo Parmæ numero duceretur, qui non singulis saltem mensibus sese peccatorum vinculis pœnitentiæ Sacramento expediret, id est confessione facta. Ne illud quidem postremo omiserim, quoties bono Romæ Pontifici annum aliquem Iubilæum indicere, suęque indulgentiæ fontes populis sitientibus aperire libet, maximum eo anno solere à Latinis ad Confessionis tribunalia fieri concursum. Neque enim huius triplici corona redimiti Pastoris liberalitate alios quam confessos frui fas est. Gaspar Villela auctor est *n* cum ipse Papale nescio quod Iubilæum Meaci promulgasset, eo sic permotos fuisse suos Iaponas, ut eorum & in confessionibus diligentiam, & in festorum natalium expectatione pietatem ac studium magnopere admiratus sit. Arimæ apud eandem gentem cum anno 1621. vel certe 1622. publicatum esset Romanum Iubilæum, Annales tantum fuisse prædicant *o* virorum ac mulierum ad eam urbẽ concursum, vt Iesuitas necesse fuerit noctes bene multas insomnes totas ducere, excipiendis scilicet tam multorum mortalium confessionibus intentos. Eadem de Brasiliensibus *p* narrant, anno Iubilæo tantum istic fuisse confitentium numerum, ut Iesuitis à summo mane ad multam noctem ab audiendi & absolvendi opere respirandi nulla facultas esset. Denique ne plura congeram, Cocini apud Indos, cum a. D. 1581. in die ædis Cocinensis dedicationi sacra promulgatum esset Iubilæum, tradunt *q* confessionem ex ea causa fecisse plura, quam mille capita. Sed hæc de Latinis satis; quorum nihil apud veteres apparet. Illi Paschæ quidem sæpissime meminerunt. Etiam antiquissimi Irenæus, Tertullianus, Dionysius Alexandrinus *r* docent hebdomade illa antepaschali passim à nostris jejunatum esse, præsertim feria sexta; qua die Tertullianus *s & communem & quasi publicam jejunij religionem fuisse, & fideles osculum deposuisse* diserte memorat; quemquam fidelem, nedum omnes, illo tempore apud presbyterum in arcano confessionem fecisse nemo testatur, nemo dicit, vel etiam innuit. Constitutionum auctor totam illius hebdomadis religionem disponit *t*, quid fideles singulis diebus gerere debeant, diligenter præcipit; primo ut dies illos sex totos stricte jejunent solo pane, sale, oleribus, & aqua utentes, Sextam feriam & Sabbatum plane jejuni, si possint, transmittant, nihil usquam gustantes usque ad Dominicæ gallicinium; Qui sunt infirmiores, saltem Sabbatum servent; In reliquis hebdomadis illius diebus cibum hora nona, vel vespere sumant. Tum ut à vespera quintæ feriæ in Ecclesiam convenientes vigilent orantes, ac rogantes Deum in illa pernoctatione, legentes legem, Prophetas & Psalmos usque ad galli cantum; Catechumenos suos baptizari curent, Evangelium legant; Ita demum à luctu desinant, postremo ut sacrificium illud suum læti offerant, de quo Christus præcepit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Atque hæc quidem Pseudo-Clemens. Qui ista omnia sigillatim tam accurate edis-

m Orland. hist. Soc l. 2. § 76.

n Epist. Iap. l. 4 fol. 232. b.

o Ann. Iap. a. 1621. p. 303.

p Ann Bras. a. 1577. p. 16.

q Ann. Cocin. a. 1581. p. 9.

r Iren. ep. ad Vict. apud Euseb. hist. l. 5. c. 24. Tertull. de Ieiun. c. 14. Dion. Alex. in ep. Can.

s Tertull. l. de Orat. c. 14.

t Const. Apost. l. 5. c. 18.

CAP. VIII. ferit, quis fideles id quoque moniturum hoc loco fuisse non videt, *ut confiteantur apud sacerdotem, atque ita sacrificium illud suum offerant*; si Paschali festo confiteri omnes fideles mos fuisset? Sed neque in priscis monumentis quemquam reperies fidelem, qui instar illius à Ferdinande laudati Iaponis, maculas suas antepaschali hebdomade per confessionem apud presbyterum factam eluisse dicatur, multo vero etiam minus aliquem singulari pietate ac sanctimonia præditũ, qualem Iesuitæ si quem alium, Ignatium fuisse suum fingunt, qui *totum ante Pascha triduum* apud sacerdotem in confitendis suis peccatis consumpsisse memoretur. Atqui peccata apud sacerdotem non alios confiteri mos vetus erat, quam lapsos, id est insignes & manifestos peccatores, qualem suum illum Ignatium fuisse Iesuitæ, credo, non putant. Si alius olim ritus, si is fuit qui nunc Latinorum est, scilicet ut omnes promiscue stantes juxta ac lapsi Christiani apud sacerdotem Paschate cõfiterentur, & ij quidem maxime atque diligentissime, qui totius gregis, vt Ignatius, purissimi ac sanctissimi erant; certe prisci Ecclesiarum præpositi illius magnæ hebdomadis tempore ad confessionem in homiliis, quas habebant ad populum, suos omnes nullo discrimine essent cohortati. At si omnes hujus generis eorum sermones qui plurimi extant, excusseris, nihil tale reperies. Nam Gregorij Nysseni, & Chrysostomi ex homiliis antepaschali illa hebdomade dictis, loca, in quibus Bellarminus somniabat sanctos viros ad suam Confessionem omnes suarum Ecclesiarum fideles cohortari, supra explicauimus, *u* & quantopere in percipiendo eorum sensu falsus fit adversarius abunde demonstravimus. Quinimo si bene repures, reperies priscos Patres non modo fideles, sed ne pœnitentes quidem tali tempore, ad *confessionem* Latinam, id est ad enuntiationem peccatorum apud Sacerdotem hortari; quia scilicet pœnitentes, non in fine, sed in capite *x* quadragesimalis jejunij mos erat eo sensu *confiteri*, cum pœnitentiam publicam suscipiebant. Vtrosque & fideles & pœnitentes antepaschali hebdomade ad Eucharistiæ communionem vocant, atut eius digne atque utiliter esse possint participes, utrosque hortantur ad resipiscentiam, ac ut loquebantur, ad *satisfactionem*, sive *exomologesin*, faciendam, cum hoc tamen discrimine, ut pœnitentium quidem satisfactio publica esset in Ecclesiæ totius oculis, fidelium vero privata atque interior apud unum Deum, cæterum utraque vera ac sincera, quæ se pietatis in Deum, caritatis in homines studio atque operibus probaret. Hæc enim erat legitima ad Pascha & Eucharistiam præparatio. Dominici vero Natalis confessiones, imo ipsam Dominici Natalis festivitatem apud Ecclesiam trium primorum sæculorum frustra quæsieris, in qua nulla fuit. Festum quarto demum sæculo, & quidem Romæ primo cœptum celebrari. Ritum inde ad cæteros Christiani nominis cœtus paulatim diffusum esse non nego, unaque usum Eucharistiæ illo die percipiendæ. Sed qui tum communicabant fideles, eos prisci scri-

u Supr. l. 2. c. 11. de Nysse no. & c 14. de Chrysost.

x Vid Bell de Pœnit l. 1. c. 22. § Iam vero.

Cap. VIII.

ptores, non magis quam qui Paschate, apud sacerdotem confessos esse uspiam testantur. Chrysostomum y nuper observabamus in homilia quinque ante Domini natalem diebus dicta auditores ad Eucharistiam proximo festo percipiendam facundissime ac vehementissime, ut solet, cohortari, ac præcipere ut sequentes ad festum usque dies in hanc curam totos impendant; confessionis apud sacerdotem, quam nemo non videt hoc loco fuisse ex Latinis quidem moribus necessario commendandam, ne uno quidem verbo meminit. Imo ea ibi loquitur ac docet, quæ nulla apud hominem confessione opus esse ad rite communicandum clarissime significant, quæque unicum Latini istius mysterij fundamentum, (id est peccati apud ministrum ad obtinendam ejus remissionem revelandi ac confitendi necessitatem) plane penitusque subvertunt, ut paulò ante ostendimus z.

y Chrysost. Homil. de Philog. quæ est 12 Tom. 1. p. 318. d.

z Supr. hoc libro 6. c. 4.

Sequuntur apud Latinos dies, qui Divæ Matri Virgini, sive ad memoriam assumptionis, aut nativitatis, aut conceptionis ejus, sive aliquo alio nomine sacri sunt. His quidem ipsi solent plærique confiteri; Quemquam verò à primi & antiquissimi ad a. D. trecentesimum Christianismi scriptoribus confessum his diebus memorari, ne Latini quidem dixerint, quos negaturos non puto festa hæc tribus illis primis Christianismi sæculis nondum fuisse in usum Ecclesiæ recepta. Bellarminus certe nullos de iis testes edit a, qui non infra trecentesimum à nato Christo annum vixerint. Sed ne his quidem festis (si qua ante decimum sæculum instituta sunt) quemquam vetustiorum vel ipsum esse confessum, vel alios ad confitendum provocasse videmus. De Papalibus verò Iubilæis, quorum prima institutio recentissima est, nihil verbis opus est. Patet enim ob ea, quæ nondum erant, fieri non potuisse magnum confitentium ad sacerdotum tribunalia concursum. De quadragesima, concedo à quo tempore observari apud Christianos cœpit (id est paulò post a. D. 300.) solenne fuisse apud nostros primis p[o]tissimum ejus diebus, ut lapsi poscerent ac susciperent pœnitentiam, quæ dari nisi peccatum confessis, nequaquam poterat. Sed lapsi pars erant Ecclesiæ valde exigua. Quæ verò nunc apud Latinos in usu est *confessio*, ea omnium omnino Christianorum esse defenditur, neque ad pœnitentiam publicam ordinatur, neque semel tantum (ut ea, ad quam olim publicæ pœnitentiæ rei obligabantur) sed sæpius fit, quoties fideli libet. Ad hanc verò negamus prima die quadragesimæ populum olim more Latino invitatum ab antiquis ad sextum septimumve sæculum Pastoribus, neq; aliud ex veterū vel historicis narrationibus, vel homiliis & tractatibus probari potest; in quibus inveniretur aliqua hujusmodi invitationum mentio, si ea revera tum temporis obtinuissent. Cætera, quæ de suis hominibus narrant Latini, confiteri eos apud sacerdotem, alios diebus Divæ Virgini sacris, qui septem sunt, alios præcipuis totius anni festis, quæ multo plura sunt, quosdam quotannis die suo natali, vel alias quinquies aut

a Bellar. de cult. Sanct. l. 3. c. 16 §. Dico secundo.

sexies, vel in quadragesima pluries, nonnullos singulis mensibus, vel decimo quinto quoque die, aliquos denique vel omni Sabbato, vel sexta quaque feria recurrente, ista inquam, omnia non modo nullum habent in tota antiquitate exemplum, sed & veteris Ecclesiæ legibus, ac disciplinæ, ipsique etiam sermoni ita, quod jam supra diximus, adversantur, ut ea siquis apud Christianos quinque, sexve priorum sæculorum homines dixisset, ut nunc dicunt Latini, non dubitem quin pro novis atque inauditis prodigiis habituri fuerint. Homines enim sueti in vulgari communique Ecclesiæ sermone *pœnitentiam* à sacerdote indictam non aliam audire, quam *publicam*, & quidem *semel* tantum in omni cujusque vita faciendam, neque *confessionem* apud presbyterum ex Ecclesiastica lege aliam, quam quæ ad suscipiendã publicam illam pœnitentiam fiebat, isti inquam, quid cogitare de iis poterant, quos acciperent apud sacerdotem non semel, sed iterum, sed identidem, sed quotannis, & quidem singulis quinquies aut sexies, vel omni mense; imo etiam hebdomade confiteri? Non video profectò, quid de veteribus istis siquos ita commendari vel audivissent, vel legissent, in mentem venire potuerit, nisi eos esse peregrinos quosdam, atque exoticos, non sui generis aut sanguinis Christianos. Sed hæc infra fusius suis locis & dicentur, & demonstrabuntur. Nunc satis est id, quod diximus, observare, ista de confessionis apud sacerdotes temporibus hodie Latinis familiarissima, ut eam unus idemque fidelis dicatur quotannis Paschate, Natali Dominico, festis omnibus majoribus, vel singulis mensibus, aut Sabbatis iterare, ea in veterum scriptorum, qui sex septemve primis sæculis vixerunt, litteris ac sermonibus nusquam, ne semel quidem inveniri. Inde enim certissime conficitur ignotam veteribus illis fuisse Innocentianam confessionis disciplinam, quam si cognitam habuissent scilicet, nulla ratio dici potest cur non ista ipsi de fidelibus æque ac nunc Latini, aliquando dicerent, quoties vel in temporum; vel in religionis quæ iis defertur, mentionem incidant.

Caput IX.

Argumentum IX. ductum à miraculis, quæ vel à confessione, vel ad confessionem à Latinis quidem multa passim, à veteribus verò nulla usquiam fieri dicuntur.

Sed ut hunc locum tandem aliquando concludamus, illud postremo observandum est, Latinos scriptores miracula ad suam cõfessionem facta neque pauca, neque parce memorare. Primo enim quosdam tradunt fuisse ad eam divinitus compulsos, quale est, quod apud

Cap. ix.

Orlandinum legimus *b. fuisse quemdam Goæ, qui ab aperiendis suis rite peccatis cupienti paratoque Patri Gaspari Barsæo nimis obstinate refugeret,*

b Orland. hist. Soc. l. 12. § 116.

*Sed hunc in suo lectulo nocte vigilantem; cum sibi manu fauces arcte comprimi, & gulam interstringi sentiret, implorata illico Dei matre ex iis ereptum esse angustiis, relicto aliquo doloris duntaxat aculeo, ut obstinationis suæ pœnas penderet, quod sacerdoti Dei cunctaretur advolvi. Verum mox ei per quietem visum esse Gasparem sciscitantem, cur sic angeretur, expressoque * manu faucibus crucis signo, reliquias omnes angoris abstersisse. Illum somno solutum, & quod gestum erat reputantem, magnam vim lacrymarum profudisse, & e cubili se confestim prorripientem expiandi sui gratia cucurrisse ad Gasparem.*

* In legend. impressoque.

Tale & illud est, quod jam supra ex istorum annalibus *c* de Abassino magnæ famæ Monacho recitavimus, quem anno ætatis fere centesimo divinitus sæpe admonitum, ut Iesuitis confiteretur, tandem paruisse ferunt, & quot postea vixit diebus toties ante mortem esse confessum. Sunt quibus à Deo vel ægrotantibus prorogatam, vel etiam mortuis redditam ad hoc fuisse vitam narrent, ut antequam de ea discederent, confessionem facere possent; Vt illum Iaponem, quem jam alibi diximus morbo gravissimo laborantem eo usque à Domino servatum memorari donec *isto veri* (inquiunt *d*) *Christiani in supremis officio* (id est con- fessione) *fungeretur*; Id anus Christianæ beneficio quæ Iesuitam ad eum adduxit, tandem consecutum, ita demum è vita demissum exivisse. Alium de eadem gente nescio quem *e*, cum ægerrime ferret se absque confessione mori, cœlesti ope ita repente firmatum convaluisse, ut ad Iesuitam & quidem procul absentem pluribus confectis milliaribus ire potuerit, tum rite apud eum confessum, fœliciter esse mortuum, Anum *f* vi morbi usque adeo afflictam atque prostratam, vt voce ipsa amissa confiteri nequiret, cum se Divo Xaverio commendasset, & ex eius reliquiis nescio quid à Iesuita porrectum esset osculata, linguæ ministerium, & vitæ totius usuram subito magna omnium admiratione ita recepisse, ut confessa sit, rem Goæ, si bene memini, gestam esse; In Guinea *g*, diversissima orbis parte Lusitanum quemdam hominem, cum esset ad salutem prædestinatus, in vivis à Domino tamdiu esse servatum, donec apud Barreiram de Ignatij sodalitio sacerdotem, confessionem fecisset. Huc etiam pertinet, quod Solerius narrat *h* quandam apud Iaponas mulierem fuisse, quæ in gravi morbo vehementer deliraret, conspecto Iesuita repente ad sanam mentem redierit, & apud eum confessa, Diuique exinde Ignatij imaginem venerata convaluerit; Item Ioachimum *i Giffiacum*, ut vocant (id est Catecheten) Iaponem, cum ægrotans validissime deliraret, mentem ad Iesuitæ adventum recepisse, factaque confessione post aliquot dies esse mortuum. Sed hæc omnia vincit quod supra ex Alexandro Rhodio *k* jam attigimus, mulierem neophytam absque confessione mortuam, cum id ejus filius gravissime (ut dignum erat) ferret, revixisse, & confessione apud Alexandrum facta,

c Iarric. Indic. l. 5. c. 19.

d Solier. Iap. l. 14. c. 8.

e Ann. Iap. a. 1605. p. 496.

f Ann. Goæ. a. 1610. p. 114.

g Iarr. Indic. l. 5. c. 41. p. 385.

h Sol. Iap. l. 16. c. 1. p. 419.

i Id. ibid. c. 4. p. 418.

k Al. Rhod. itin Eoi. part. 1. c. 10. p. 98.

Cap. lx. iterum obdormivisse. Id etiam est ex confessionis miraculis, quod homines ea vel facta liberatos infirmitate, vel neglecta divinitus percussos pœnas dedisse, in istorum libris non semel legimus. Iarricus refert l mulierem mutam Bembare cum sacerdoti Ignatiano per signa confessa esset, crucis quod istic extabat, signum osculatam, & lingua oleo ex lucerna ad crucem ardente perunctam vocis usum recepisse. Iam supra ex Solerio m retulimus puellam quandam vix dum puberem, graviter dolentem, quod morbo se confici absque confessionis spe cerneret, Ignatianum Patrem nactam ex insperato, eique avidissime confessam plane convaluisse. Orlandinus auctor est n complures Armusiæ ex ægrotis & imbecillibus, de quorum salute desperaverant medici, confessione apud Barsæum rite obita valetudinem mirabiliter recuperasse. Idem narrat o Kesselium à cujusdam Monasterij Præposito rogatum fuisse, ut ad cœnobitam morti proximum accurreret, cum ille paruisset, placuisse ægroto priusquam decederet, consulere rebus suis, & ab ultima pueritia peccata omnia confitendo repetere; Cumque eum confessionem vix inchoasset, vim morbi remisisse; cum vero ad eius finem pervenisset, omni denique morbo absolutum esse, surrexisse è cubili, & suis pedibus ingredi cœpisse. Apud eundem p legimus quemdam Messanæ, qui insanabili urgebatur abscessu magnosque sumptus ad eius curationem fecerat, tandem spe in cõfessione reposita Ignatianos Patres convenisse, animiq; sanatis ulceribus haud ita multo post ipsum quoq; corporis ulcus mirantibus amicis & gratulantibus sustulisse. Alibi q mulieré quandam malo pariter morbo maloq; dæmone diu tortam, simul ad Canisiũ Ignatianũ sodalem venit, eique confessa est, non modo pertinaci dæmone, qui nullis vinci sacris carminibus poterat, verum etiam omni morbi molestia liberam dimissam esse. Aliam r multo etiam gravius laborasse, sic, ut se jam Satanæ in æternum ob gravia peccata traditam clamitans omnem de salute spem abjecisset. Sed hanc quoque de Canisij concilio repetitis in confessione jam inde à pueritia peccatis rite animum cum expiasset, omni dæmonis obsidione, morboque ejusdem Canisij precibus & exorcismis exemptam esse. Idem s affirmat nobilem fœminam, quæ Patavij gravi labefactata morbo medicos frustra adhibuerat, domum accersivisse Ignatiani collegij Rectorem Ioannem Baptistam Tavonum, & peccatis, morborum causa, confessione sublatis, repente cum admiratione familiæ totam convaluisse. Sed & fuisse quemdam hominem perditissimum t, tot tantisque à Satana & corporis doloribus tortum, & animi angoribus cruciatum, ut ad ejus inconditas voces, & miserabiles ululatus omnis vicinitas expavesceret. Hunc ad Leonem Ignatianum Collegij, ut opinor, Conimbricensis Rectorem perductum esse & facta apud eum confessione convaluisse corpore pariter & animo. Cætera ejusdem generis mitto, pœne innumerabilia. Est enim hic unus de præcipuis Ignatianorum miraculorum fontibus

l Iarr. Indic. l. 6. c. 19. p. 731.

m Sol. tap. l. 11. (an. 13. p. 619.

n Orland. hist. Soc. l. 9. §. 141.

o Id. ibid. l. 10. §. 103. 104.

p Id. ibid. l. 12. §. 19.

q Ibid. §. 40.

r ibid.

s Id. ibid. l. 14. §. 19.

t Ibid. §. 91. 92.

tibus; è quo ratus est alicuius nominis apud istum ordinem magister, qui non aliquid *mirabiliariæ* gloriolæ hauserit. Quin etiam narrant *u* tantam esse huius confessionatij mysterij vim, ut adolescens soluto paralysi corpore jacens, cum Deo vovisset se, si esset eo malo liberatus, ad Iesuitas Nangazacenos, si bene memini, iturum & confessionem apud eos facturum, mox voti recepta sanitate, reus factus fuerit. Sed vim confessionis ad dæmonia expugnanda, corporibusque humanis eiicienda præcipuam esse ferunt. Itaque in libris Ritualibus, ubi de dæmoniacis exorcizandis agunt, jubent *x* inprimis obsessum, si mente & corpore valet, sacra confessione & communione se sæpe munire. Id verò quantum ad liberandos energumenos valeat, multis passim exemplis docent. Duo nuper ex Orlandino exhibuimus duarum mulierum, quæ cum & ægrotarent, & à dæmone vexarentur, utriusque mali remedium in cõfessione præsentissimum nactæ sunt. Apud eundem alibi *y* scriptorem dæmonium ex infesso puellæ corpore aliquot celebratæ missæ, & promissa confessio fugant, Cornelij Vishavæi Ignatiani sacerdotis opera. Et quidam, *z* quem occupato corpore malus spiritus exercebat, cum apud Kesselium, virum eiusdem ordinis, rite (confessione scilicet) noxas expiasset, continuo dæmonem abs se excutit. Huc spectat, quod istorum Annales narrant *a*, suos mulierem quandam apud Iapones neophytam à dæmone vexatam esse adhortatos, ut apud sacerdotem confiteretur; id enim adversus hæc mala remedium esse singulare. Denique & hoc quoque ad confessionis miracula pertinet, quod eius contemptores & hic & post mortem puniri Latinorum scriptores narrant. Militem Iaponem, qui neglecta confessione ad bellum Corajanum profectus, & in eo bello ab hostibus occisus erat, Iesuitæ tradunt *b* in hunc orbem rediisse, vel ipsum, vel pro eo dæmonem, & infesso uxoris eius corpore, cum se clara voce virum eius esse professus esset, docuisse postea quo in loco essent res suæ; se, quod Iesu & Mariæ nomina invocasset Tartaro quidem liberatum, cæterum in purgatorium ob spretam confessionem esse detrusum; Ac ut hinc quoque eximeretur, petivisse à Iesuita quidem, ut sacrum missæ pro se faceret; à parente vero, ut suo nomine sacram crucem erigeret. Solerius verò scribit *c* ex eadem gente equitem, quod non esset apud sacerdotem confessus, fuisse gravissimo morbo divinitus percussum; eo Iesuitam celeriter accersiri iussisse, facta apud illum Patrem semel, atque iterum confessione, plane convaluisse. Hæc sunt Latinæ confessionis de longe maiori acervo decerpta miracula, De quorum veritate quæri à nobis atque ambigi merito posse, nemo puto, negaverit paulò humanior, quod ea omnia auctorum sint non modo nobis adversariorum, & inimicorum, sed etiam Iesuitarum, quorum genus à fingendo, si quando opus est, non admodum abhorrere notum est. Huc accedit, quod ista in ultimis terrarum apud Iaponas, Indos, & Sinas pleraque gesta esse perhibentur; ut difficile sit vera à falsis in

BBB rebus

CAP. XI.

u Trigaut Mart. Iap. l. 3. c. 11. p. 152

x Rit Rom. De exorc. obsess. p 457.

y Orland. hist. Soc. l. 9. §. 17.

z Id. ibid l. 10. §. 104.

a Ann Iap a. 1598. p 1 post 8.6.

b Ann. Iap. a. 1596. p. 203.

c Sol Iap l. 11 c 15. p. 159.

Cap. ix. rebus adeo longinquis certo & explorato discernere. Satis est obiter monere, quid de iis aliisque eiusdem farinæ narrationibus, quo illæ tempore primulum prodibant, vere & sapienter, si quid judico, scripserit Melchior Canus, Hispanus Theologus, Canariensis Episcopus, vir inprimis doctus & disertus, quo loco de historiis valde suspiciosis agit d. *Cuiusmodi* (inquit) *ante hos paucos dies quædam fabulæ prodiere, quarum & auctores & loca adeo longo intervallo distant, ut an mentiantur illi non possit inveniri, an hæc sint, addubitari etiam possit. Sed bene habet, quod totum narrationis corpus commentitium apparet, ut quod Hispanorum sermone teritur, id quoque in hac re facile probes.* De luengas vias luengas mentitas. Hæc ille. Hispanico autem isti, quod memorat proverbio, simile & apud nos vulgi sermone celebratur, quo *securum impune mentiri eum* ferunt, *qui de longinquis venit.* Sed de horum quidem veritate, non est nunc diligentius quærendi locus; quæ eo tantum à nobis allata sunt scilicet, ut perspiciamus an aliquid eorum simile in veterum Christianorum litteris reperiatur. Nemo enim, ut opinor, negaverit, si apud priscam Ecclesiam hæc istorum solennis confessio in usu fuit, eam quoque olim apud fideles consecutura fuisse miracula eorum, quæ ipsi nunc narrant, gemina nisi quis forte putet (quod longe est utrumque absurdissimum) vel Christi Sacramenta minus fuisse primis, quam ultimis sæculis utilia & efficacia, vel Loyolæ discipulos divinis istis beneficiis digniores fuisse, quam veteres illos, de quorum pietate ac virtute tanta ubique fama est. Ergo vera ne sint, an falsa hæc, quæ isti nobis magna confidentia ac liberalitate de sua confessione stupenda prædicant longinqui fabulatores, non equidem nunc laboro. Hoc mihi in præsentia satis est, quod istorum, quæcumque ac qualiacumque de cætero sint, apud veteres quidem plane nihil occurrit. Vel unum mihi de veris antiquitatis monumentis hominem proferant Christianum & fidelem, quem sua peccata uni alicui sacerdoti in arcano narrare cunctantem divina vis vel dormientem, vel vigilantem aggressa, ad id officij compulerit; qualia Iesuitas de Goano illo cive, deque Monacho Æthiope fabulantes recitavimus. Sed esto; Donemus Dei providentiam exempla ista ad ultima hęc tempora merito distulisse, non aliis quam Iesuitis debita, ad quos solos scilicet cœlitus mitti discipulos dignum est. Illa saltem nobis alia de antiquitatę repræsentent exempla vel vocis & valetudinis alicui fideli restitutæ, vel vitæ aut prorogatæ, aut etiam de integro redditæ (quod de sua illa Cocincinensi muliere mortalium veracissimus Alexander asseverat) ad hoc ut uni persbytero suo in aurem peccata cùm singulis circumstantiis narrare posset, ne tam suavi credo acroamate fraudaretur sacerdos. Aliquem certe de veteribus promant, cui non alia de causa grave fuerit mori quam quod suorum delictorum historias non liceret ante mortem alicui de presbyterorum genere solum soli narrare. Sed neque quemquam de priscorum libris memini, qui conspecto Confessario

d Melch. Can. Loc. Theol. l. 11, c. 6. p. 336.

fessario repente delirare desierit; neque ullos istic visos mihi recordor *Kesselios, Canisios, Tavenos*, aut *Leones*, qui morbis, dæmoniisque, & quibusvis etiam gravissimis ac desperatissimis malis viros, mulieresque hac una mercede liberent, si hi ipsis vitæ anteactæ quæcunq; fuerint scelera, flagitia, vitia, & labes omnia bona fide una cum circunstantiis soli solis summisso murmure nihil celantes in aurem effuderint. Qui resolutos paralysi nervos solo confessionis voto redintegraverit, apud veteres non modo fidelem reperio neminem; sed ne hoc ipsum quidem reperio, fuisse omnino aliquem tum temporis fidelem; qui quacumque de causa voverit se confessionem arcanam sacerdoti solum soli de omnibus, quæ meminerit, delictis suis bona fide facturum. Deniq; neq; apud priscos illos scriptores memini quemquam legi vel morbo in hac vita, vel purgatorij pœnis in altera ideo fuisse punitum, quod uni presbytero sua delicta clam narrare vel renuisset vel neglexisset. Horũ autem quicquam apud Ecclesiasticos primæ memoriæ auctores reperiri, quam merito negem vel Bellarmini hac in parte silentium fatetur; qui in ea disputatione *e*, quâ suam illam *Confessionem* Innocentianam *juris esse divini* aliquot argumentis confirmandum sumit, & hoc inter cætera à confessionis miraculis petitum affert, plane nullum ex primæ antiquitatis monumentis miraculum recensuit, quo rationem suam constitueret; quod profecto genus non erat omissurus, siquid eius scivisset. Primus enim eorum scriptorum, è quibus sua illa miracula recitat, Ioannes est cognomento Climacus, quem ipse alibi *f* Bellarminus sexto vixisse jam adulto sæculo docet; Beda, quem huc etiam citat, anno octavi sæculi 35. vivere desiit. Cæteri Bellarmini testes ad hanc citimam sæculorum post a. D. 1000. fæcem pertinent; Petrus enim Damiani a. D. 1072. mortuus est, Petrus Cluniacensis a. 1130. Gulielmus, qui vitam Bernardi scripsit, circa a. 1163. Bonaventura a. D. 1274. Antoninus a. 1459. Hi sunt omnes Bellarmini testes, sed & paucissima ex Climaco & Beda habet; & quæ inde habet, ea nihil ad Innocentianam confessionem pertinere jam suis locis supra *g* demonstravimus. In cæteris infra millesimum immoratur; maxime in Gulielmo & Bonaventura, ex quibus grandes fabulas vir alioqui verborum parcus totas describit, ac ne eas quidem spernit, quæ à suis Iesuitis de miraculis novissimo hoc sæculo apud Iapones per confessionem factis sparsæ sunt; quarum nos partem aliquam nuper recitavimus. Nulla ergò Bellarminus confessionaria miracula ante sæculi sexti annum sexagesimum attulit. Nulla ergo antiquiora scivit, quæ siqua scivisset scilicet ea nequaquam erat in hoc disputationis suæ articulo prætermissurus. Quæ verò Bellarminus ad rem Latinam utilia in antiquis monumentis non animadvertit, ea nulla illic extare ego quidem verisimillimum puto; ut hoc eius de quinque primis Christianismi sæculis silentium id, quod ego nunc ago, satis superque constituat, nulla scilicet toto illo tempore cognita fuisse apud

e Bell. de pœnit l. 3. c. 12. §. Scribit Ioan.

f Id l. de Scriptor Eccl. sæc. 6. a. 60.

g Supr. l. 3. c. 11. de Climaco & c. 13. de Beda.

CAP. IX.

nostros confessionis miracula. Sed ut res clarior sit, ac ut cuivis constare possit, quam justum fuerit Bellarmini de miraculis hujus generis sexto sæculo anterioribus silentium, age veterum libros excutiamus, siquid istic forte reperturi simus, quo Bellarminus vel negligentiæ, vel oblivionis jure possit argui. Ergo, ut hinc incipiam, multa sunt in priscorum libris de eo miraculi genere dicta, quo energumenorum corpora vexatione dæmoniorum liberantur. Omnibus nota sunt, quæ Lucas in Actis *h* narrat de curatis vel Apostolorum, vel Philippi opera dæmoniacis non paucis. Iustinus *i* multos sua adhuc memoria & Romæ & alibi passim à Christianis sanari scribit, dæmonia per nomen Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurantibus, idque iterum in alio opere affirmat. Irenæus *k* paria memorat, ab Ecclesia mira ista perfici docens *non invocationibus Angelicis, sed orationibus ad Deum pure, mundeque directis, & invocato Domini nostri Iesu Christi nomine.* Eodem pertinet, quod Minutius *l* scribit tormentis verborum, & orationis incendiis dæmonas de corporibus à Christianis exigi. Tertullianus eadem & alias sæpe testatur, & apud ipsum Provinciæ rectorem, Scapulam, hominem Paganum *m*, *Dæmones* (inquit) *revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus; sicut plurimis notum est*; ut paulò post multos *à dæmoniis remediatos* affirmat. Origenes etiam observat *n*, *ut plurimum idiotas esse, & plebeios homines, qui ista gererent, sola prece & adjurationibus simplicioribus dæmonia ex obsessis corporibus expellentes.* Atque hæc quidem de miraculosa dæmoniacorum curatione tradunt trium primorum sæculorum scriptores; ad quam nihil aliud adhibitum memorari videmus, nisi *Dei Christi invocationem, & per ejus nomen adjurationem.* Quarto demum sæculo adulto, ac pœne præcipiti reliquiæ ad hoc quoque opus adhibitæ: quo tempore scilicet superstitiosa earum labes Christianismi puritatem ac nitorem inficere cœperat. Itaque reliquiarum in dæmonia vim & hujus & sequentium sæculorum scriptores crebro celebrare reperiuntur, ut Hieronymus *o* anno quinti sæculi (ut Baronius putat) sexto, Vigilantium oppugnans, earum *pulvere sæpius tortos esse dæmonas* significat, & post annum ejusdem sæculi quartum narrat *p* ad sepulcra Helisæi, & Ioannis Baptistæ, & Abdiæ rugire dæmonas consuevisse. Alia hujus generis innumera ex quinti & sequentium ad octavum sæculorum scriptoribus testimonia possent afferri. Sed neque hi, neque superioris ab Apostolis ad Constantium Augustum memoriæ in hoc dæmonum ejiciendorum miraculo confessionis uspiam meminerunt. Ergo eam ad hoc adhiberi nondum illis temporibus solenne erat. Qui enim in hoc opere tam diligenter, vel invocationem & adjurationem per Christi nomen, ut priores, vel etiam per reliquias, ut posteriores, memorant; cur non & confessionis iidem aliquando meminissent, si ea ad curandos dæmoniacos uti mos fuisset vel illorum, vel horum certe temporibus? Altera miraculi, quod Latini suæ confessioni tribuunt, species erat morborum & infir-

h Act. 5. 16 & 8. 7 & 16. 18.
i Iust. Apol. 2. p. 31. & adv. Tryphon. p. 191. 285. 245.
k Iren. l. 2. c. 57
l Minut. Octav. p. 54.
m Tertull ad Scap. c. 2. 4.
n Orig contr. Cels. l. 7. p. 344.
o Hieron. l. adv. Vigil.
p Id ep ad Eustoch. de vita Paul.

Cap. IX.

& infirmitatum curatio. Hujus vero crebra quoque est apud veteres mentio, sed ita ut nusquam confessioni aliquid hujusmodi tribuere reperiantur. Plurimos ipsæ Scripturæ *q* exhibent mirabiliter ab Apostolis curatos; à Petro Æneam paralyticum, sola suæ vocis vi, & à Paulo itidem claudum quemdam Lystrensem, & manus impositione Publij Melitensis patrem ex febribus & dysenteria jacentem. Olei unctione sanatos fuisse aliquos ab Apostolis & viris ejusdem ævi fidelibus tum ex Marco *r*, tum ex Iacobo constat. Similia leguntur apud scriptores Ecclesiasticos; Apud Irenæum *s* *laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curari, & sanos restitui* à nostrorum quibusdam. Apud Tertullianum *t* patrem Antonini Augusti à Proculo Torpacione Christiano curatum esse per oleum; Apud Origenem *u* *multas adhuc sanationes fieri per donum Spiritus Sancti*; Apud Nyssenum *x* ægrotos morbis à Gregorio Neocæsariensi liberatos fuisse. Sic quoque apud Apocryphos, sed vetustissimos tamen scriptores videmus Petrum *y* induci *languentes & dæmoniacos sanantem impositis manibus cum oratione*; & Thaddæum *z* similiter fingi Abgarum Edessæ Regem, & Abdum morbis liberare, utrumque per manus impositionem. In his & manus impositio, & olei unctio memoratur; *Confessionis* ne tenuissima quidem uspiam mentio. Sed postquam nostros *Reliquiarios* morbus invasit; tum verò reliquiæ, ut ad dæmoniacos, sic etiam ad ægrotos curandos adhiberi cœptæ. Itaque apud scriptores & quarti sæculi desinentis, & sequentium inde temporum crebra reliquiarum in miraculosa morborum & infirmitatum curatione mentio. Nam & Ambrosius *a*, qui sub quarti sæculi finem mortuus est, scribit Protasij & Gervasij à se repertas reliquias Severo cuidam, Mediolanensi lanioni visum, quo carebat, reddidisse; Et hujusmodi per reliquias curationum plena sunt omnia sequentium sæculorum monumenta, ut earum exempla colligere sit supervacaneum. Satis est Augustinum *b* indicare & hoc de cæco per Protasij reliquias illuminato, & aliud de muliere Afra, quam à Stephani reliquiis visum quoque recepisse tradit, & alia ejusdem generis non pauca fuse in opere de Dei civitate narrantem; ubi & quosdam memorat suscepto baptismo, quandam oleo à presbytero benedicto perunctam; alios precibus duntaxat ad Deum factis, liberatos diversis infirmitatibus fuisse. In tanto curationum numero, quæ quinque & amplius sæculis Christianis hominibus divinitus concessæ memorantur, plane nulla est, ad quam vel Augustinus, vel alij sive vetustiores, sive etiam juniores, confessionem adhibitam fuisse dicant. Vetustiores infirmis manum impositam, vel oleum adhibitum, vel preces factas in talibus memorant; Augustinus & juniores, etiam admotas reliquias sæpissime narrant. Neutri de confessione quicquam loquuntur. Quid-ni, si in talibus, ut nunc fit à Latinis, ita olim infirmi confessi essent? Neque prætereundum est, quod Augustinus eo loco *c* præfatus sui temporis miracula fieri *vel per Christi Sacramen-*

q Act. 9. 14. Actor. 14 8. Actor. 28 9.

r Marc. 6. 13. Iac. 5.

s Iren. l. 2. c 57.

t Tertull. ad Scap. c. 4.

u Orig. contr. Cels. l 1 p. 11.

x Greg. Nyss. Vita Greg. Thaumat.

y Clem Recogn. l. 5. fol. 31. E.

z Apud Euseb. hist. l. 1. c 13.

a Ambr. Serm. de Gerv. & Protas. & in ep. de iisd. ad Soror.

b Aug de Civit Dei l. 22. c. 8.

c Ibid p. 1481 d.

Cap. ix

Sacramenta, vel per orationes, vel memorias Sanctorum ejus, & utriusque generis plura exempla afferens, curatos per baptismum quidem & per *Eucharistiam* quosdam memorat, illo medicum podagricum *d*, hac Hesperij servos *e*; quemquam per *confessionem* curatum non memorat. At etiam Ecclesia jam tum pro sacramento habuisset, & per eam aliquas infirmorum sanationes accepisset. Idem scriptor in eodem loco *f* operosissime narrat Innocentium quemdam Carthaginensem, virum & ornatissimum, & religiosissimum, fistula, quam medici nisi sectam curari posse negabant, mirabiliter post ardentissimas preces, ipsis inspectantibus & stupentibus medicis, absque ulla sectione ita fuisse divinitus liberatum, ut pro sinu illo, qui erat secandus, firmissima cicatrix inventa sit. Augustinus autem in hujus miraculi descriptione, cui se & Saturninum Episcopum, & Gelosum presbyterum, & Aurelium Diaconum, & multos alios præsentes adfuisse dicit, omnia accuratissime non tam scribit, quam pingit; medicorum se ad secandum illum sinum accingentium ferramenta & actus, Innocentij ipsius, qui se inter eorum manus moriturum non dubitaret, metus & pavores & preces; Vt, Episcopo & cæteris, genua ad orandum flectentibus, se in terram Innocentius prostraverit, Deoque incredibili animi motu multis cum lacrymis, gemitibus, atque singultibus supplicaverit; ut denique uno repente momento illum omnes sanatum summo cum gaudio stupuerint. Inter hos rei apparatus, quis non sentit Innocentium confessione, si ea quo loco hodie est, jam tum fuisset, inprimis pectus expiaturum fuisse, sive ob mortem, quam sibi imminere putabat, sive ob morbi curationem, quam expetebat? Et, si ab Innocentio *confessio* fuisset adhibita; quis Augustinum non videt in tam accurata, tam morosa, & ad omnes usque minutias, quarum nullam tacet, curiosa descriptione, rem tam memorabilem non fuisse prætermissurum? Atqui de ea nihil plane dixit. Ergo, quam diceret, nulla revera fuerat. Nullam autem tali loco futuram fuisse confessionem, si ea jam tum in solenni Christianorum usu erat, omnino est incredibile. Restat tertium miraculi genus, quod non tam confessionis, quam ad confessionem est; hominis scilicet absque confessione mortui adhoc ut confiteri possit resuscitatio, quale est quod Bellarminus *f* ex Bonaventura refert de quadam muliere Francisci precibus ad uitam ideo revocata, ut peccatum quoddam suum confiteretur; cujus fabellæ illa plane gemina est, quam nos supra ex nuperis Alexandri Rhodij commentariis dicam, an commentis, recitabamus. Sed neque hujus generis ullum extat in omni Christiana antiquitate vestigium. Tabitham à Petro, Eutychum à Paulo apud Lucam *g*, Ephesium quemdam à Ioanne apud Eusebium *h* primis Christianismi temporibus resuscitatos legimus; Apud Irenæum *i* vero videmus etiam ejus memoria per Ecclesiæ supplicationes atque jejunia revixisse aliquot mortuos. Similia

d ibid. 1485. b
e ibid. C.
f Id. ibid. p. 48. & 1484. A. & C.
f Bell. l. 3. de pœnit. c. 11. §. Id. auctor.
g Act. 9. 40 & 20. 9.
h Euseb hist. l. 3. c. 18. fol. 51. b.
i Iren. l. 2. c. 57.

milia in sequentium sæculorum historiis nonnulla habentur, maxime postquam invalescente *Reliquiario* errore Christiani valde (ut Augustini [k] verbo utar) *mirabiliarii* facti sunt. Sed nullum apud omnes istos reperimus, qui ideo resuscitatus fuisse dicatur, ut confiteretur. Aliud de sui temporis resuscitatis docet Irenæus, quos ait in illa postliminio recepta vita *perseverasse secum annis multis*; non ut duas istas mulieres, quas Latinorum fabulæ, simulatque confessæ sunt, morte iterum mergunt; ea tantum ut videtur gratia huc reversas, nequod earum peccatum sacerdotes nescirent; quod vel maxime ex istorum disciplina cavendum est. Atque ex his satis liquet nullum ex confessionariis illis miraculis, quibus nunc Latini Indicarum ac Iaponicarum rerum auctores suos lectores indesinenter obtundunt, apud veteres legi; nihil adeo peccasse Bellarminum, qui nulla hujus generis ex primis quinque sæculis attulit. Quo ipso satis patet neque quemquam olim divinitus ob neglectam confessionem vel in terris, vel in purgatorio multatum fuisse. Siquid enim hujusmodi tum contigisset, id nobis veteres inter sui ævi miracula, quæ studiose colligunt, memorassent. Iam verò in veteris Ecclesiæ, quæ extant, miraculis nullum reperiri ostendimus quod vel confessionis vel ad confessionem fuisse dicatur. Cum ergo confessionem his miraculis, quæ nunc edit apud Latinos, apud veteres Christianos caruisse plane sit (ut diximus) incredibile, illud postremo ex superioribus intelligitur nullam veteribus in usu fuisse Innocentianæ confessionis disciplinam; cuius nulla apud eos fuerunt miracula.

Cap. IX.

[k] Aug. Tractatu 13. in Ioann. extr. T. 9. p. 50. col. 1. C

Atque ex hoc, quem hactenus sumus exsecuti recentiorum Latinorum, & veterum Christianorum parallelismo, luculentissime ac validissimo demonstratur nullo apud hos in usu fuisse illorum confessionem. Vtrorumque enim & Pastores seorsum suo ministerio, & fideles simul & universa sua pietate in omnibus vitæ partibus fungentes exhibuimus; ad Eucharistiam se parantes, viventes, morientes, bellantes, navigantes, periclitantes, persecutionem patientes, martyrium facientes, Pascha & alia festa agentes, miracula denique edentes; Docuimus hæc omnia & à Latinis cum confessione, & à veteribus absque ea geri apud suos ab utrisque scriptores. Sensibus caret, qui hinc non intelligit confessionem Innocentianam, quæ apud illos est, apud hos nullam fuisse. Si qua enim fuisset; cur in tam multis plurium sæculorum scriptis nuspiam veteres id dicerent, vel etiam innuerent, quod Latini in paucis unius si forte sæculi libris tam sæpe non modo memorant, sed etiam prædicant atque ostentant? In locis, quæ ex utrisque plurima attulimus, memorandam si in usu erat, fuisse confessionem & ratio rerum evidens, & ipsum Latinorum exemplum demonstrat, qui eam in talibus versantes nunquam fere omittunt. Ergo neque omissuri erant prudentissimi ac sapientissimi, quod omnes fatentur, veteris Christianismi scriptores. Atqui *Confessionis* illi mentionem, ut ex superioribus patet,

non

non unus & alter, sed omnes, non paucis aliquot locis, sed omnibus, non aliquando, sed semper constantissime omittunt. Tam immanis inter utrosque discriminis causa ne fingi quidem ulla alia potest, quam quod confessio pro utili planeque necessario Christianæ religionis officio apud Latinos quidem nunc habetur, apud veteres verò Christianos nequaquam eo loco ac numero censebatur.

Caput X.

Argumentum X. ex eo; quod Confessionem arcanam Pagani Latinis quidem non semel, veteribus verò Christianis nunquam vel objecisse vel gratulati esse leguntur.

Sed tametsi apertissima sit vis hujus demonstrationis; tamen quod res agatur præcipui in religione momenti, operæ pretium esse videtur etiam alia huc conferre, siqua sunt ex quibus assertionis de veteribus nostræ veritas illustrari, aut confirmari possit. Multa autem sunt hujusmodi; quorum quæ pro ingenij nostri tenuitate observavimus, ea in medium deinceps adducemus, minime dubitantes, quin longe plura sint in antiquitatis monumentis animadversuri, qui ea majori cum diligentia atque attentione perlegerint.

Igitur præter ipsam Christianorum hominum vitam, quam ex superstitibus veterum libris hactenus repræsentavimus, illud insuper ostendit non fuisse apud eos notam & solennem *Confessionem* hanc Latinorum Innocentianam, quod Pagani de ea nihil uspiam nostris olim vel objecisse, vel gratulati esse leguntur. Nam cum, ut ex Bellarmino & aliis supra* audivimus, nihil in tota Latinorum religione sit difficilius, gravius, molestius, atque onerosius, quam cogi singulos, etiam Principes & Monarchas, Sacerdotibus, homuncionibus sæpe vilissimis, atque contemptissimis, peccata sua omnia declarare, quamlibet arcana, turpia ac pudenda, quamlibet horrorem ipsi etiam pœnitenti afferentia, eorumdemque sacerdotum judicio stare ac mulctam ab illis injunctam subire; si hæc, quæ apud istos est disciplina, apud priscos Christianos fuisset, plane est incredibile infensissimos eorum hostes Paganos non fuisse eam, & ob summam humanoque ingenio intolerabilem difficultatem & ob ipsam rei absurditatem criminaturos. Illi enim solebant, quæcumque in Christianismo vel erant, vel esse certe videbantur hujus generis, diligenter notare, & inde nostros vel arguere, vel calumniari, siquid vel in fide incredibile, vel in disciplina absurdum aut impossibile videretur. Hodiernis certe Paganis veteres nequaquam erant, vel ingenio obtusiores, vel in nostros benigniores. Iam verò ab ipsis Iesuitis

*supr. l. 2. c. 11.

discimus illud Latinæ confessionis mysterium ab Ethnicis qui sunt in Oriente, hoc hodie nomine denotari. Iarricus narrat *m* Sinis qui in Paganismo ad sua sacra accedunt, nihil videri difficilius, quam peccata sacerdoti patefacere ac confiteri. Et Trigautius refert *n* Sinas confessionem mirari, asserentes cuiquam mortali occulta sua crimina revelare videri supra vires mortalibus à natura datas. Apud veteres nihil huiusmodi legitur, neque de Paganis neque de neophytis. Ergo nulla tum in Ecclesiâ confessio Latina fuit, cujus difficultatem vel Pagani denotarent, vel neophyti mirarentur. Huc accedit, quod nulla fere Latinæ religionis pars est alienis ab ea hominibus suspectior, ac Principum inprimis dignitati, atque incolumitati gravior, quam hæc confessionalis disciplina. Itaque eam Pagani hoc quoque nomine, veluti Reipublicæ noxiam exagitassent, si ea olim apud nostros obtinuisset. Atqui ex veterum pro Christianismo Apologiis constat Paganos fidelibus inter tam multa crimina, quorum pios accusabant, nullam iis vnquam confessionis disciplinam objecisse. Huc etiam pertinet, quod Cæcilius apud Minutium *o* nostros *impiæ coitionis, & execrandæ consensionis*, id est occultæ contra cæteros mortales conjurationis accusat, hoc argumento, quod *occultis se notis & insignibus noscant, & ament mutuo pæne antequam noverint*. Crimen, quod intendit, quanto verisimilius probaret arcanum illud singulorum cum suo antistite in confessionario tribunali colloquium ac commercium, tam horrendo secreto septum, ut inde nihil unquam emanet? Obiiceret ergo, si sciret. Non objecit. Nihil ergo quod obiiceret, hujusmodi apud nostros fuit. Sed non est hic omittendus insignis Tertulliani locus; ubi Christianas mulieres, ne viris Ethnicis nubant, vehementer deterret, allatis in medium gravissimis hujusmodi conjugiorum incommodis. Hæc autem istic *p* habet de muliere Christiana cum viro Ethnico conjuncta; *Sed viderit* (inquit) *qualiter viro officia pendet. Domino certe non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli servum, procuratorem Domini sui ad impedienda fidelium studia & officia; Vt si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas. Si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio obveniat. Quis autem sinat conjugem suam, visitandorum fratrum gratia vicatim aliena, & quidem quæque pauperiora tuguria circuire? Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, à latere suo adimi libenter ferat? Quis denique solennibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium illud Dominicum; quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur? Iam verò alicui fratrum ad osculum convenire? aquam sanctorum pedibus offerre? de cibo, de poculo invadere, desiderare, in mente habere?* Hic Tertullianus ut vides, omnia Christianæ mulieris officia commemorat, quæ viro Ethnico vel molesta, vel suspecta esse possunt. Iam clarum est Latinam confessionem in eo genere facile

m Iarr. Indic. l. 6. c. 48. p. 956.

n Trigau. Sin. l. 5. p 503.

o Minut. in Octav. p. 22.

p Tertull. l 2. ad uxor. c. 4. p. 189. C.

Cap. X. primas tenere; ut mulier cum sacerdote, id est cum eo viro, de quo Ethnici, veluti de publico quodam corruptore, pessime sentiebant, sola in arcano & crebro & diu colloquatur pedibus eius advoluta, eique omnia vitæ secreta aperiat ac nudet; etiam lectuli genialis occultissima. Quanto hæc quæso, quam illa, quæ à Tertulliano commemorantur, marito Ethnico suspectiora futura erant? Ergo & hæc, si tam apud nos fuissent, etiam quam illa sollicitius hic omnino commemoraturus erat vir disertissimus, planeque singularis dicendi, ac disputandi artifex; adhæc ardens inprimis, & acer, atque vehemens; qui raro eorum quicquam prætermittit, quæ ad caussam faciunt, quam agit. Quod hæc ergo vir talis tali loco tacet, eo ipso clamat eorum nihil apud nostros sua memoria fuisse. Sed huic quoque crimini Latina confessio obnoxia est, quod videatur veniæ, quam spondet, facilitate peccandi licentiam invehere; neque id Pagani recentiores non notarunt. Ita docet Alexander Rhodius *q* Paganis Cocinensibus mirum videri, quod Iesuitæ tam sint faciles in concedenda omnium peccatorum, etiam gravissimorum, remissione. Id ipsi Canadenses *r*, non certe Ethnicorum acutissimi, viderunt dum (quod alibi recitavimus) cuidam sui generis, sed Christiano Latinam disciplinam, ne ad superstitiosa quædam invitantibus obsequeretur, excusanti. Tua verò ista (inquiunt) inanis est religio, cum peccatum (si quod hodie admiseris) Iesuitæ sint cras deleturi. Noli tibi ab eo pecato valde metuere, quod cras simul ac confessus fueris, evanescet. Hæc ille. Cur non & aliquid olim simile de Christianis vel mirati sunt vel jocati Græci Romanique Gentiles? An illis vel mens Cocinsinensium, vel Canadensium nasus defuit? Sed omnes fatentur nihil iis solem vidisse vel acutius, vel salsius & urbanius. Quid ergo est? Nimirum quam nunc apud Iesuitas Barbari vident confessionem, eam apud veteres Christianos Græci Romanique Ethnici nullam videbant. Id hinc etiam firmari diximus, quod nostris illis priscis nulli de confessione Ethnici gratulati sint. Nam homines rem eandem pro diverso ingenio alios probare, alios damnare, hos suspicere, illos contemnere nihil vetat. Hoc quidem in Latinorum confessione accidisse clarum est. Iesuitæ Paganos exhibuerunt, qui eam vel denotant, vel derident, Paganos iidem exhibent, qui eam admirantur. Tradunt *s* enim Francisci Regis Bungensis filium, adhuc Paganum confessionem plurimum laudasse; negantem fieri posse, ut qui eam frequentant, non magna animi pace ac tranquillitate fruantur. Paulum quoque Augerium Iaponem narrant *t* recens ex Paganismo conversum à Xaverio rogatum, quid ei in sacris Latinis optimum ac saluberrimum videretur? constanter respondisse nihil sibi confessione atque communione melius apud Latinos visum esse, idque viri apophthegma Iesuitæ, ut egregium, laudant. Iam apud veteres Paganos, quantumvis Christianismo infensos infestosque haudquaquam tamen deerant, qui nostrorum quædam probarent; qualis Ale-

q Alex. Rhod. hist. Eoi. part. 1. c. 38. p. 112.
r Ann. Canad. a. 1642. p. 32.
s Ann. Iap. a. 1579. p. 12.
t Iarric. Indic. l. 1. c. 23 p. 230.

lis Alexander Mammææ filius Augustus fuit, quem Pagani ipsi scriptores tradunt *u* illud in Christianorum institutis laudasse, quod eos, qui essent ordinandi sacerdotes, prædicarent & publice apud plebem promulgarent; Illud item à nostris acceptum plurimum probasse, ac dilexisse. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Confessionem vero non laudasse magis, quam reprehendisse, aut irrisisse quemquam veterum Paganorum accepimus, quia nimirum nulla apud illius ævi Christianos fuit.

Cap. xi.

u Æl. Lampid in Alex. hist. Aug. p. 130. b. p. 131. b.

Caput XI.

Argumentum X I. inde ductum, quod Confessionem quinque his quidem retro proximis sæculis ex ipsis Christianis multi semper oppugnarunt, hæreseos hoc nomine à Latinis damnati, ex omni vero veterum ante illa sæcula hæreticorum multitudine nemo eam pulsasse reperitur. Bellarmini de Montanistis, Novatianis, Audianis & Massalianis instantia refellitur.

Atqve id ipsum hæretici, si eos interrogemus, respondebunt non minus quam Pagani. Quæcumque enim in Christiana religione, ut absurda aut incredibilia à Paganis denotabantur, ea fere aliquam primis illis sæculis hæresin pepererunt. Cum ergo *Confessio* nullos primis illis temporibus neque Paganos commoverit, neque hæreticos excitarit, constare ex utrorumque hac in parte silentio debet nullam tum adhuc fuisse apud nostros confessionem. Certe à quo confessionalis ista disciplina apud Latinos indubitate extat, paulò ante Innocentium P. R. 3. maxime verò post promulgatam de eius necessitate in Concilio Lateranensi a. D. 1215. legem, toto inquam, hoc ad nos usque tempore constat nunquam defuisse, qui & dogma oppugnarent, & ritum abiicerent, quosque Latini hoc ipso nomine hæreticos & censent & vocant. Valdenses verbi gratia (quos ante Innocentii Pontificatum exortos esse confessum est) tradit Claudius Seyssellius *x*, Taurinensis Archiepiscopus, *Confessionem auricularem respuere.* Et Ermengaudus *y* ante Seyssellium scripserat hæreticos (quo nomine etiam Valdenses complecti videtur, tametsi fortasse non solos) *dicere confitendum soli Deo.* A. D. 1372. Ioannem Wiclefum in Anglia confessionem Sacramentalem palam oppugnasse docet *z* & Valdensis *z*, & Lukávitz *a*, Wiclefi ille adversarius, hic sectator; qui & Wiclefi loca quædam describit, unum inter cætera, quo affirmat *Ecclesiam fine illa confessione militasse annos mille*; Vere profecto atque erudite. Idem Taboritarum in Bohemia, quorum ipse unus

x Seyss. contr. Vald. f. 8 a. & fol 13. a
y Ermeng. contr. Hær. c. 19. T. 4. Bibl Patr. Part 1.
z Vald. summ. de Sacram. l. 2. c 131.
a Lukav. Cõfess. Tabor. c. 5. p. 284.

Cap. XI.

unus erat, eandem sententiam fuisse profitetur *b*, docens confessionem auricularem ab Innocentio III. esse inventam; negans esse ad salutem necessariam, vel ex fide tenendam, & rationes à Rokenzana pro ea allatas oppugnans *c*. Eadem quoque sequebatur Ioannes Hussus, ut patet ex Concilio Constantiensi, à quo præter fidem ei datam, vivus exustus est. Petrum etiam quemdam memorat Bellarminus *e*, quem ait ante annos centum negasse confessionem esse de jure divino; de quo viro non *Oxoniensi* (ut mendose excusum est in eo quo utor Bellarmini codice) sed *Oxomensi* plura sumus infra dicturi. Superiori denique sæculo Lutherus, Zuinglius, Calvinus, & his ducibus exorti omnes Protestantium ordines Innocentianam postremo Confessionem oppugnarunt. Si ergo primis Ecclesiæ sæculis extitit hodierna ista Latinorum confessio, proq; universali Christianorum dogmate habita est; quæro cur nulli tum reperti sint homines qui eam sic refutarint, ut postremis hisce quinque sæculis illam videmus perpetuo fuisse oppugnatam? Cur huius instituti adversarios ultima quidem sæcula tam multos, prima vero plane nullos tulerunt? Atqui libertas Ecclesiastico dogmati contradicendi multo maior primis quam ultimis temporibus fuit, & quicquid de postremis confessionis suæ adversariis Latini finxerint, negare non possunt, quin hæreticorum, qui veterem Ecclesiam vexarunt, multo audaciora atque procaciora fuerint ingenia. Iam verò constat ex omnibus priscorum scriptorum monumentis nullos ante ea, quæ signavi post a. D. 1000. tempora, emersisse vel hæreticos, vel schismaticos, qui Catholicis de hodierna hac Latinorum confessione controversiam fecerint. Scio Bellarminum *f* in ipso statim suæ de confessione disputationis limine non unos edere de veteribus hæreticis suæ confessionis impugnatores, Montanistas, Novatianos, Audianos, & Massalianos. Sed hæc Bellarmini crassa est & impudens impostura. Clarum enim, certum atque confessum est à nullis istorum veterem Ecclesiam ideo esse pulsatam, quod ea *omnes utriusque sexus fideles apud sacerdotem confiteri quotannis minimum semel* sub gravissimis pœnis juberet, vel quod nullius peccati adversus Dei legem commissi remissionem fideles baptizatos aliter consequi posse negaret, nisi eius quod apud sacerdotem confessi in arcano fuerint, quæ tuæ Bellarmine confessionis leges sunt, omnibus priscis Christianismi Theologis inauditæ. Ob eas à veteri Ecclesia discessisse vel Montanistas, vel Novatianos, vel Audianos, vel Massalianos enos non dicit Cyprianus, non Pacianus, aut Ambrosius, quos tu alibi edis de Novatianis testes *g*, non Theodoretus, aut Damascenus, quos hic de Audianis & Massalianis auctores indicas *h*. Montanistæ & Novatiani, quorum unus idemque hac in parte error fuit *i*, negabant *k* Christi ministris Episcopis potestatem esse iis pacem & communionem Ecclesiæ restituendi, qui lapsi quidem sic essent, ut excommunicari, & fidelium censu ac nomine multari meriti essent, sed qui lapsum tamen correxerant, & legi-

timum

b Id ibid. c. 10.

c Id. ibid. c. 30.

d Concil. Const. sess. 15.

e Bell. l. 1 de pœnit. c. 1. §. extitit.

f Bell. de pœnit. l. 3. c. 1. §. Primi.

g Bellarm. de pœnit. l. 1 c. 1. § Igitur ex.

h Id. ibid. l. 3. c. 14. Primi.

i Albaspineus Observ. l. 1. observ. 12 p. 115.

k Vide eundem Albasp. ibid observat. 10. & 11.

timum de suo crimine pœnitentiam publice apud Ecclesiam fecerunt; Neque aliud vel Cyprianus, vel Pacianus, vel Ambrosius de Novatianis loquuntur, neque de Montanistis aliud ex Tertulliano apparet, qui in eo volumine, quo illorum errorem proprie defendit, Pastorem Catholicum reprehendit atque irridet, non quod omnem fidelem sibi in aurem quævis delicta crebra, certe quotannis saltem semel confiteri cogeret (qua de re nullum extat in toto libro verbum) sed quod hominem in mœchiam lapsum post idoneam ac legitimam in Ecclesiæ totius oculis actam pœnitentiam, publice flentem ac in cilicio omnium fratrum lacrymas provocantem, deprecationesque ambientem, reconciliaret. *l* Imo verò ipsa illa Tertulliani pro Montanistis adversus Catholicos disputatio nos apertissime docet nullam tum apud hos fuisse Innocentianæ confessionis disciplinam. Nam si fuisset aliqua, ille eius procul dubio meminisset. Qui enim pari non potest mœcho publica pœnitentia accuratissime functo pacem ab Episcopo reddi; quanto magis indignatus esset eam peccatori in unius hominis aurem crimen confesso, nulla adhuc satisfactione functo, à quovis presbytero donari? Ergo hoc quoque Tertullianus privatum & arcanum Confessariorum judicium, si in usu apud nostros fuisset, objecisset Catholicis, qui alterum illud publicum, multo minus invidiosum objecit. Atqui nullus toto libro arcanam illam Innocentij de quibusvis delictis apud unum sacerdotem sive confessionē sive pœnitentiā memorat, vel obiicit Catholicis. Nō est ergo dubitandū nullam fuisse, quam memoraret, vel obiiceret. Novatianorū eadem, quæ Montanistarū, est ratio. Iam Audianos Theodoretus *Ecclesiæ communionem vitare* dicit: *m* non certe propter *confessionem Innocentianam*, sed *propter fœneratores, & cohabitantes mulieribus*; quos scilicet ferri in Ecclesia ab Episcopis querebantur; ut ostendit brevis Theodoreti adversus eos ibidem apologia. *Non animadvertunt* (inquit) quod nec diligentissimis Episcoporum proclive est abscindere, sed accusatoribus opus sit, & opus testibus, secundum legem Apostolorum, *n Accusationem adversus presbyterum noli recipere nisi sub duobus, aut tribus testibus.* ὡς συνορῶσιν ὡς οὐδὲ τοῖς ἀκριβεστάτοις τῶν ἐπισκόπων τὸ ἐκτέμνειν εὐπετές, ἀλλὰ χρεία μὲν κατηγόρων, χρεία δὲ μαρτύρων κατὰ τὸν Ἀποστολικὸν νόμον. Tum addit; *Quod verò convictos puniant Ecclesiastica leges, fidem ea faciunt, quæ ubique terra marique geruntur. Nam & Episcopi & Diaconi & Presbyteri ab Ecclesiasticis fabulis expunguntur.* Hæc ille, ex quibus patet adversarium sibi à Bellarmino pro teste esse excitatum. Omnes enim vident Ecclesiæ disciplinam, quam Theodoretus adversus Audianorum calumniam defendit, eam fuisse, qua Ministri gradu, laïci communione ob gravia, & manifesta peccata multabantur, accusati, convictique; qua quemquam abscindere, ne Episcopo quidem licebat *absque accusatoribus & testibus*; quæ omnia non minus quam ipsa Protestantium disciplina, ab Innocentiana confessione aliena sunt. In hac enim Latinorum confessionali disci-

l Tertull. l. de pudic. c. 13. p. 739.

m Theodor. Hæret. fabul. l. 4. c. 10. T. 4. p. 241.

n 1. Tim. 5. 7.

CAP. XI. plina, ut notum est, nulli audiuntur *accusatores, vel testes*; nullus vel certe rarissimus peccator *abscinditur*, nullus quidem certe *presbyter* aut *diaconus*, nedum ut *Episcopus* Ecclesiasticis *tabulis expungitur*; In ea denique omnia clam & in arcano, nemine conscio, nisi uno confessario, geruntur. Quod verò Bellarminus *Confessionem & absolutionem* ab istis Audianis ministratam fuisse ex Theodoreto observat, eo suum ipse mendacium coarguit, qui *errores circa necessitatem confessionis* se editurum in ipso capitis titulo professus, nunc Audianos adfert, quos ipse tamen dicit *confessionem & absolutionem largitos fuisse*. Sed istos ille damnat, quod *nullam pœnitentibus injungerent multam*. Sed hoc primò nihil ad confessionem pertinet, quam cum ipsi haberent, apparet, non ideo illos ab Ecclesia defecisse, quod confessionem repudiarent. Secundo & confessio hæc & mulcta confesso imponenda, utraque (ut ex præcedentibus Theodoreti verbis docuimus) ad pœnitentiam publicam pertinet; nihil adeo ad Innocentianam facit vel *confessionem*, vel *satisfactionem*, quæ utraque arcana est, non publica; & in occulto, solis confessario & confitente consciis, geritur; non palam in Ecclesiæ totius oculis. Denique hæc ipsa ultima Theodoreti de Audianis verba causam Latinorum non minus jugulant, quam præcedentia. Ille enim Audianorum pœnitentiam ideo maxime sugillat, quod peccatores, confessos, & ridicula quadam cæremonia defunctos statim absolverent, nullo illis legitimo ad satisfactionem præstituto tempore. *Confessis* (inquit) *dant veniam*;

o Teodo. ibid. p. 242 B. *non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes.* εἶτα τοῖς ὡμολογηκόσιν δωροῦνται τὴν ἄφεσιν οὐ χρόνον ὁριζόμενοι εἰς μετάνοιαν καθὰ κελεύουσιν οἱ τῆς ἐκκλησίας θεσμοὶ, ἀλλ᾽ ἐξουσίᾳ ποιούμενοι τὴν συγχώρησιν. Duo in istis reprehendit. Prius quod nullum tempus confessis ad satisfactionem Ecclesiæ, & ad suæ pœnitentiæ veritatem rebus ipsis testandam, atque confirmandam præscriberent; Alterum, quod *potestate* iis *condonarent*, id est mera auctoritate, atque imperio, veluti rei totius, non ministri, sed domini. Atqui sic se eum pœnitentibus gerunt Innocentius & Latini. Pœnitentibus confessis (si paucissimos exceperis) nullum tempus ante absolutionem decernunt, sed eos simul atque confessi sunt, absolvunt; imo & ad communionem plærosque omnes statim admittunt, veteresque adeo priscæ Ecclesiæ de pœnitentia canones turpissime violant ac proculcant. Satisfactiones quidem confessis aliquas imponunt; sed plane alienas ab illis Ecclesiæ legibus, quas hic Theodoretus indignatur ab Audianis contemni, primo quidem quod plæræque sint leves, ac pæne seculares, & huiusmodi denique quę nullam habent cum iis peccatis, quibus imponuntur, rationem; sive res per se, sive ex priscis Ecclesiæ canonibus æstimetur; Secundò, quod omnes illæ satisfactiones, non publice, non omnibus, non saltem plurimis, aut certe pluribus consciis, unius in qua peccatum est, Ecclesiæ membris, ut olim mos fuit, sed clam & in arcano præstantur. Tertiò, denique

denique quod eæ non ante implendæ decernuntur, quam confessus absolvatur (ut postulabat & ipsa rerum ratio, & priscæ Ecclesiæ usus, atque disciplina) sed absurdo & præpostero, & veteribus inaudito ordine satisfactionum exsecutio in aliud tempus sic differtur, ut peccatori ea, quę confessus est, peccata primum & ante omnia dimittantur; tum demum ob illa ipsa, quæ ei jam condonata sunt, peccata satisfaciat; quo nihil cogitari potest vel stultius & absurdius, vel ab antiquis moribus magis alienum. Sed Latini etiam in illud alterum incurrunt, quod Theodoretus in Audianis merito damnat, Nempe ipsi quoque *confessis potestate condonant*, ἐξουσίᾳ ποιοῦνται τὴν συγχώρησιν, id est ex mera potestate, non exacto ad leges judicio, Qui enim ex legibus in hoc negotio judicat, cognoscere inprimis debet de confessi pœnitentia, cui soli scilicet leges veniam decernunt. Cognosci verò pœnitentia, nisi tempore, non potest; quod cum Latini nullum confessis ad absolutionem consequendam præstituant, clarum est eos neque de confitentium pœnitentia cognoscere aut statuere quicquam certi posse; adeoque non ex legibus, sed mera ἐξουσίᾳ potestate & imperio peccata confessis condonare. Itaque Theodoretus non Audianorum tantum, sed etiam Latinorum confessionem apertissime damnat. Vnde jam satis, ut opinor, manifestum est, ex hoc eius loco non modo non probari Innocentianam Latinorum confessionem in Ecclesiæ usu tum fuisse, cum ab ea discesserunt Audiani, sed contra clare valideque confirmari eam nostris ignotam illo tempore fuisse; imo siquid eius simile Theodoreti ævo apud aliquos Christianos fuit, id non penes Catholicos, sed penes hæreticos Audianos fuisse, quorum disciplina pœnitentialis cum Latina hodierna magnopere congruit, ut si ea apud Ecclesiam fuisset, quo tempore illi divortium à nostris fecerunt, plane sit verisimile non fuisse ipsos discessuros, nedum ut, quod Bellarminus supponit, eius confessionis in Ecclesia usus Audianis sui schismatis, suæque hæreseos occasionem præbuerit. Restant Massaliani, sive Euchetæ, quos Bellarminus dicit ex Damasceno *peccata dimisisse nulla habita ratione pœnitentiæ, & canonum Ecclesiæ.* Nolo hic Damasceni fidem & auctoritatē elevare quę in hoc negotio nō potest eius viri magna esse, quem constat infra septimum sæculum floruisse. Sed quid tandem ait de Massalianis Damascenus p? *Servos, qui conspectum dominorum fugiunt, ultro* (inquit) *recipiunt; eos autem qui ad se gravissimis criminibus inquinati confugiunt, nullo extante fructu pœnitentiæ sine sacerdotis auctoritate, nulla habita ratione graduum, qui canonibus Ecclesiasticis excipiuntur, primo quoque die se expiaturos profitentur.* Hæc ille: in quibus pulsatæ Innocentianæ confessionis neque vola, neque vestigium ullum est. Damascenus significat fateor, peccatoribus *gravissimorum criminum* manifestis nō esse pacem & communionem Ecclesiæ dandam, nisi à legitimis eius ministris, & quidem nonnisi post probatam *ex fructibus* secundum *canones* eorum pœnitentiam. Hanc vero disciplinam nos quoque vehementer proba-

p Damasc. L. de Hæres in Massalianis p. 650.

Cap. xi. probamus; sed eam non videmus quicquam habere commune cum Innocentiana illa tyrannide, quam refutamus & oppugnamus. Damascenus vult peccatores *gravissimis criminibus inquinatos* non ante absolvi, quam probati fuerint. Innocentius jubet, non hos tantum peccatores, sed *omnes utriusque sexus fideles quotannis minimum semel apud suos sacerdotes confiteri.* Damascenus etiam pœnitentes, ante absolvendos negat, quam *fructum pœnitentiæ ediderint*, id est antequam legitima satisfactione publice apud Ecclesiam functi sint. Innocentius etiam gravissima delicta apud se solum in arcano confessos absolvit statim, & ad Eucharistiam ut plurimum admittit, nulla adhuc satisfactione functos, nullo *fructu* suam pœnitentiã testatos. Non ergo Innocentianam confessionem pulsat Euchetarum Bellarminianorum hæresis, ad eam potius, ut superior Audianorum, videtur aliquantum accedere. Illos quidem veteris Ecclesiæ canones, quos sperni non fert Damascenus, tam Innocentiani negligunt ac contemnunt, quam Massaliani, & eam, quam ille damnat, sine prævio pœnitentiæ *fructu* absolutionem, utrique juxta lapsis donant. Nam & Massalianos Damascenus ibidem testatur orationis cuiusdam pensum à suis ad promerendam expiationem exegisse, plane ut Innocentiani mystagogi suis reis Dominicam precem, Angelicam salutationem, & nescio quot Divorum supplicationes, sive Litanias ad plenam purgationem præscribunt; cum hoc tantum discrimine, quod peccatores ante præstitum illud orationis præscriptæ pensum ab Innocentianis quidem incunctanter absolvi videmus, à Massalianis ante præstitam illam qualemcumque satisfactionem suam absolutos non fuisse, ex Damasceno verisimile est; ut hac saltem in parte Innocentianorum quam Massalianorum deterior sit disciplina. Ex his liquet istos à Bellarmino adductos hæreticos nihil proprie contra Innocentianam confessionem docuisse. Vnde id, quod nos diximus, undequaque confirmatur, nimirum nullos ante hæc quinque ultima sæcula hæreticos Ecclesiam ob confessionis Latinæ dogma pulsasse, adeoque quod pulsarent, nullum ante illa tempora fuisse.

CAPVT

Caput XII.

Argumentum XII. contra Innocentianam Confessionem, ex eo quod priscæ Ecclesiæ Pastoribus ignota fuerunt ovium suarum delicta ex Chrysostomo, & Augustino, item Innocentio I. & Leone Romanis Episcopis.

Sed nunc ad ipsorum Patrum sententias, moresque ac ritus redeamus, è quibus non pauca habentur contra confessionem Latinam argumenta; quale illud est inprimis, quod ipsi apertissime plurimis in locis testantur sibi ignota fuisse plæraque omnia eorum, quibus præerant fidelium delicta. At si apud eos quivis fideles, ut nunc fit in communione Romana, accuratam suorum sigillatim peccatorum enumerationem, confessionemque fecissent, clarum est illarum Ecclesiarum præsides suorum delicta perinde cognituros fuisse, at nunc Latini confessarij eorum lapsus omnes accuratissime norunt, quorum conscientias regunt. Sed ipsos audiamus quid verum sit ingenue ac candide profitentes. Chrysostomus certe q inter maximas muneris sacerdotalis difficultates diserte censet, quod qui id gerunt pleraque hominum, quibuscum ipsis negotium est, peccata ignorent; *Principio* (inquit) *hominum morbos homini haud facile est nosse. Nemo enim hominum ea quæ sunt hominis novit, præter Spiritum, qui in ipso est. Qui igitur pharmacum adhibere, quis possit morbo ei, cuius rationem & genus nequaquam intelligat?* τὰς τῶν ἀνθρώπων ἀῤῥωστίας πρῶτον μὲν οὐκ ἐστὶν ἀνθρώπῳ ῥᾴδιον ἰδεῖν. οὐδεὶς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, τὸ ἐν αὐτῷ. πῶς ἄν τις προσαγάγοι τῇ νόσῳ τὸ φάρμακον, ἧς τὸν τρόπον οὐκ οἶδε; Absurda est & ridicula istius querimonia, si tum in usu fuit arcana Latinorum confessio. Causatur *difficile esse homini hominum peccata nosse.* Certe; nisi ea homines ipsi confiteantur. Si verò ea ipsi, quorumcumque sibi conscij sunt, etiam occultissima, tibi accuratissime, nullo quo ad fieri potest clam habito, aut dissimulato, revelent, ac recenseant, tibi quidem, nisi surdus sis, aut de aliis cogites, non modo non difficile, sed etiam facillimum est omnes eorum morbos cognoscere ac pervidere. Affert illud Apostoli, *Nemo ea quæ sunt hominis præter ipsius Spiritum novit.* Stulte profecto, ac ridicule; si ista de quibus intelligit, homo, quorum sibi solus erat conscius, alteri ipse omnia nudat: atque aperit. Non enim de his Apostolus, sed de iis tantum loquitur, quæ in hominis corde latent, neque foras efferuntur. Cum ergo Chrysostomus vir sit, non modo minime stultus, sed etiam sapientissimus ac longe facundissimus, ut dictorum eius ratio constet, omnino fatendum est nondum eius sæculo institutum fuisse ut fideles quorum sibi essent conscij delictorum, ea sacerdotibus ad unum

q Chrysost. de Sacerdot. l. 2. c. 3. T. 4. p. 16. D. E.

Cap. xii. omnia patefacerent, atque nudarent, quod si in usu fuisset scilicet, stulta atque absurda futura erat omnis hæc de ea difficultate querimonia, quam Pastores in pernoscendis ovium suarum delictis experiri ait. Quin & idem in alia eiusdem operis parte disertissime scribit r *Pastoribus, peccatorum, quæ subditorum quisque commiserit, ne minimam quidem partem notam esse posse;* τῶν ἁμαρτημάτων οὐδὲ πολλοστὸν μέρος δυνατὸν γνῶναι καταφανές. De iis autem peccatis loquitur, quorum absolutio atque curatio Pastorum operam & ministerium ex Innocentianorum dogmate requirit. Atqui ubi horum confessio locum habet, nihil pœne istorum Pastores latere potest, nisi atheos & profanos, ipsiusque quam profitentur, religionis contemptores esse fingas vel omnes, vel certe plærosque eorum subditos, quod ne de Ecclesiis quidem hodiernis dici potest, nedum ut de iis, quæ Chrysostomi temporibus florebant, dici possit, quibus magna cum esset religionis libertas, Christianismum haud fere alij profitebantur, quam quibus erat persuasa eius veritas. Itaque confessionem istam Latinam, si ea tunc temporis obtinebat, dubitandum non est, quin omnes accurate factitarint, quin adeo multo maxima peccatorum à subditis admissorum pars Pastoribus nota esset. Negat autem Chrysostomus notam fuisse, ne minimam quidem partem iis cognitam fuisse dicit. Ergo confitendum nondum illius temporibus repertum fuisse mirabile hoc Romanorum Pontificum tormentum, cuius vi omnia, quæ sunt in mortalium vita occultissima, atque abditissima beatuli isti nunc Patres ex humani pectoris latebris facillime, ac nullo suo negotio eruunt. Huc quoque pertinet, quod idem in alio opere hic scribit, *Sacerdotes* (inquit) *non norunt omnes peccatores, & indigne mysteria percipientes.* οἱ ἱερεῖς οὐ πάντας ἴσασι τοὺς ἁμαρτωλοὺς, καὶ ἀναξίως τῶν μυστηρίων μετέχοντας. Quid ni vero norint, si omnes peccatores omnia sua delicta iis confiteantur, & accurate recenseant? Itaque alibi profitetur se sibi cognitos, manifestosque peccatores sacris mysteriis exclusurum; *Eos verò qui nobis* (inquit) *ignoti sunt, Deo relinquemus, qui mentis cuiusque secreta novit.* τοὺς δὲ ἀγνοουμένους ἡμῖν τῷ θεῷ καταλείψομεν τῷ τὰ ἀπόρρητα τῆς ἑκάστου διανοίας εἰδότι. Tu verò istis ô bone, pessime consulis (si sunt audiendi Latinæ disciplinæ magistri) quos scilicet non minis, non verbis, non aliqua saltem admonitione ad sua tibi peccata confitenda compellis. Cur non denuntias te istis vivis quidem Ecclesiam, mortuis vero sepulturam negaturum? Cur non hos æque ac illos tibi cognitos peccatores, sacra mensa excludis? Cur non eos saltem vel uno verbo mones officij? Cur non testaris hoc ipso gravissime eos peccare, quod te sua delicta ignorare patiuntur? Sed, missis his omnibus, eos Deo simpliciter commendas ac dimittis, quasi te tuum sacerdotium nihil cum iis præterea satagere compellat? Nimirum & isti & aliis eiusdem ævi adhuc ignota erat illa multis post sæculis ab Innocentio inventa confitendi disciplina atque necessitas. Quo & illa pertinent, quæ idem alibi Iudaïcæ superstiti-

r Id. ibid l. 6. c. 4. p. 82. B.

s Id. in 1 ad Timoth Homil. 1. T. 6. in N. T. p. 437. extr.

t Id. Hom. in eos qui absunt a divin. offic. quæ est 24. T. 1. p. 283. B.

perstitionis sectatoribus minatur. *In capitis* (inquit) *discrimen prius adducar, mihi credite, quam ullum istius modi morbo laborantem negligam; si novero. Sin me latebit, Deus omnino ignoscet.* πιστεύσατε, τὴν κεφαλὴν πρότερον ἀποθήσομαι, ἢ περιόψομαί τινα τῶν τοιαῦτα νοσούντων, ἐὰν ἴδω, ἐὰν δὲ ἀγνοήσω, συγγνώμην ὁ θεὸς δώσει πάντως. Atqui vix fieri potuisset, eum ut ista laterent, si tum in usu confessio fuisset. Certe si fuit, vel istos saltem monere debuit, ut delictum apud se confiterentur, neve crimen occultarent; quod tamen neque hic, neque alibi facit. Eos tantum jubet pœnitere ac resipiscere. Quid, quod mox auditores hortatur, imò & exserte jubet x *curiose ac diligenter inquirere* Iudaïzantes, & *siquem cognoverint, vel deprehenderint, eius ad se nomen deferre?* Quid opus erat, id negotij laïcis hominibus dare, si confessio apud istos in usu erat? per quam sacerdotes facile ipsi deprehendere poterant, quæ cujusque essent vel in fide vel in moribus peccata? Denique idem alibi y, cum dixisset se in superiore homilia virtutem orationis, sive precationis commendasse, quique ei incumberent, laudasse, qui eam negligerent, reprehendisse, *Verumtamen* (inquit) *neque hos neque illos novimus*, ἀλλ' ὅτι τούτους ὅτι ἐκείνους κτλ. Eos autẽ cogniturus erat, si tum obtinuisset Latina cõfessio. Sed & observanda sunt, quæ his cõtinenter subiicit; *Atq; hæc* (inquit) *nostra illorum ignoratio utrisq; prodest. Quo pacto id fiat exponam. Qui laudes orationis audivit, & suæ sibi diligentiæ conscius est, si multos haberet laudũ testes, in superbiã laberetur; iam vero laudẽ latenter excipiens, ab omni illa superbiæ elatione liber & immunis est. Rursus is, qui sibi conscius est negligentiæ, dum vituperationem audit, hac vituperatione fit melior, cum neminem suæ reprehensionis habeat conscium. Hoc vero non mediocriter illi prodest. Nam cum vulgi existimationi simus addicti, quamdiu quidem latere nos putamus qui mali sumus, fieri meliores studemus. Postquam autem omnibus innotuimus, & solatium illud ex occultatione perdidimus, eo magis impudentes ac negligentes evadimus. Et quemadmodum quæ deteguntur ulcera, crebroque frigido aëri exponuntur, acerbiora fiunt, ita quoque anima peccati rea, si coram multis ob ea quæ deliquit, reprehendatur, impudentior evadit. Ne igitur hoc accideret, clam vos sermo curavit.* Hactenus Chrysostomus; qui primo plane contra, quam Bellarminus supra, utile esse peccantibus judicat, ut eorum arcana peccata à Pastoribus nesciantur. Secundò eam huius rei rationẽ affert quę & verissima, & pulcherrima est, & mysticæ cõfessionis fundamentum evertit. Statuit enim & bene & secus se gerenti expedire, ut à Pastore istorum minime conscio uterque & laudetur & vituperetur; quod aliena vel laudis vel vituperij conscientia illum quidem efferat, hunc verò impudentiorem efficiat. Quod utcumque in confessione Innocentiana accidit, in qua & ei, qui se à peccato abstinuit, elationis à Pastoris conscientia & laude periculum est, & qui peccavit, verendum est, ne is se à Pastore deprehensum ac nudatum videns, impudentior fiat, & *animos* (quod ait Poëta) *a crimine sumat.*

Cap. xii. u Id Hom. I. adv. Iud. quæ est 54. T. 1. p. 391. B.

x Ibid 8. C.

y Id. Homil. Quod pecc. nõ sint evulg. quæ est 57. T. 1 p 665. B.

Sed & ex Augustino habemus secreta hominum peccata sacerdotibus,

Cap. XII. æque ac aliis fuisse illo sæculo ut plurimum ignota. *Sunt homines* (inquit) *adulteri in domibus suis; In secreto peccant. Aliquando nobis produntur ab uxoribus, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus.* Vides ut arcana istorum flagitia sacerdotes non ante cognoscerent, quam ab uxoribus proderentur? Atqui nemo non videt, si confessionis usus hodiernus tum obtinuisset, etiam citra istarum operam sacerdotes huiusmodi virorum delicta ex ipsis peccatoribus cognituros fuisse. Itaque idem alibi *a* mulieribus Christianis præcipit ut arcana virorum suorum flagitia ad se & alios Ecclesiæ sacerdotes deferant; *Nolite* (inquit) *viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico judices publicos, non Proconsulem, non Vicarium; non Comitem; non Imperatorem, sed Deum Patrem, & Christum, & Spiritum sanctum.* Quid à mulieribus hoc exigere opus fuit, si eadem à viris ipsis rescíscere per confessionem licuit? Hodie quidem huiusmodi virorum delicta magis à sacerdotibus discerent mulieres, quam à mulieribus sacerdotes. Denique quod in extremo sermone subiicit *b* *se cogi adulteros nosse, castos nosse non posse, in occulto esse, unde gaudeat, in publico esse, unde torqueatur*, id inquā clarissime conficit ipsum, quæ de suorū adulteriis sciebat, ea se ex mulierum, aut aliorum relatione, non ex aliqua arcana reorum confessione cognovisse. Nam si omnes & singuli fideles apud eum omnia sua delicta hodierno Latinorum more confessi essent, manifestum est, neque in publico id omne futurum fuisse, *unde torqueretur*; (nimirum fuisset, unde ob crimen sibi uni in confessione revelatum torqueretur) neque *in occulto* clam ipso futurum fuisse, *unde gauderet*. Castos enim certo esse maritos scivisset, quos nullum apud se adulterium confitentes audiisset. Cum ergo diserte & dicat & *in publico esse unde torqueatur*, & *in occulto*, *unde gaudeat*; nemo non intelligit apud Augustini quidem gregem nullo in usu fuisse hanc Latinorum auricularem confessionem. Eadem suggerit Innocentius I. Augustini æqualis *c*, *Viros suos* (inquit) *mulieres non facile de adulterio accusant; & non habent peccata latentia vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt, & ideo mulieribus prodito earum crimine communio denegatur. Virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur; qui utique submovebitur, si eius flagitium detegatur. Cum ergo par caussa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.* Hæc Innocentius; clarissime nos docens sacerdotes suo sæculo in ea tantum crimina animadvertisse, quæ sibi alieno indicio essent prodita; Unde sequitur nullam adhuc tum fuisse confessionalem alterius Innocentij disciplinam, in qua etiam occulta, nulli alieno cognita, soli reo nota, ex eius arcana confessione à sacerdote plectuntur. Si enim iam tum in usu fuisset illa disciplina, stulte ut quivis videt, diceret Innocentius virorum flagitia inulta & absque vindicta in Ecclesia ideo manere quod ea uxores apud sacerdotes non deferrent.

a Id. Serm. 4. ... c. 4. [Aug. de verb. Dom. serm. 16. c. 8. T. 10.]

a Id. serm. 49. c. 4.

b Ibid. c. 6.

c Innocent. I. epist. 3 (alias 2.) c. 4. T. 2. Concil p. 710.

Quid necesse fuisset ab uxoribus deferri, quæ ipsa virorum confessio sacerdotibus aperuisset? Minus ne viris de se confitentibus fidei habebatur, quam uxoribus eos deferentibus? Ridiculum. Nondum ergo tum cogebantur viri, mulieresque sua sacerdotibus, etiam occultissima, in aurem confiteri. Idem quoque ex Leone patet, qui sedem & ipse Romanam annis post Innocentium XXIV. rexit. Is enim negat *ministris singulorum conscientias patere posse, dum* eos, qui tota fere anni spacia aut securius, aut negligentius transierunt, charitate debita commonet, *ut non ideo sibimet blandiantur, quia nobis* (inquit) *conscientiæ singulorum patere non possunt.* Atqui ea non tantum patere *poterant*, sed etiam reapse *patebant* ministris, si iis singuli fideles sua in arcano omnia, etiam abditissima, aperiebant, ac nudabant. Certe Latini aliter hodie loquuntur. Olavius Iesuita apud Orlandinum e; *Interiora omnium* (inquit) qualia sint Deus, *qui scrutator est cordium, & Confessarij, quibus ea reteguntur, norunt.* Recte quidem ille ac vere. Neque enim te latere eius conscientia potest, qui sua omnia interiora tibi in arcano aperuit ac nudavit. Qui ergo negant Romanorum *sibi conscientias patere*, Leo, & eius ore presbyteri Romani, hi vel Olavio iudice, nulli fuerunt Romanorum confessarij. Nondum scilicet hæc sacerdotalis muneris pars instituta erat, Quod & sequentia probant. Nam ex Innocentiana disciplina contra hanc istorum, quos Leo convenit, securitatem afferendum erat confessionis apud se suosque ministros faciendæ præceptum. Ille verò non hanc legem, sed Dei omnia cernentis conscientiam istis obiicit, *Ista ergo scientia summi judicis* (inquit) *iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.* Denique neque istos, quorum peccata sacerdotibus non patebant, monet, ut confitendi officio diligentius apud eos fungantur (quod omnino hoc loco monere ex Innocentiana disciplina debuit) sed & iis & cæteris omnibus præcipit f. *ut ad præsentem ubique misericordiam Dei confugiant*, cordaque sua sanctificent; sævitiam, iracundiam, cæterasque vitiorum pestes exscindant, sibi culpas invicem suas remittant, si fecerint, promittit Dei indulgentiam, & quidem singulis statim ac sine ulla mora repræsentandam; *Nam non longe est* (inquit) *ab unoquoque quod posset, cum de benignitate supplicis sententia pendeat judicantis. A benignitate* dicit, non à *confessione supplicis* apud sacerdotem.

CAP. XII.

d Leo. de Quadrag. serm. 5 c. 3.

e Orland. hist. L. 1. § 48.

f Leo ubi supr. c. 4.

Capvt XIII.

Argumentum contra Confessionem XIII. ex eo ductum, quod Antonius ab Athanasio instituisse memoratur, ut Asceta suas singuli cogitationes perscriberent & alij cum aliis communicarent. Ea fuisse Innocentiana Confessionis prima rudimenta.

Hinc etiam colligi posse videtur nullam apud veteres arcanæ istius confessionis disciplinam fuisse, quod Antonius, narrante gravissimo auctore Athanasio, hoc suis Monachis observandum præceperit, ut quo sibi ab admittendis peccatis diligentius caverent suas quisque actiones, ac cogitationes notaret ac perscriberet, veluti eas aliis revelaturus. Sed ipsum potius hæc præcipientem Antonium audiamus; g *Fiat etiam hæc* (inquit) *observatio ad cavenda peccata. Actiones animique affectiones, velut alij aliis mutuo renuntiaturi, singuli apud se notent, atque conscribant; nec dubium, quin pudore ac metu ne patefiat, non à peccato solum, verum & à pravis cogitationibus sibi prorsus caverit. Quis enim peccans videri vult? Quis cum peccavit, latere non satagit? etiam mentiens potius, quam ut peccasse ipsum innotescat? Vt igitur in aliorum conspectu nemo adeo impudens est, qui scortari sustineat, ita si cogitationes alij aliis enarraturi ac renuntiaturi scribamus, ipso patefactionis pudore deterriti à sordidis cogitationibus nos ipsos impensius custodiemus. Hæc ergo nobis scriptio pro synascetarũ sive sodalium oculis quodammodo esto, ut scribere non secus ac videri, conspicique. verentes, prava ne in ipsam quidem animi cogitationem omnino admittamus,* ἔστω δὲ καὶ αὕτη πρὸς ἀσφάλειαν τοῦ μὴ ἁμαρτάνειν παρατήρησις. ἕκαστος τὰς πράξεις καὶ τὰ κινήματα τῆς ψυχῆς ὡς μέλλοντες ἀλλήλοις ἀπαγγέλλειν σημειώμεθα καὶ γράφωμεν. καὶ θαρρεῖτε ὅτι πάντως αἰσχυνόμενοι γνωσθῆναι παυσόμεθα τοῦ ἁμαρτάνειν, καὶ ὅλως τοῦ ἐνθυμεῖσθαί τι φαῦλον. τίς γὰρ ἁμαρτάνων θέλει βλάπτεσθαι*; ἢ τίς ἁμαρτήσας οὐ μᾶλλον ψεύδεται λανθάνειν θέλων, ὥσπερ οὖν βλέποντες ἀλλήλους οὐκ ἂν πορνεύσαιμεν. οὕτως ἐὰν ἀπαγγέλλοντες ἀλλήλοις τοὺς λογισμοὺς γράφωμεν, μᾶλλον τηρήσομεν ἑαυτοὺς ἀπὸ λογισμῶν ῥυπαρῶν, αἰσχυνόμενοι γνωσθῆναι. ἔστω οὖν ἡμῖν τὸ γράμμα ἀντὶ ὀφθαλμῶν τῶν συνασκητῶν. ἵνα ἐρυθριῶντες γράφειν, ὡς τὸ βλέπεσθαι, μηδ' ὅλως ἐνθυμηθῶμεν τὰ φαῦλα. Hactenus Antonius; cuius hæc, ut mihi quidem videtur, singulari consideratione digna sunt. Hinc enim primò, quod dixi, id apertissime habetur, nullam tum temporis fuisse arcanæ confessionis communem apud omnes Christianos disciplinam. Nam si fuisset, quid opus erat Antonium novam istam, ut vocat, παρατήρησιν *observationem* ad cavenda tutius peccata excogitare, ac suis præcipere? Tu tuos jubes Antoni, peccata sua omnia, etiam levissima, etiam ipsas mutas ac tacitas animi cogitationes perscribere atque annotare, & inter sese invicem scriptas & annotatas alios aliis enuntiare ac revelare. Quasi verò

g Athan in Vita Anton. t.1 p.484.C.

* Lego βλέπεσθαι. nam βλάπτεσθαι nihil ad rem.

verò id ipsum & ascetis, & omnibus omnino Christianis non præcipe- Cap. xii.
ret Ecclesia? non singulis id officij inviolabili lege imponeret? Quin & ad verecundiam multo, quam tua illa observatio, efficacior est communis omnium disciplina; quæ nos delicta etiam arcana, aperire ac nudare iubet, non (quod tu præcipis) sodalibus & synascetis, quos ideo minus veremur, quod & socij nostri sint, non magistri, & mutua nobis suorum quoq; arcanorum cōmunicatione obstricti; Sed sacerdotibus, summi Dei ministris, qui præceptores nobis, & judices ac prætores, quiq; nos nullius sui delicti cōscios habent; ut fieri nō queat, quin illos multo magis, quam istos, quos tu à nobis cōveniri vis, revereamur. Nihil intelligit qui ex his nō intelligit Antoniū, si hæc Romanæ confessionis disciplina ævo isto in communi Ecclesiæ usu fuisset, suam quidē illam παρατήρησιν ut supervacaneam atque inutilem omissurum fuisse; communis verò ac apud omnes legitimæ confessionis praxim assiduam, menstruam hebdomadalem, quotidianam ascetis suis diligenter commendaturum fuisse (plane ut Iesuitæ & alij monachi hodie faciunt) eiusque insignem ad cavenda peccata usum commemoraturum, quem nunc adversarij semper in ore habent, ut ex Bellarmino supra didicimus. Atqui & Antonius suam illam observationem ascetis proponendam, & Athanasius memoriæ prodendam putavit, velut eximium ac singulare quoddam institutum. Ergo pro certo habendum est nullam fuisse neque Antonij, neque Athanasij temporibus Christianorum in Ecclesia communem ac legitimam arcanæ confessionis disciplinam. Secundò, hic etiam habemus vera, nisi fallor, arcanæ istius, quæ nunc apud Latinos tanto in usu est, confessionis incunabula, cuius Antoniana illa παρατήρησις rudimentum quoddam fuit, eo ab illa discrepans, quod quæ arcana nunc omnes Christiani sacerdotibus, ea Antoniani monachi inter sese, hoc est monachi monachis, confiterentur. Neque apud solos Antonianos ascetas hæc observatio substitit. Nam partim viri fama atque auctoritas, partim ipsa rei magna in speciem utilitas effecit, ut alij etiam, ac pœne omnes, ut credibile est, monachi eam disciplinam obseruandam putarent. Certe Basilius illam suis diligenter commendat eo in loco, [h] quem nos iam supra attigimus. *Debet autem vicißim* (inquit) *unusquisque eorum, qui inferiores sunt, siquidem memorabilem ullam facere progreßionem studet, & ad perfectionem vitæ illius pervenire, quæ præceptis Domini nostri Iesu Christi sit consentanea, cum nullum animi sui motum apud se ipsum relatum retinere, tum in sermone nihil non diligenti ante cura consideratum proferre, sed mentis suæ arcana aperire fratribus iis, quibus datum negotium illud sit, ut adhibita facilitate ac misericordia ægrotantes curent.* Δεῖ καὶ τῶν ὑποτεταγμένων ἕκαστον, εἴ γε μέλλοι ἀξιόλογον προκοπὴν ἐπιδείκνυσθαι, καὶ ἐν ἕξει τῆς κατὰ τὰ προστάγματα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ζωῆς γίνεσθαι, μηδὲν μὲν ψυχῆς κίνημα ἀπόκρυφον φυλάσσειν παρ' ἑαυτῷ, μηδένα δὲ λόγον ἀβασανίστως προϊέναι, ἀλλ' ἀπογυμνοῦν τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας τοῖς πεπιστευμένοις τῶν ἀδελφῶν εὐσπλάγχνως καὶ συμπαθ-

h Basil. Reg. fusius disput. Reg 25. t. 2. p. 17 L C.

CAP. XIII.

συμπαθῶς ἐπιμελείας τῆς ἀθυμούντων. Cætera cum Antonio convenit, eo tantum diversus, quod quæ hic mutuo alios aliis invicem confiteri præcipiebat, Basilius uni certo homini ex toto cœnobio ad eam proprie curam delecto ac constituto singulos sua deferre atque nudare vult. Sed id institutum apud Monachos sequentium sæculorum mansisse, & quidem nonnihil à Basilij temporibus amplificatum patet, tum ex aliis multis, tum ex Dorothei libro, quem *Doctrinas* inscripsit. Is *i* enim in Monacho quodam, veluti magnum flagitium, denotat, quod is confiteri nollet, neque in usu haberet ἐξαγγέλλειν, id est, ut vertit interpres. *cordis sui secreta revelare.* Et alibi *k* narrat sibi id olim muneris in monasterio datum esse, ut istas ascetarum ἐξαγγελίας audiret. *Cum essem* (inquit) *in cœnobio consueverant fratres omnes cogitationes suas ad me deferre, vel per iocum vel per quandam simplicitatem, ita ut etiam Abbas hanc mihi seniorum consilio curam imponeret.* ὅτι ἤμην εἰς τὸ κοινόβιον ἐκεῖ εἶδα πῶς ἁπλῶς ἐχλεύαζόν τε οἱ ἀδελφοὶ ἀνατίθεσθαί μοι τοὺς λογισμοὺς αὐτῶν. φησὶ δὲ καὶ ὁ Ἀββᾶς ἐγὼ ἐπέτρεψέ μοι κατὰ γνώμην τῶν γερόντων τὴν φροντίδα τούτου ποιεῖσθαι τοῦ μέρους. Sed & Isidorus Hispalensis Monachos jubet *l* pollutiones nocturnas, & arcana libidinis tentamenta Patri monasterij publicare. Institutam ergo primum apud Monachos hanc disciplinam, alij ut fit, ex Christianorum populo magna de illis viris opinione adducti, imitandam putarunt, suaque iis arcana ipsi tametsi non monachi, revelare cœperunt; quo paulatim factum, ut serpente in dies latius ea consuetudine, pœnitentes in Græcia, totoque Oriente, non ad alios fere, quam ad Monachos accederent, sibique tum demum purgati viderentur cum præscriptas ab iis disciplinas observassent. Inde illæ sunt Balsamonis querelæ de Monachis non uno in loco *m* exspostulantis, quod ii pœnitentiæ administrandæ munus, quod Episcoporum est, passim præter fas invaderent. Inde illa Chartophylacis à nobis supra memorata dubitatio, ambigentis, *n* qui factum sit, ut non ad Episcopos, sed ad Monachos cuncti pœnitentes accedant, idque inde factum hariolantis, quod Episcopi id operæ in Monachos ipsius negotij tædio transmiserint. Ille verò fallitur. Nullus ex primis Episcopis id negotij Monachis dedisse legitur. Sola singulorum devotione, nulla Episcoporum lege, ad Monachos primum itum est. Postea gliscentem & pœne apud omnes propagatum morem Episcopi cum tollere non auderent, ferre adhibitisque confessionibus suis moderari coacti sunt. Quinetiam in Occidente dandæ pœnitentiæ ius Monachos quoque, ut in Oriente, invasisse clare discimus ex Concil. o Parisiensi sexto *. Illius enim Synodi Patres, postquam vetuerunt, *ne Monachi relicto monasterio suo idcirco Sanctimonialium monasteria adeant, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponant*, hæc continuo subiiciūt; *Nec etiam illud videtur nobis congruum, ut Clerici & Laici, Episcoporum & Presbyterorum Canonicorum iudicia declinantes, monasteria Monachorum expetant, ut ibi monachis sacerdotibus peccatorum suorum confessionem faciant*

i Doroth. Doctrin. 1. Bibl. Patr. Gr. Lat. T. 1. p. 781. B.

k Id ibid. Doctr. 11. p. 816. C.

l Isidor. in Reg. Mon. c. 13.

m Balsam. ad Concil. Carthag. c. 6. Iur. Græc. l. 5. Interr. 10.

n Niceph. Chartoph. in Epist. ad Theod.

* a. D. 829.

o Conc. Paris. 6 can. 46. T. 2. Conc. Gall. p. 513.

ciant, præsertim cum eisdem sacerdotibus Monachis id facere fas non sit, exceptis his duntaxat, qui sub monastico ordine secum in monasteriis degunt. Illis namque est confessio peccatorum facienda, à quibus subinde & modus pœnitentiæ, & consilium salutis capiatur: & à quibus post tempora pœnitentiæ peccata secundum canonicam institutionem, si Episcopus jusserit, reconciliatio mereatur. Hæc illi; ex quibus, ut id obiter dicam, apparet temere, ac præter rationem denotatum hoc nomine fuisse à Filesaco p Balsamonem, quem ille *Græculum* contemptim, *paulò iniquiorem Monachis* dicit. Ille verò (si ita libet) *Græculus* rectè ut liquet, ac sapienter, planeque ex veteris Ecclesiæ instituto, & Gallicanorum Patrum sensu (quos quidem Filesacus fatebitur, nihil minus fuisse, quam *Græculos*) hanc Monachorum temeritatem merito castigavit, non ex privato in eos odio, vel studio (quod Sorbonicus ille Doctor frustra & inique suspicari videtur) sed ex vero iustoque atque ex perpetua Ecclesiæ disciplina. Sed hæc quidem sero, & multis post Basilium sæculis contigerunt. Itaque à Monachis, ut alia multa, ac pœne omnia, quæ in Christianam religionem superstitiosa, vanaque irrepserunt; ita & arcanæ confessionis disciplinæ, ortum habuere & quæ ab iis sponte, privatâque devotione sumpta erant, ea magno hominum errore, omnibus tandem Christianis, ex publica universalique lege, veluti necessaria, imposita sunt. Hinc denique, ut & hoc obiter dicam, patet, quæ sit vocis πνευματικὸς apud Græcos sequiorum temporum ratio, qui eo nomine passim (ut etiam est à Filesaco q observatum) confessarium, sive confessionibus audiendis præpositum vocant. Nimirum *Monachi* ob severioris, sanctiorisque vitæ studium ac propositum πνευματικοὶ *spirituales* dicebantur, sæcularibusque sive κοσμικοῖς opponebantur, & etiam nunc *renuntiare mundo* dicuntur, qui istorum disciplinæ nomen dant. Cum ergo non alios fere, quam *Monachos* ad cõfessiones suas audiendas Christiani vulgo adhiberẽt; eo factum est, ut πνευματικὸς, qui proprie Monachus erat, de *confessario* acciperetur. Sed hæc obiter. Nunc institutam disputationẽ pertexamus.

Cap. XIV.

p Filesac. l. de Confess. auric. p. 690.

q Id. Ibid.

Caput XIV.

Argumentum XIV. ex eo ductum, quod veteribus indicta, ignotaque fuerint illa tam multa, quæ ex Innocentiana disciplina necessario oriuntur, quæstiones ac disputationes, & quarum hodie pleni sunt omnes Latinorum libri.

Præter superiora, illud etiam satis arguit ignotam veteribus fuisse confessionalem disciplinam, quod in tam multis eorum monumentis, quæ supersunt, nulla earum quæstionum mentio occurrit,

Cap. xiii.

quæ & ex illo instituto necessario nascuntur, & à Latinis, qui id sequuntur, ac defendunt, magna contentione agitantur. Pleni sunt & scholasticorum veterum, & recentiorum Theologorum libri huiusmodi disputationibus, neque aliud argumentum temere reperias, in quo isti tantum studij atque operæ posuerint. Atque tametsi mundus tanta voluminum mole oneratus gemat, ac pœne fathiscat, nullus tamen fit disputandi finis. Prodeunt quotidie novæ Monachorum, præsertim Iesuitarum, aliorumque Doctorum ea de re concertationes, ut vel Index operum, quæ ex Ecclesia Latina his quadringentis retro annis, de uno hoc argumento prodierunt, iustum pœne volumen conficere possit. Quis enim enumerare valeat *Summas*, *Summulas*; *Curatorum manipulos*, *Pœnitentialia*, *Confessariorum specula*, *Instructiones*, *Aphorismos*, *Directoria*, *Casuum conscientiæ decisiones*, & cætera id genus, quorum omnium arcana ista confessio unus idemque fœcundissimus, atque inexhaustus fons est? In his quærunt quo iure nitatur confessio, an omni fideli necessaria sit, an nemo ab ea dispensari queat, an ipsi infideles illius quoque præcepto teneantur? Tum quæ peccata confitenda sint? etiamne venialia? an sola mortalia? & an statim? an verò differri possit hoc officium? an quotannis? An crebrius exercendum? & quo ætatis anno? An non quoties Eucharistia sumitur? & an cætera item sacramenta confessio præcedere debeat? Sequitur immensa disputationum seges, ipsa confessionis qualitas; Quid ad eius integritatem requiratur? an singulas delictorum species, eorumque numerum, circumstantias, & respectus ad diversas personas particulatim explicare confitentem oporteat? An & quando istorum aliqua omitti possint? Quid de *casibus reservatis* dicam, quæ materia nova est, ut sexcentis ambagibus spinosissimisque subtilitatibus plena? Quid de confitendi modo? An absenti per litteras? An præsenti nutu vel signis, & alia denique ratione, quam vocali sermone confiteri liceat? Tum an necessario cum *contritione*? vel an *attritio* satis sit? Sed neque contemnenda est tum de repetendæ *confessionis* caussis ac necessitate, tum de eius efficacia, operatione atque effectis disputatio. Succedit alia quæstionum de confessionis ministro sylva; An is simpliciter sit solus sacerdos? An & quis laïco confiteri aliquando vel possit, vel debeat? Et sacerdoti; an cuivis? an proprio tantum? tum quæ artes necessario in confessario sacerdote requirantur? Qua ille ratione, quoque modo confitentem interrogare, monere, objurgare, denique absolvere debeat? & an ab incœpto opere absistere, siquando fœda illa patietur, de quibus Caietanum & Toletum * disputare supra diximus? Postremo cur & quatenus confessionis sigillum servare teneatur? cuius quam horribilem religionem esse velint, memini me alibi supra * obiter dixisse. Præter hæc nequando hæreat *Confessarius*, de omni peccatorum varietate tam acute, tamque subtiliter definiunt, ut vel atomos ipsas multipliciter secare, nihilque in hac infinita materia intactum relinque-

* supra L. 2.

* ibid.

linquere videantur. Hæc quidem illi, de quibus plura piget dicere. Iam quæro, cur istorum nihil veteres? Cur de iis, non magis quam de Nicolai Copernici, Galilæique hypothesibus, vel de Dominicanorum, Iesuitarumque familiis ac institutis, loquuntur? Profecto necesse est iis, vel ignotum fuisse Confessionis auricularis mysterium, ex quo illa omnia enata sunt, vel certe defuisse aut ingenium, aut acumen, aut tractandi res suis gregibus necessarias, voluntatem. Hoc quidem nemo sapiens dixerit. Fateor hos nostros Latinos acutos esse, argutos, & argumentosos; quosdam etiam eruditos, & ingeniosos, & facundos. Non ideo tamen eos Tertullianis, Basiliis, Gregoriis, Chrysostomis, Hieronymis, Augustinis, aliisque prætulerim. Ergo cum veteres, ut ex eorum monumentis constat, & ingenij acumine, & judicij gravitate, & rerum omnium divinarum atque humanarum scientia, & eloquendi facilitate atque copia, adhæc pietate in Deum, & caritate in greges sibi commissos nulli recentiorum, cedunt qui post Innocentium III. vixerunt; multos vero eorum, imo pœne omnes superent; dubitandum non est, quin hunc *Confessionis* (ut sic dicam) agrum si cognitum habuissent, exculturi fuerint, omnesque illas quæstiones, quæ necessario ex eo enascuntur, non indiligentius, neque infœlicius, quam isti, tractaturi fuerint, quod cum non modo non fecerint, sed etiam totam illam tam amplam ac pœne immensam rerum sylvam vix unquam vel minimum attigerint, illud postremo concludendum relinquitur, plane ignotam ipsis fuisse Latinæ huius confessionis disciplinam. CAP. XIV.

CAPUT XV.

Argumentum XV. inde ductum, quod nullum ex iis Scripturæ locis, quibus nunc Latini Confessionem firmant, hoc sensu Patres intellexerint; pleraque vero plane contra interpretentur.

SED cætera mittamus. Illud quidem certe nemo negaverit, Patres si hanc disciplinam à Domino Christo institutam, si ab Apostolis præceptam; si passim in veteribus novisque scripturis figuratam fuisse putassent; si hoc jugum omnium, quæ sunt in religione, vel ipsis fatentibus ac prædicantibus Latinis, longe gravissimum, omnibus tamen fidelibus perpetuo ac necessario ferendum credidissent; ad ea divinarum litterarum loca, in quibus id vel constitutum, vel mandatum, vel typice expressum fuisse vulgo opinantur, diserte ac sedulo tantæ istic rei mysterium observaturos fuisse. Atqui nihil eos hujusmodi fecisse reperimus. Ad ea loca, quæ ex Actis Apostolorum, ex altera Pauli ad Corinthios epistola, & ex prima Ioannis ad hoc argumentum frustra torquet Bellar-

Cap. xv. minus, ne ipse quidem ullum ex Patribus suæ temeritatis fautorem citavit, neque ad ea, quæ de confessione vel Mosaïca ex Numerorum & Levitici libris, vel Baptistica, ex Euangelicis de Ioanne narrationibus attulit. Quæ verò idem ex Patribus ad cætera loca suæ Confessioni vindicanda adhibuit, ea nos supra suo singula ordine aliò pertinere demonstravimus. Denique nullus est Patrum, qui ad ullum ex his locis confessionale Latinorum sacramentum, quale apud eos hodie docetur atque exercetur, liquido, diserteque ac perspicue, animadvertit, vel commemoraverit, & quæcumque isti ex Patribus ad nonnulla horum locorum obtorto collo rapiunt, ea nemo cordatus non statim intelligit aliena esse, tenuemque & evanidam duntaxat rei propositæ umbram, habere; rem ipsam nequaquam habere. Quod unum satis demonstrat confessionem istam iis plane penitusque fuisse ignotam. Sed id multo etiam magis inde constat, quod Scripturæ loca, in quibus adversarij positum esse volunt hoc confessionis suæ mysterium, Patres ea non modo, quod diximus, aliter quam ipsi accipiunt, sed insuper sic plæraque interpretantur, ut qui ab illis affertur atque constituitur sensus, is vel cum Latinorum dogmate pugnet, vel certe ita sit ab eo alienus, ut ipso constituto nihil pro adversariorum sententia ex illis locis concludi possit. Verbi gratia; Tridentini Confessionem suam ex illis Christi apud Ioannem verbis, *Quorum remiseritis peccata*, &c. clarissime haberi, non quidem vera ulla, ac solida ratione probant, sed tamen pro sua auctoritate decernunt, & Vasques in hoc uno loco pedem suis figendum putat. Atqui plurimi Patres hęc verba eo sensu acceperunt, qui si admittitur, ne ipse quidem Vasques negat suam inde confessionem rectè ac legitime concludi non posse. Accipiunt enim de omni in genere remissione ac retentione peccatorum, quæ à Christi ministris confertur & iis qui baptizantur, & iis, qui jam sunt baptizati, Cyrillus Alexandrinus locum ex professo enarrans r, *Remittunt porro* (inquit) *peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis. Vel enim dignos ad baptismum vocant, vitæ nimirum gravitate & constantia fidei jam probatos homines; vel prohibent, & à gratia divina arcent eos, qui nondum digni sunt. Vel alio quodam modo peccata remittunt, ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt; sicuti Paulus* s *nimirum fornicarium illum Corinthium in carnis interitum quidem tradidit, ut Spiritus salvus fieret; sed denuo ipsum complexus est, ne magnitudine doloris absorberetur.* ἀφιᾶσι γε μὴν ἁμαρτίας ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι κατὰ δύο τρόπους, κατά γε διάνοιαν ἐμὴν. ἢ γὰρ καλοῦσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα τοὺς οἷς ἂν ἤδη καὶ τούτου τυχεῖν ὀφείλετο διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα, καὶ τὸ δεδοκιμασμένον εἰς πίστιν. ἢ διακωλύουσι τινας καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσιν ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους. ἢ καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσί τε καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες, καθάπερ ἀμέλει καὶ Παῦλος τὸν ἐν Κορίνθῳ πορνεύσαντα παραδιδοὺς μὲν εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ. προσίετο δὲ αὖθις, ἵνα

r Cyrill. l. 12. in Ioann. in cap. 20. 21. 23. T. p. 1101. D.

s 2. Cor. 2.

μὴ

μὴ τῷ φωτιστῆρι λόγῳ καταπεσῆ. Hæc ille. Nihil, ut vides, de arcanæ confessionis necessitate ex hoc loco colligenda dicit. Non posse hinc colligi, plane liquidoque statuit; qui eam, ex qua isti illam concludunt, *peccatorum remissionem, ac retentionem*, etiam ad baptismi vel concessionem, vel denegationem refert; in qua ne ipsi quidem adversarij necessariam esse putant particularem singulorum peccatorum confessionem. Pœnitentes sua ministris peccata particulatim in arcano confiteri ideo sciscunt, quod illi peccata remittere, vel retinere ex his Christi verbis non possint, nisi quæ sigillatim & particulatim cognita habuerint, neque vero sigillatim cognita habere queant, nisi ex minuta & accurata peccatoris confessione. Atqui ministros Cyrillus etiam eorum, quos vel baptizant, vel à baptismo repellunt peccata & remittere, & retinere ex hac Christi sententia censet: quorum tamen omnia sigillatim delicta, neque accurate cognoscunt, neque cognoscere necessario debent. Ergo ad eam, quam Christus hic ministris suis confert, peccatorum vel *remissionem*, vel *retentionem*, neque accurata singulorum delictorum cognitio, neque adeo quæ ei superstruitur, minuta & particularis pœnitentis confessio necessaria est. Neque verò hanc unius Cyrilli fuisse putes de hoc loco sententiam. Ea omnium veterum communis fuisse videtur; & merito quidem, cum Christum in genere de omni suorum ministerio loqui palam sit. Cyprianus, Cyrillo centum & amplius annis vetustior, Christi verba eodem modo de baptismali remissione accepit *t*; *Cum* (inquit) *in baptismo unicuique peccata sua remittantur, probat & declarat in Evangelio suo Dominus per eos solos posse peccata dimitti, qui habeant Spiritum sanctum; Post resurrectionem enim discipulos suos mittens loquitur ad eos, & dicit*; Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit, & ait illis, *u* Accipite Spiritum Sanctum. Si cuius remiseritis peccata, remittentur illi; si cuius tenueritis, tenebuntur. Idem alibi in Epistola ad Iubajanum *x*; *Manifestum autem ubi, & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in baptismo scilicet datur. Nam Petro primum Dominus super quem ædificavit Ecclesiam, & unde universitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlis quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur, dicens*, sicut misit me pater, & cætera ut supra. *Unde* (inquit) *intelligimus, nonnisi in Ecclesia præpositis, & in Evangelica lege ac ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorum dare.* Hæc Cyprianus. Vides, ut datam Apostolis eo loco remittendi potestatem ad baptismum referat, nullam adeo ad eam exercendam particularem singulorum delictorum enumerationem à peccatore fieri, necessarium esse putaverit. Firmilianum Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, eadem quoque secutum patet ex epistola, *y* quam ad Cyprianum dedit, cuius erat æqualis. Probat enim ex hoc Ioannis loco, itidem, ut Cyprianus, baptizare nisi Catholicis ministris solis, non licere. Frustra, & stulte, ut quivis intelligit, nisi de baptismali

t Cypr. Epist. 76. ad Magnum p. 171.

u Ioann. 20.

x Cypr. Ep. 73. p. 144. extr.

y Firmil. apud Cypr. Ep. 75. p. 63.

CAP. XV. mali peccatorum remissione Christum istic loqui constituerit. Gaudentius, Brixiensis Episcopus, qui quarto sæculo iam præcipiti vixit, Christi Domini verba ipsa quoque in genere de universo Apostolorum ministerio, adeoque & de baptismo, intellexit z, *Omnes* (inquit) *Apostoli, Christo surgente in Petro claves accipiunt, Quinimo cum Petro cælestis regni claves ab ipso Domino accipiunt, quando ait illis*, Accipite Spiritum Sanctum. Quorum peccata dimiseritis, dimissa erunt. *Et iterum*; Euntes (*inquit*) docete omnes gentes, & baptizate in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. *Ianua quippe regni cælorum nonnisi hoc sacramentorum spirituali clave reseratur.* Neque Ambrosium, qui hunc Gaudentij sermonem præsens audivit, aliter Domini verba accepisse, & fatetur Gregorius de Valentia, a & ex eo, quem indicat, loco manifestum est. *Cur* (inquit Novatianos alloquens) *baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismô utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vendicent?* Parilem facit & baptismi, & pœnitentiæ remissionem: & utriusque ius conferendæ pariter à Christo suis datum docet. Chrysostomus, & Augustinus, quorum extant luculenti in Ioannem tractatus illud quidem de baptismo non commemorant disertè, sed neque ipsi confessionem arcanam hinc eruunt, neque quicquam dicunt, quo fiat, ut non de universo Apostolorum ministerio Christi verba accipienda sint. Theophylactus denique tantum ait illis à Domino tum datum fuisse τοῦτο δὲ εἶδος τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων, τὸ τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, *hoc spiritualium donorum genus, remissionis videlicet peccatorum.* De confessione nihil. Hinc unum hoc concludit honorandos esse ob tantum ministerium sacerdotes. κἂν γὰρ ἀνάξιοι ὦσι, inquit, τί τοῦτο, τῶν θείων χαρισμάτων εἰσὶ διάκονοι, καὶ ἡ χάρις ἐνεργεῖ δι' αὐτῶν, ὥσπερ οὖν καὶ διὰ τῆς ὄνου τῷ βαλαὰμ ἐλάλησεν, οὐκ οὖν ἡ ἀναξιότης ἡμῶν τὴν χάριν κωλύει. ὥστε ἐπεὶ δι' ἱερέων ἡ χάρις χορηγεῖται, τιμητέον αὐτούς. *Nam quamvis indigni sint, quid hoc? Divinorũ donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos, sicut & per asinam Balaam locutus est. Non enim indignitas nostra gratiam prohibet. Atque ita, quia per sacerdotes gratia suppeditatur, honorandi sunt.* His, quæ à Chrysostomo * habet, docet Theophylactus sacerdotum in remittendis peccatis, potestatem ac functionem merè ministerialem esse: ut organorum, quæ à Deo in hoc opere adhibentur, non ergo, quod adversarij volunt, prætoriam ac iudicialem. Atque ita nunc constat eum Scripturæ locum, quem isti velut palmarium, imò (si Vasqui credimus) unicum iactant, à Patribus non modò ad confessionem auricularem non referri, sed etiam ita accipi, ut ea inde nullo modò concludi possit.

Alterum verò locum ex Actis Apostolorum, in quo *quidam eorum, qui crediderant, actus suos confessi* dicuntur, neminem ex antiquioribus Theologis de sacramentali istorum confessione accepisse, & Lorinus disertè scribit, & Bellarmini silentium, qui nullos sibi faventes affert, satis fatetur.

z Gaudent. Tract. in 1. die ordin suæ. Bibl Patr. T. 2. p. 59. b.

a Greg Val in 3. thom. T 4. disp. 7. q. 9. puncto 1.

Ambr. l. 1. de pœnit. c. 7. T. 1. p. 17. c.

Chrysl hom. in Ioan 85

Aug tract 121. in Ioan.

In Ioan, 20. p. 837. b.

* hom. 85 gr. 86 in Ioan p. 518 d.

Act. 19. 18. 19.

in loc.

fatetur. Sed & ultra progreditur Lorinus. Contendit enim, & probat Lucæ verba, & à Basilio, & ab Anastasio Nysseno, & à Beda de ea confessione accipi, quæ ab iis facta fuerit, qui ad baptismum à Paulo suscipiendum veniebant: quę quantoperè à sacramentali veterum confessione aliena sit, omnes intelligunt. Cap. xv. ibid.

Tertium ex 2. Cor. locum, *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis*, non modò veterum, sed ne recentiorum quidem quemquam, præter Bellarminum, & paucos alios eiusdem caussæ studio, excæcatos, de auriculari istorum confessione accepisse planum est. Chrysostomus de toto Apostolorum munere accipit, quod eò spectat, ut omnes amici Dei fiant; Christum ideò à Patre missum, παρακαλεῖται καὶ πρεσβεύσασθαι πρὸς τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν ὑπὲρ αὐτοῦ. ἐπεὶ οὖν σφαγεὶς καὶ οὗτος ἀπῆλθεν, ἡμεῖς διεδεξάμεθα τὴν πρεσβείαν. καὶ ἀντ' αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς παρακαλοῦμεν ὑμᾶς, *qui ipsius nomine exhortaretur, atque apud hominum genus legationis munus susciperet. Sed quoniam & hic necatus abscessit, nos legationi illi successimus, atque & illius, & Patris nomine vos exhortamur.* Ergo ex isto quidem, Paulus nullum singulorum confessiones in arcano audiendi ministerium intelligit; nisi fortè *homines exhortari* eo modo, quo Christus exhortatus est idem esse contendas, ac *eos sua tibi de geniculis flagitia & delicta in aurem recitantes audire.* Sic etiam Theodoretus, ἐνεχείρισε δὲ καὶ ἡμῖν τὰ τῆς καταλλαγῆς εὐαγγέλια, *Nobis autem commisit faustum reconciliationis nuntium.* Tum; ἡμᾶς ὑπουργὰς τῆς εἰρήνης ἐχειροτόνησεν. *Nos elegit ministros pacis. Legatos* verò Apostolos dicit, ὥστε πεῖσαι πάντας ἀνθρώπους, καὶ τὴν αὐτοῦ μακροθυμίαν αἰδεσθῆναι, καὶ τοῦ χριστοῦ τὴν σφαγὴν ἐντραπῆναι, καὶ καταλλαγῆναι τῷ ποιητῇ καὶ θεῷ καὶ δεσπότῃ, *ut omnibus hominibus persuadeant & eius clementiam revereri, & ob Christi cædem pudore suffundi, & reconciliari Creatori, & Deo & Domino.* Hoc verò fit, non sanè arcana confitentium murmura audiendo, sed Evangelium palam, publicè privatimque prædicando. Theophylactus Chrysostomum solens sequitur, ἐπεὶ γὰρ ἐμὲ, φησὶν, (Christi sunt verba ad Apostolos) οὐκ ἐπιστεύσατε, παραμείνατε ὑμεῖς παρακαλοῦντες ἕως ἂν πείσητε. *Quia enim mihi, inquit, non credideruut, perseverate vos adhortantes, tantisper dum persuaseritis.* Atqui *adhortari* non est confitentes in arcano audire. Oecumenius eadem habet. Itidem Latini; Sedulius planissime, *ministerium reconciliationis, id est* (inquit) *opus, vel officium Evangelizandi*; non ergo, ut liquet, confessiones omnium arcanas audiendi. Vis etiam aliquid clarius? Audi Primasium, verbum reconciliationis; *prædicationem* (inquit) *ut pro Christo nos reconciliemus homines Deo.* Certè confessionis in aurem immurmuratæ auditio, non est, ut puto, *prædicatio.* Sed piget in re facili diutius immorari. Ergo ne hinc quidem quisquam Patrum *Confessionem auricularem* exsculpi posse credidit.

2. Cor. 5.
hom. 11. in 2. ad Cor. p. 612. e. & 613. A.
in 2. Cor. 5. 18.
ibid. vers. 19.
vers. 20.
in 2. Cor. 5. 20.
in eumd. loc. p 615 c 617. a. b T. 1.
Sed T. 1. b. bL. Patr. p 970. b.
Primas. ibid. p. 1175. b.

Iam Iacobi verba. *Confitemini alterutrum*, neminem Patrum ad eam retulisse, constat. Bedam verò, quem falsò & inverecunde eò trahit adversarius, plane aliud velle ac de publica pœnitentia loqui nos supra Iac. 5.

demon-

CAP. XV. demonstravimus, quamquam & illud mirandum esset si Ecclesia, ad Bedam usque qui octavo demum sæculo vixit, verum Iacobææ illius exhortationis sensum ignorasset. Nam Augustinus, qui tribus ante Bedam sæculis vixit, & unus instar multorum est, Iacobæam *illam confessionem* clarissimè intelligit de ea cōfessione & precatione quæ à fratribus mutuo, ac invicem inter sese fit, eamque mysticè iis Christi Domini verbis significatam putat, quæ sunt apud Ioannem, *Si ego lavi vestros pedes Dominus & magister, debetis & vos alter alterius lavare pedes. Numquid dicere possumus* (inquit Augustinus) *quod etiam frater fratrem à delicti poterit contagione, mundare? Imò verò id etiam nos esse admonitos in hujus Dominici operis altitudine noverimus, ut confessi invicem delicta nostra oremus pro nobis, sicut & Christus* interpellat pro nobis. *Audiamus Apostolum Iacobum hoc ipsum evidentissimè præcipientem, & dicentem;* Confitemini invicem delicta vestra, & orate pro vobis, *quia & ad hoc Dominus nobis dedit exemplum. Si enim ille, qui ullum peccatum, nec habuit, nec habebit, orat pro peccatis nostris; quanto magis nos invicem pro nostris orare debemus?* Mox ita locum concludit; *Invicem itaque nobis delicta donemus, & pro nostris delictis invicem oremus, atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus.* Iam *Sacramentalis* illa quæ dicitur *confessio* non fit *invicem*, neque mutua est, & quorumvis ad quosvis, sed apud solos sacerdotes editur. Ergo ea ex Iacobo concludi, Augustino quidem judice, non potest; qui eam, quæ à Iacobo præcipitur, mutuam esse vult, & aliorum apud alios reciprocam, à Christo istis verbis mysticè significatam, *Alter alterius lavate pedes.* Vnde patet, quam temerè ac perversè Bellarminus scripserit, *Videri Augustinum hunc locum de confessione, quæ fit sacerdoti, simpliciter accepisse,* homiliam citans duodecimam ex 50. Attende quæso hominis fraudem, an ineptiam, atque incogitantiam. Primò quo sensu Augustinus Iacobæum dictum acceperit, vult nos ex ista homilia discere. Illa verò Augustini non est; & ab ipsis Lovaniensibus, atque Parisiensibus sine Augustini nomine excussa est, cum hac admonitione (quam me suprà jam descripsisse memini.) *Quibusdam prior pars videtur esse Eradij; posterior Augustini.* Locus autem à Bellarmino indicatus est in ipso homiliæ limine. Nonne bellus homo Bellarminus, qui quid senserit Augustinus ex opere dubio, & incerto discere nos jubet? tractatum in Ioannem, certum, atque indubitatum eius opus; in quo clarissime exposuit quid de illa Iacobi exhortatione existimaret, planè omittit? Sed neque secundò istius, quam laudat homiliæ auctor, usquam scribit, vel dicit *Iacobi locum de confessione, quæ fit sacerdoti, accipiendum.* Describam eius verba, ut de Bellarmini fide meliùs judicare possis; *In omnibus Scripturis divinis* (inquit ille) *Fratres delectissimi, utiliter ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter, & humiliter, non solùm Deo, sed etiam sanctis & Deum timentibus confiteri. Sic enim per Iacobum Apostolum nos admonet Spiritus sanctus dicens,* Confitemini alterutrum

Ioan. 13.

Tract. 58 in Ioan. parte extr. T. 9.

L. 3. de pœnit. c 4 § Sed hæc objectio.

rutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini. Atque hæc ipsa Iacobi apud hunc verba produnt eum alium esse ab Augustino; Is enim Iacobi verba, ut paulò ante repræsentavimus, aliter quàm iste reddit qui eam, quam habemus Latini Interpretis versionem exhibet; aliam verus Augustinus. Sed hæc obiter. Iam ex istis Pseud-Augustini verbis quomodo conficit Bellarminus Iacobæum locum *de ea confessione simpliciter esse intelligendum, quæ fit sacerdoti?* Ille verò confitendum ait *Deo & sanctis, Deumque timentibus.* Tuam fidem Bellarmine, an soli sacerdotes *Sancti, Deumque timentes?* An omnes sacerdotes *sancti Deumque timentes?* Si hoc confeceris, equidem concedam istum intelligere *soli confitendum sacerdoti.* Sin fateris, quod verum est, & multos sacerdotes esse *non sanctos*, neque *Deum timentes*, & multos non sacerdotes esse *sanctos Deumque timentes*, effugere non potes, quin concedas istum qui *sanctis & Deum timentibus confitendum* dicit, intellexisse & aliis quam *sacerdotibus* confitendum, & *sacerdotibus* interdum nō confitendum. Hincmarus, noni sæculi scriptor, Augustini interpretationem sequitur. *Quotidiana autem* (inquit) *leviaque peccata, secundum Iacobi Apostoli hortamentum, alterutrum coæqualibus quotidie confitenda sunt; Quæ quotidiana eorū oratione, cum quotidianis piis actibus credenda sunt mundari, si cum benignitate mentis in oratione Dominica veraciter dicatur,* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Cap. xv.

ep. ad Hildebold t. 2. num. 40. pag. 688.

Superest ultimus, ex prima scilicet Ioannis Epistola locus; *Si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est, & justus, qui dimittat nobis delicta nostra, & purget nos ex omni iniquitate.* Hunc quidem, qui secum de confessione apud unum sacerdotem facienda interpretaretur, Bellarminus neminem è Patribus vel attulit, vel afferre potuit. Ego unum dabo, sed πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, qui longè aliter, planeque nobiscum ea Ioannis verba accepit; & quidem hanc eius epistolam ex professo interpretans. Isidem ille est Augustinus, quem modò de Iacobo nobiscum quoque sentientem audiebamus. Ille ergo ad hæc Ioannis verba, *delicta nostra, Non tantùm* (inquit) *præterita, sed & si qua forte contraxerimus ex hac vita; quia non potest homo, quamdiu carnem portat, non habere vel levia peccata. Sed ista levia, quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam. Et quæ spes est? Ante omnia confessio, ne quisquam se dicat justum, & ante oculos Dei, qui videt, quod est, erigat cervicem homo, qui non erat, & est.* Mox: *Humilitas pertinet ad confessionem, qua confitemur nos peccatores esse: ipsa est humilitas, non ut dicamus illud lingua, quasi propter arrogantiam, ne displiceamus hominibus, si nos justos dixerimus. Faciunt hoc impii & insani. Scio quidem, quia justus sum. Sed quid dicturus sum ante homines? Si me justum dixero, quis ferat? quis toleret? Apud Deum nota sit justitia mea. Ego tamen dicam me peccatorem, non quia sum, sed ne arrogantia odiosus inveniar. Dic hominibus*

1 Ioan. 1.

tract. 1 in 1. ep. Ioan. t. 9. p. 257. A.

CAP. XV. *nibus, quid es; Dic Deo quid es; quia si non dixeris Deo, quod es, damnat Deus quod in te inveniet. Non vis ut ille damnet? tu damna. Vis ut ille ignoscat? tu agnosce, ut possis Deo dicere*, Averte faciem tuam à peccatis meis.

Psal. 50. *Dic illi etiam illa verba in Psalmo*, Quoniam iniquitatem meam ego agnosco. Tum, *si dixeris non peccavi, illum facis mendacem, cùm te vis facere veracem.* Denique locum sic concludit; *Fidelis est & justus, ut dimittat nobis delicta nostra, si semper tibi displiceas, & muteris donec perficiaris.* Hactenus Augustinus, ex quo, ut liquet, *peccata confiteri* quod à nobis exigit Ioannes, est *non justum se dicere*, neque *ante Dei oculos cervicem erigere*; *confiteri se peccatorem esse, non lingua tantum apud homines, ne aliter ob arrogantiam simus odiosi, sed multò magis mente, atque animo apud Deū, nos ipsos damnare, ne ille damnet; iniquitatem nostram agnoscere Deumque deprecari, ut faciem a peccatis nostris avertat*; denique, *sic affectos esse ut nos nobis ipsis displiceamus, & mutemur donec perficiamur.* Hæc quidem præclara sunt, & Scripturis plane consentanea, sed ab arcana delictorum in aurem unius sacrificuli recitatione, penitus aliena. Itaque cùm ex istis, quæ breviter percurrimus, constet nullum esse ex Novi Testamenti locis ab adversario pro suæ confessionis dogmate adductis, quem non aliter, quàm ipse, Patres interpretentur, clarum est totum hoc auriculare istorum mysterium Patribus ignotum fuisse; quod si scivissent, & in usu habuissent, id ex iis locis haud dubie perinde ac hodie faciunt adversarij, collecturi & observaturi erant, vel aliquam certè eius in istis explicandis, atque interpretandis mentionem injecturi.

Ea verò, quibus suum hoc confessionale tormentum figuratum fuisse jactant, nihil opus est operosius excutere. Primùm enim ex illis duo sunt ad quæ ne Bellarminus quidem ullum ex veteribus testimoniū attulit, scilicet & Mosaïca illa delinquentium confessio, quam suæ figuram tertiam frustra, ut demonstravimus, recenset, & eorum qui à Ioanne baptizabantur confessio, quam deinceps quarto loco attulit. Secundò. Etiamsi tria reliqua, quibus adversarius confessionis suæ figuras cōtineri vult, Patres pro ingenio, & more suo ad mysticas significationes varie traxerint, non possunt tamen in iis confessionem istorum auricularem intellexisse; quæ, ut ex superioribus patet, planè ignota iis fuit. Itaque siquis eorum in huiusmodi locis *confessionis* meminit, eius meminit, quæ sibi, suoque sæculo nota & usitata fuit. De illa altera Innocentiana tam multis post sæculis exorta, ne per somnium quidem cogitasse quisquam eorum videtur. Quod ut clarius elucescat, quæ ad tres illas ab adversariis confictas figuras, Bellarminus ex Patribus attulit, paucis persequamur. Prima erat ab Adæ & Caïni interrogatione petita, qua significatum vult adversarius peccatores sua delicta in aurem sacerdotis confiteri; quod quam sit futile, quamque absurdum suprà suo loco demonstravi. Quid ad hæc Patres? Tertullianus ait, Deum quasi incertum interrogasse & Adamum & Caïnum, ut *hinc liberi arbitrij probans*

[Margin: l. 3. de pœnit. c. 3. §. Tertia §. Quarta.]

probans hominem, in caussa vel negationis, vel confessionis, daret ei locum vel CAP. XV.
sponte confitendi delicti, & hoc nomine relevandi (sic enim legendum, non ibid § Iri
revelandi, ut mendose habet adversarius) *vel sponte negandi, & hoc nomi-* § Quarto.
ne gravandi; atque ita nobis conderentur exempla confitendorum potius deli- Tertul. contr Marcion c.15.
ctorum, quam negandorum. Quasi verò quisquam dubitet, peccata neganti, damnationem; confitenti, absolutionem esse apud Deum paratam. Quæritur de ea confessione, quæ homini fit in aurem, ut isti volunt, necessariò. Tertullianus de *confessione* in genere loquitur, imò Scripturæ, ad quam ille hæc observat, eam quæ apud Deum fit, significari clamat. Nam & Adam & Cain vituperantur, quod peccata vel elevarint, vel negarint, non apud alicuius sacrificuli tribunal, sed apud Dominum. Ergo & Tertullianus de eadem quoque sive confessione, sive negatione intelligit; ea nimirum, quæ utraque apud Deum fit. Neque aliam intelligit Ambrosius, quàm quæ fit apud Dominum *scrutatorem* (inquit) *animorum & cogitationum, usque ad divisionem animæ penetrantem.* Et quod ex Proverbiis habet, vel Estio teste ac auctore, de eadem apud Deum confessione intelligendum, *Iustus accusator est sui in principio sermonis.* Itaque & hæc, quæ subjicit Ambrosius, de eadem itidem accipienda. *Neque enim potest quisquam justificari à peccato, nisi peccatum ante fuerit confessus*; Deo scilicet, non autem homini, cui etiam non confessos in baptismo tamen justificari concedunt adversarij. Eadem Ambrosij mens in altero quoque loco est, in quo de Caïno à Deo interrogato, & peccatum negante, disserens, ait *confessionem pœnarum esse compendium*; quia scilicet *mitigat judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. Vult te* (inquit) *provocare ad pœnitentiam Deus: Vult de se sperari indulgentiam; vult demonstrare tua confessione quod non sit auctor malitiæ. Nam qui peccatum suum ad quandam referunt, ut gentiles asserunt, decreti, aut operis sui necessitatem, divina arguere videntur: quasi ipsorum vis peccati caussa sit.* Ex his vides *confessionem*, quam ex Caïni historia commendat Ambrosius, eam esse qua ex animo apud Deum agnoscimus nos peccasse vereque reos esse, neque peccata nostra in alius caussas transcribimus; qua, ut Scriptura loquitur, Deo gloriam damus; scelera nostra non aliis, sed voluntati ac malitiæ nostræ imputamus. Chrysostomi eadem, quæ Ambrosij, mens in illa de Caïno narratione explicanda; *Deus* Adamum, (inquit) rogabat, Vbi es, *non ignorans, sed fiduciæ* Hom. 19. in
occasiones illi præbens, ὥστε διὰ τῆς ὁμολογίας τοῦ πλάσματος ἀποψήξασθαι τὸ gen. t. T. p. 181. c.
πλημμέλημα, *ut per confessionem peccati delictum ablueret.* Certè non potest hic alia *confessio* intelligi, quàm quæ apud Deum facienda erat. Itaque de eadem quoque accipienda sunt, quæ sequuntur. τοῦτο γὰρ ἔθος αὐτῷ ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς τὴν ὁμολογίαν ἀπαιτεῖν παρ' ἡμῶν τῶν ἡμαρτηκότων, καὶ συγχώρησιν παρέχειν. *Hunc enim morem jam à principio habet, ut à nobis peccatorum confessionem exigat, & veniam præbeat.* Ergo & eodem pertinent quæ ille statim de Caïno subiicit; *Dominum eum rogasse*, Vbi

Marginal notes: l. de paradiso. c. 14. p. 310. a. — Prov. 18. — ibid. d. — l. de Cain & Abel. c. 9. in.

Cap. xv. est Abel frater tuus? ἵνα διὰ τῆς ἐρωτήσεως παρασκευάσῃ τὸν τοιαῦτα εἰργασμένον ἐπειχθῆναι πρὸς τὴν ὁμολογίαν τοῦ πλημμελήματος, καὶ δυνηθῇ συγγνώμης τινος ἴσως καὶ φιλανθρωπίας ἐπιτυχεῖν, *ut hac interrogatione eum, qui talia commiserat, præpararet, & adduceret ad peccati confessionem, veniamque fortè & humanitatem consequendam.* *Confessionem* ait, quæ apud Deum judicem à reo fieret interrogato; non apud alicuius sacrificuli tribunal, quod nullum tum in terris fuisse certum est. Neque alia Gregorius Romanus de Adæ & Evæ interrogatione commentatur; *Ad hoc requisiti fuerant,* (inquit) *ut peccatum, quod trasgrediendo commiserant, confitendo delerent.* Tum; *Interrogatus itaque homo est ubi esset, ut perpetratam culpam respiceret & confitendo cognosceret, quam longe a conditoris sui facie abesset. Confitendo*, inquit. Apud quem? Apud judicem scilicet interrogantem. Is autē, ut quivis videt, Dominus fuit, nō aliquis de hominum genere. Ergo auricularem Bellarmini confessionem in illa Adæ & Caïni caussa non veteres magis, quàm nostri homines viderunt.

l. 22. in Iob. c 13. init.

ubi supr. §. Hanc.

Neque eam sanè quisquam Patrum in lepræ Iudaïcæ judicio deprehendit. De Hieronymo, cuius hic Bellarminus quemdam in Matthæū locum adhibet, jam suprà abundè satisfecimus. In Chrysostomo, etiam multo minus, quàm in Hieronymo, difficultatis est. Quid enim ille habet, quod ad istorum caussam faciat? Christiani Episcopatus amplitudinem, ac dignitatem celebrans nostros Episcopos cum Iudæorum sacerdotibus contendit; Hos ait potestatem habuisse λέπραν σώματος ἀπαλλάττειν, μᾶλλον δὲ ἀπαλλάττειν μὲν οὐδαμῶς, τοὺς δὲ ἀπαλλαγέντας δοκιμάζειν μόνον. *corporea lepra purgandæ, imò ne purgandæ quidem, sed ea purgatos probandi.*

L. 3. de sacerd. c. 6. T. 4. p. 30.

Nostros verò potestatem accepisse οὐ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν ψυχῆς, οὐκ ἀπαλλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς, *non corporea lepræ, sed spiritualis animi immunditiæ, non probandæ, postquam ea purgata est, sed prorsum purgandæ.* Quasi verò non aliter, quàm arcano in aurem sacerdotis murmure peccati lepra purgari possit. Ait Chrysostomus ab episcopis *animæ immunditiem purgari.* Quis negat, aut eos in corporis curandis morbis versari contendit? Certè non alio spectat omne eorum ministerium; Non aliò iis credita tum Evangelij publica, privataque, apud universos, apud paucos, apud unum, promulgatio, ac prædicatio; non alio baptismi, non alio Eucharistiæ administratio; quam Chrysostomus magnificè in iis, quæ locum istum antecedunt, commendabat. Vel tu nega istis hominum animos leprâ spirituali purgari; vel certè concede, quod ille ait *sacerdotes nunc lepram animæ purgare*, aliò pertinere posse, quàm ad tuæ confessionis mysterium; quæ hic Chrysostomò ne nominata quidem est, ut planè singularis sit Bellarmini inverecundia, qui scribere ausus est Chrysostomum hoc in loco docere Leviticum illud de leprâ judicium *figuram fuisse sacramenti confessionis*: quam tamen constat neque *confessionem*, neque *Sacramentum*, neq; aliud

aliud quod istis respondeat, quicquam illic memorasse. Prætoria sacerdotum potestas, quam his Chrysostomi verbis confirmari putat adversarius, ad aliam controversiam pertinet. Neque sane, quod animæ *lepram curant*, eo *judices* constitui verum est: Potius *medicos* eò demonstrari dixerim, quorum, ut omnes intelligunt, & officium est morbos curare, neque ulla tamen est in ægrotos prætoria, aut judicialis potestas. Cap. xv.

Superest Lazari resuscitati historia: in qua adversarij suam quoque confessionem somniant. Non sic veteres, quorum nubem hic nobis frustrà obiicit Bellarminus. Ad Augustini locum ex homilia vicesima septima, quem hic inter cæteros citat, jam supra demonstravimus Lazaro ex tumulo procedenti, & fasciis circumstantium manu exsoluto ab Augustino comparari *pœnitentes*, non hodierni confessionarij tribunalis (qui & illo sæculo ignoti erant, & in occulto delitescunt verius, quàm in apertū prodeunt) sed publicè exomologesin ex illius sæculi disciplina facientes; quibus verè, proprieque illud convenit, quod alibi ait Augustinus, *ab occultis* (inquit) *velut exeundo se manifestant*; cum scilicet in publica Ecclesiæ luce, sub fratrum omnium oculis, peccata plangebant, & vincula, quibus illigati adhuc erant, ostentabant, quin & interdum *catenas* in huius rei symbolum, circumferebant: quibus tandem ab episcopo palàm, omnibus inspectantibus, tum demum exsolvebantur, cùm pacem & reconciliationem impetrabant. Eò pertinent quæcumque ex Augustino afferuntur, ut illa verbi gratia, *Cùm audis hominē confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est: sed nondum solutus est. Quandò & a quibus solvitur*: Quæ solveritis in terra (inquit) erunt soluta & in cœlo. *Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: suscitari autem ipse mortuus, nonnisi intus clamante Domino potest.* Publicè pœnitentes intelligit, qui vi divini Spiritus à Christo vivificati, Ecclesiæ ministerio ac manu publicè absolvebantur. Sic & idem alibi: *Qui confitetur*; hoc est qui exomologesin facit publice scilicet ex illius sæculi more) *foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret. Vivere non posset, nisi resuscitatus esset.* Mox. *Iam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est*, Quæ solveritis soluta erunt, *nisi quod ait Dominus continuo ad discipulos*, Solvite illum, & finite abire? Nimirum excommunicationis vinculum, quô pœnitens illigatus tenebatur, palam solvit, & ad mensam Domini reconciliatum venire finit. Sed idem alibi rem totam sic explanat, ut nullus relictus sit ambigendi locus. Tres enim peccatorum gradus facit, primum *eorum, qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent*: alterum *eorum, qui post consensum eunt in factum*: tertium denique eorum, *qui faciendo, quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos finat videre, quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum.* Itaque primos filiæ archisynagogi mortuæ quidem,

Ioann 11. Bell. vb. supr. §. Quinta.

tract. 49. in Ioann.

Conc. 1. in Ps. 101.

de verb. Dom. serm. 8. c. 1.

ibid c. 2.

de verb Dom. serm. 44 c. 1.

ibid. c. 4. & 5.

CAP. XV. dem, sed nondum elatæ comparat, Secundos filio viduæ, jam elato,
Matth. 9. nondum deposito: tertios Lazaro mortuo, elato, deposito, conclamato,
Luc. 7. jam fœtenti. Omnes à Christo vi verbi, ac spiritus resuscitari: cæte-
Ioann. 11. rum alia, atque alia conditione docet. Nam in eorum, qui sunt priorum duorum ordinum, suscitatione, nullam plane facit ministerij illius Ecclesiastici, quô peccatores solvuntur, mentionem. Id in tertio tantum genere memorat, eoque proprie refert, quod à Christo dictum est,
ibid. c. 6. *Solvite eum, & sinite abire.* Ergo quos & hîc & alibi passim *confessione è peccati sepulcro prodire, & vinculis à Christi ministris solvi ait*, ii non quivis peccatores sunt, sed *quatriduani tantùm*, ut dicit, *& jam fœtentes*, hoc est (ut ipse intelligit) longa peccandi consuetudine pressi, sepultique,
ibid. c. 5. quibus *factum in consuetudinem vertitur, atque ita fit quædam desperatio.* Iam istos excommunicatos olim publicæque, si ad se redirent, exomologesi subjectos fuisse omnes sciunt. Ergo cùm non alia, quàm isti soli Lazaro resuscitato, mox & soluto comparentur, clarum est non aliorum, quàm publicè pœnitentium confessionem & Augustinum, & cæteros intellexisse: quoties Lazari de tumulo progressui *confessionem peccatorum* compararunt, non adeò auriculare adversariorum mysterium, quod non horum modò, sed omnium omninò lapsorum, imò fidelium commune esse volunt. Hæc clara est, & invicta demonstratio, ex quâ de cæteris omnibus, sive Augustini ipsius, sive aliorum Patrum dictis judicandum
l. 22. in Iob. c. 14. est. Quale illud est Gregorij ab adversario indicatum: *Mortuo* (inquit) *dicitur*, Veni foras, *ut nimirum homo in peccato suo mortuus, & per molem malæ consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, à se ipso foras exeat per confessionem.* Augustini, à quo iste ferè habet quicquid boni habet) vestigia, & verba pœnè ipsa vides, ut dubitandum non sit, quin eadem quoque mens eius fuerit. De altero eiusdem ex homilia vicesima sexta loco quem & hic secum obtrudit Bellarminus, jam supra diximus, eumque ostendimus ad publice pœniten-
hom. 26. 26. in Evang. tes pariter quoque pertinere. Neque alio respexerat Ambrosius eo loco, quem Bellarminus notavit. Primò enim pro iis, de quibus loquitur
l. 2. de pœn. c. 7. peccatoribus, sive mortuis, ait *flere Martham, boni fœminam ministerij, & flere Mariam, quæ attente audiebat verbum Dei,* hoc est Ecclesiam, *quæ* (ut ipse ait) *optimam partem sibi elegit. Movebitur* (inquit) *Christus misericordia, cùm viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, & dicet,* Vbi posui-
* leg. reorum. stis eum, *hoc est, in quo rerum* * *statu est, in quo pœnitentium ordine? Videam, quem fletis, ut lacrymis suis ipse me moveat. Videam, si jam peccato ei, cuius venia poscitur, defunctus est. Dicet plebs*; *Veni & vide. Quid est veni? hoc est veniat peccatorum remissio*; *veniat defunctorum vita, mortuorum resurrectio*; *veniat & in hunc peccatorem regnum tuum.* Tum, Iesus *solam flere* (inquit) *non patitur Ecclesiam.* Ergo peccator iste, quem significat Ambrosius, publicæ pœnitentiæ reus est, quem scilicet Maria & Martha, quem Ecclesia flet, de quo Christus plurimorum lacrymas videt, qui

in aliquo pœnitentium ordine est, hoc est vel flentium, vel audientium, vel ὑποπιπτόντων; pro quô denique plebs Dominum precatur. Ergo eiusdem quoque generis est; quæ mox subiicitur confessio; *Veni foràs, hoc est quid iaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere? Exi foras; delictum tuum prode ut iustificeris. Ore confessio fit ad salutem.* Excitat scilicet eum ad exomologesin, quæ publicè fiebat, non quidem singulorum delictorum (ut nunc in arcano fit) recitatione, sed clara peccati detestatione, reatum & verbis & lacrymis & omni denique corporis gestu, actu, atque habitu profitendo, criminumque pœnas deprecando, Ecclesiæ preces, atque opem ad impetrandam Domini indulgentiam, flagitando. Quid hæc ad occultam cuiusvis peccatoris sua in unius hominis aurem delicta tacito murmure insusurrantis confessionem? Illa vero Irenæi quæ Bellarminus huc quoque attulit, longè alio pertinent: *Lazare* veni foràs; & exivit (*inquit*) mortuus, colligatus pedes, & manus institis. *Hoc symbolum eius hominis, qui inligatus fuerat in peccatis. Et propter hoc ait Dominus*; Solvite illum, & dimittite eum abire. Disputat eo loco Irenæus contra hæreticos carnis huius resurrectionem negantes; iisque obiicit tria illa mortuorum à Christo, dùm in terris esset, resuscitatorum prodita in Evangeliis exempla, quorum ultimum, Lazari est. Ostendit eos in iisdem illis, in quibus mortui fuerant, corporibus revixisse, indeque conficit nos pariter novissima die in eadem hac, in qua nunc vivimus, carne olim resurrecturos: *Dominum* enim *per temporalia præformasse æterna, & ostendisse quoniam ipse est, qui curationem plasmati suo, & vitam præstare potest uti eius de resurrectione quoque credatur sermo.* Iam Lazari, quod ex tribus ultimum est, exemplum enarrans, observat obiter id, quod à Ioanne dicitur, Lazarum fuisse *colligatum pedes & manus institis*: eoque vult symbolice significatum fuisse peccatorum vincula & nexus, quibus homines Christo resuscitati illigati fuerunt. Id autem contra hæreticos notat, ut eo veluti symbolo probet eum, qui olim resurrecturus est, illum ipsum hominem esse, qui nunc in sæculo vivit. Vt enim Lazari corpus idem illud resurrexit, quod fasciis, atque institis à pollinctore involutum, atque obligatum fuerat, non autem aliud in eius locum suffectum, ac recens à Christo effictum, ita se fidelium resurrectionem habituram. Non enim alios novos ex siderea materia, vel ex aliquo supercœlesti elemento in novam formam creatos homines in cœlis cum Christo vecturos, Sed eosdem illos, qui peccatis velut quibusdam institis obligati nunc à Christo convertuntur, eosdem inquam illos resurrecturos. Illæ (inquit) Lazari institæ symbola sunt peccatorum, quibus homo illigatus est. Vt ergo ea caro in Lazaro suscitata est, quæ institis colligata iacuerat; ita & in nobis idem ille homo, qui peccatis illigatus fuit, resurget. Non autem is resurget, si vera sunt, quæ fabulantur hæretici, sed alius nescio quis novus, nullis umquam antea peccatis illigatus. Ex quibus patet,

l. 5. adver. hær. c. 13.

quis.

Cap. xvi. quis sit verborum Irenæi sensus: *Hoc symbolum eius hominis, qui illigatus fuerat in peccatis:* nimirum Lazarum fasciatum, & ligatum ideo resurrexisse, ut & olim resurrecturum significaretur eundem illum hominem, qui illigatus fuerat in peccatis: non alium, hoc est huius ipsius carnis, non autem alterius substantiæ hominem. Quod ipsum hinc concludit Irenæus: *Sicut igitur* (inquit) *qui curati sunt. in his, quæ ante passa fuerant membra, curati sunt, & mortui in iisdem surrexerunt corporibus, membris & corporibus ipsorum percipientibus curationem, &c. Sic & in fine, in novissima tuba, clamante Domino resurrectui sunt mortui.* Illa verò adversariorum de confessionali sua disciplina deliratio, in quâ & Bellarminus, & maximè Feuardentius sibi placent, ac plaudunt, à tota Irenæi disputatione, mente ac scopo planè, penitusque aliena est. Quanquam ne in eum quidem, quem volunt, sensum accepta hæc eius verba, quicquam istos juvabunt. Nam si eum admitterem, ista de homine publice ex veteri disciplina pœnitente intelligere sicuti nuper Augustini, Ambrosij, & Gregorij loca interpretati sumus. Atque ex his jam satis, ni fallor, intelligitur, quàm nullam veteres auricularis confessionis mentionem ad aliquem eorum Scripturæ locorum fecerint, ex quibus eam hodie demonstrare conantur adversarij: sed ea loca omnia aliter, quam nunc isti interpretati fuerint; sive litteraliter, (ut loquuntur) sive etiam mysticè & allegoricè, unde postremò concludendum est ignotam iis fuisse hodiernam omnem confessionis istius disciplinam.

Caput XVI.

Argumentum XVI. inde sumptum, quod Patres in libris de pœnitentia ex professo scriptis, istius confessionis arcanæ, quæ pœnitentiæ pars necessaria putatur, nulli meminerint.

IDem quoque ex eô non minùs clarè apparet, quod Patres in iis libris, in quibus ex professo de pœnitentia disputant, auricularis istius confessionis nunquam meminerunt. Extat Tertulliani de eo argumento liber. Extant Ambrosij duo eiusdem tituli volumina & multa eodem pertinentia commentario in Psalmum 37. extant Augustini eiusdem argumenti sermones & epistolæ complures. Nihil in istis omnibus de confessione auriculari reperitur, & quæ eò trahunt adversarij, perperam, atque absurdè ea torquent, unius caussæ studio excæcati, ut & ex iis quæ supra diximus patuit, & ex dicendis luculentius etiam patebit. Atqui si *confessio auricularis necessaria* pœnitentiæ pars est, ut isti Romæ patroni definiunt: si omnes omninò Christiani jam inde à prima pubertate ad ultimum usque vitę articulum hac *confitendi* lege ita tenentur obstricti,

obstricti, ut neminem hoc officio vel ipsius Papæ auctoritas, quam summam esse putant, solvere, aut (ut loquuntur) *dispensare* queat, si id ita sanctum, ac necessarium est, ut sine confessione neque contritio, neque vitæ emendatio ad consequendam peccatorum remissionem quicquam valeat: quæ sunt adversariorum κυρίαι δόξαι, quis non videt, quantum sit, quamque inexpiabile eius scriptoris flagitium, qui de pœnitentia disputare instituens hanc eius essentialem planeq; necessariã partem omittit, ac si quis de humani corporis natura ac partibus tractans, de corde, vel de capite nihil dicat? Tanta, tamque immanis negligentia non dico in summi ingenij, summæque sapientiæ scriptores, quales veteres isti fuerunt, sed ne in homines quidem communi sensu præditos, cadere potest. Aspice mihi novitios istos de Romana schola huius argumenti tractatores. Lutei sunt, & straminei haud sanè pauci. Nemo tamen adeò stultus fuit, qui de pœnitentia scribens confessionis Innocentianæ mysterium intactum prætermiserit. Planè penitusque prætermiserunt Tertullianus, Ambrosius, & Augustinus, maximi omnes, & incomparabiles viri; singulari solertia, & facundia & copia in omni argumentorum, de quibus disputant, genere versati; nequid de cæteris dicam, quorum licet magna, minor tamen, quam istorum, est vel eruditio, vel fama. Vnde hic tantorum heroum in una hac re stupor? Vnde illa ingeniorum in cæteris admirabilium, tanta hic inertia? tanta, tamque flagitiosa oblivio? Equidem non video, qua ratione crimen hoc depellere, & aspersam eorum nomini fœdissimam hanc labem abstergere possis, nisi id, quod res est, confitendo, ac defendendo; scilicet istos, hoc quantumvis magnum, necessariumque mysterium, nescivisse, meritò, qui antè Innocentium, primum eius parentem, multis sæculis vixere, non adeò esse mirandum, quod sollertes licet, ac facundi, rem ignotam omiserint; non magis, quàm quod vel Aristoteles de republica Veneta, vel Cæsar de tormentis nostris bellicis, uel iidem illi Patres de Iesuitarum artibus, ac familia nihil scripserint.

CAP. XVI.

CAPUT XVII.

Argumentum XVII. quo demonstratur Innocentianam confessionem fuisse veteribus ignotam, ex eo quod, cùm veteres tres tantum agnoverint pœnitentiæ species antebaptismalem, quotidianam fidelium, & publicam lapsorum, confessionem Innocentianam ad nullam ex his pertinuisse certum sit.

SED eorum quidem non modo in talibus locis silentium, verùm disertæ quoque voces, scriptisque expressæ sententiæ docent, quàm ignotum ipsis fuerit novitium istud Innocentij inventum. Itaque iam excutiamus, quæ illorum fuerit de pœnitentiæ ingenio, partibus, ac generibus sententia; quam si paulò accuratius serutemur, vix erit, ut non multa offendamus, quæ nos doceant, an illi hanc adversariorum disciplinam perspectam habuerint.

Principiò Augustinus pluribus in locis sæpè ac constanter docet tres esse pœnitentiæ sive species, sive, ut ipse loquitur, actiones, *usitatas in Ecclesia Dei, & diligenter attendentibus notas; quas mecum* (inquit ad auditores) *vestra eruditio recognoscit.* Eas fuse, more suo, describit in eo opere, cui Beda non semel *libri de pœnitentia* nomen, ac titulum tribuit. In vulgatis Augustini codicibus ultima est earum homiliarum, quæ à numero *Quinquaginta* vocantur. Nos quædã inde recitabimus. Sic ergo tres istas pœnitentiæ actiones exsequitur; *Vna est* (inquit) *qua novum hominẽ parturit, donec per baptismũ salutare omniũ præteritorum fiat ablutio peccatorũ ut tanquã puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, & tristitiæ lætitia consequatur. Omnis enim, qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cùm accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cùm baptizantur, soli parvuli sunt immunes. Nondum enim uti possunt libero arbitrio, &c. Cæterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse, quod erat. Hæc prima pœnitentia præcipitur Iudæis, dicente Apostolo Petro.* Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi. *Talis ab ipso Domino imperabatur, cum diceret*, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. *De hac etiam Ioannes Baptista, plenus Spiritu sancto, præcursor & præparator viæ Dominicæ dicit;* Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Hæc Augustinus ex quibus patet, non quosvis adultos temerè ad baptismum admissos olim fuisse; sed eos tantùm, qui pœnitentiam agerent; hoc est qui se & præteritorum peccatorum pœnitere, & sanctè in posterum

Beda in 1 Corinth 5. & 6.

l. 50. homil. hom. 50. c. 1. T. 10.

Act. 2.

Matth. 4.

Matth. 3.

rum secundùm Christi disciplinam vivere velle testarentur. Alibi clarissimè docet Augustinus, quorum animus in aliquo flagitio erat obstinatus, eos à baptismo repulsos fuisse: baptizandosque non de sola fide, sed etiam de moribus esse instruendos, corripiendosque & emendandos, antequàm ad baptismum admittendos. Itaque tum erant certi cathechumenorum gradus, quos fusè describit Albaspineus: in quibus illi tamdiu detinebantur, donec ad baptismum suscipiendum parati essent. De hac pœnitentia Tertullianus agit totis libri, quem *de pœnitentia* inscripsit, primis capitibus sex: & Arnaldus observat hanc ferè intelligere, quoties de *pœnitentia* loquuntur Patres, qui ante Tertullianum vixerunt. Huius autem pœnitentiæ suam quoque fuisse peccatorum confessionem, patet ex Tertulliano, cuius hæc sunt disertissima in eam rem verba: *Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus*, & pervigiliis *orare oportet, & cum confessione omnium retrò delictorum.* Quo & illa Cyrilli Hierosolymitani ad baptizandum, sive illuminandum pertinent: *Tempus præsens est tempus confessionis. Confiteare, quæ perpetrasti sive verbo, sive opere.* Græca sic habent: καιρὸς ἐξομολογήσεως ὁ παρὼν· ἐξομολόγησαι τὰ πεπραγμένα τὰ ἐν λόγῳ, τὰ ἐν ἔργῳ. Eoque referenda esse videntur, quæ idem habet in homilia secunda, ubi multis de confessione & pœnitentia disserit. Sic etiam Gregorius Nazianzenus, μὴ ἀπαξιώσῃς ἐξαγορεῦσαί σου τὴν ἁμαρτίαν εἰδὼς ὅπως Ἰωάννης ἐβάπτιζεν, ἵνα τὴν ἐκεῖθεν αἰσχύνην τῇ ἐνταῦθα φύγῃς. *Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, sciens quo pacto Ioannes baptizaverit, & per huius vitæ pudorem futuri sæculi pudorem, ignominiamque fugias.* Ac Albaspineo quidem confessionem hanc non soli Deo, sed etiam ministris, à quibus catechumenus baptizandus erat, factam fuisse, libens assentior. Quod verò idem vult & arcanam fuisse & auricularem, & singulorum particulatim delictorum, admittere non possum. Certè locus Nazianzeni tam probat non uni ministro, quàm non uni Deo factam fuisse: Quæ enim quæso ignominia est delicta ignorantiæ tuæ tempore commissa uni homini numquam ea revelaturo, in aurem submisso murmure, susurrare? Potius palàm, & in conspectu Ecclesiæ factam crediderim. Illud verò alterum, quod ea confessio singulorum particulatim delictorum fuerit, etiam absurdius est, & cum communi ipsorum quoque adversariorum sententia vehementer pugnat, qui (ut notum est) passim docent satis esse ut baptizandi *significent in genere se peccata sua detestari*, magnumque hac in parte *baptismi*, & *pœnitentiæ* discrimen statuunt. Huic Latinorum opinioni ipsa quoque eorumdem praxis congruit, quoties adultis sacrum lavacrum ministrant. Nam & ab his, antequam eos tingant, confessionem exigunt, sed interiorem apud Deum, apud se verò generalem duntaxat. Quo pertinet, quod Trigautius Iesuitarum apud Sinas rerum scriptor, tradit suos istic competentes ante baptismi susceptionem de peccatis suis actu aliquo conteri, eumque actum scripto, ut plurimum, ab hominibus

Cap. xvii.

T. 4. l. de fid. & op. c. 6. & 7.

Tradit. de l'Egl. sur la pen. preface p. 118. in. de baptismo, c. 10.

Catech. 1. p. 5.

Catech. 2. p. 21.

Orat. de Sanct. lav. T. 1. p. 657. A.

L. 1. observ. 1.

Thom. Vasq. in 3. Thom. disp. 7. q. 9. pun. 1. T. 4. p. 1183.

Trigaut. in Sinic. l. 4. c. 19. p. 478.

Cap. XVII.
Annal. Iesuit. Canad. a 1635. p. 39.

quidem litteratis concipi solere. Annales Canadenses hunc baptismi ritum clarius omnem explanant, in quibus quidam ex Iesuitarum sodalitio, cui *Iuvenis* nomen fuit, nescio quam ex barbara illa gente catechumenam docet ad suscipiendum baptismum satis esse, ut peccatorum suorum veniam supplici cordis prece à Domino Deo poscat; neque esse necesse, ut palam singula nominatim edat, non enim ab aliis quam à baptizatis requiri particularem illam distinctamque peccatorum confessionem.

ibid. a. 1637. p. 137.

Ita & Brebovius vir eiusdem ordinis, cum mulier quædam Canadensis se innocentem, omnisque delicti expertem esse pertenderet, negavit se ei baptismum aliter collaturum, nisi se peccati ream esse apud Deum agnosceret, atque confiteretur. Se hoc quidem ab ipsa minime postulare, ut omnia apud se peccata sigillatim percenseat atque enumeret: Id vero unum flagitare, ut veram de admissis pœnitentiam testetur. Similem & apud veteres usum fuisse crediderim, nimirum catechumenos baptismum ingressuros palam testatos esse se hactenus in summo errore, impietateque, & omnis generis iniquitate versatos fuisse; Satanæque servivisse, seque agnoscere omnes vitæ suæ anteactæ & cultus & actus à vero Deo, veraque sanctitate alienos fuisse: denique præterita sua studia in genere damnasse omnia. (quod satis erat ignominiosum) singula in specie recitasse haudquaquam probabile est. Ex quibus liquet, quod suprà me iam dixisse memini, neque baptismum ipsum temerè ac sine cognitione & judicio administrandum esse; quod & Cyrillus Alexandrinus

Lib. in Ioan. in c. 10. 12. 13.

docet, cùm ait *& dignos, vitaque gravitate, & constantia fidei probatos ad baptismum vocari, & nondum dignos prohiberi & arceri.* Nunc ad secundam pœnitentiæ actionem veniamus, quam sic definit Augustinus:

hom. 50. c. 3.

Altera verò (inquit) *pœnitentia est, cuius actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus perpetua supplicationis humilitate subeunda est.* Tum quanta sit quotidianæ huius pœnitentiæ necessitas fusissime exsequitur, & propter ipsam vitæ mutabilitatem, atque ignorantiam, denique malitiam, & propter pulverem mundi huius facile etiam sanctissimorum pedibus adhærentem, hoc est propter varia, minora quidem, sed tamen multa, crebraque, & multiplicia peccata; quo fit, ut etiam sanctissimi pœnitentiam hanc quotidie subire debeant: infirmitatem hanc suam fatendo, plagasque peccatorum humili ad Deum precatione, ac

Ibid. c. 4.
Gal. 5.

supplicatione, eleemosynarumque & jejuniorum sacrificiis sanando. Tertia denique inquit *actio pœnitentiæ est, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait*, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. *Et in hac pœnitentia maiorem* (inquit) *quisque in se severitatem debet exercere, ut a se ipso judicatus non judicetur a Domino.* Tum pluribus exsequitur qualis esse debeat tertia hæc pœnitentia, inprimis requirit, ut pœnitens *per Ecclesiasticam disciplinam a sacramento cœlestis panis interim separetur.* Mox, *venire eum jubet ad antistites, & ab iis accipere satisfactionis suæ modum*, totumque sermonem

reli-

reliquum in hac pœnitentia commendanda conſumit. Sed & homilia Cap. xvii.
viceſima ſeptima idem quoque argumentum fuſe explicat, eodemque c. 1. 3. init.
modo triplicem pœnitentiam ſtatuit: *primam competentium, & ad baptiſmum venire ſitientium*: alteram *quotidianam*; quam ex eo demonſtrat, hom. 27. c. 1. & 2.
quod à Domino juſſi ſumus quotidiè Patrem ita precari, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: tertiam, *quæ gravior, atque luctuoſior, in qua propriè* (inquit) *vocantur in Eccleſia pœnitentes*: ibid. c. 3.
etiam remoti à Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne judicium ſibi manducent & bibant. Eadem tradit, ſed brevius, in epiſtola ad Seleucianam: *Agunt* (inquit) *homines ante baptiſmum pœnitentiam de ſuis prioribus peccatis; ita tamen, ut etiam baptizentur*. Tum, quam *tertiam* Epiſt. 108. ult. med.
in duobus nuper recitatis locis dixerat, his verbis commemorat: *Agunt etiam homines pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur, ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui propriè pœnitentes appellantur*. Secundam denique ſic deſcribit: *Eſt etiam pœnitentia bonorum, & humilium fidelium penè quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes*, Dimitte nobis debita noſtra, &c. *Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in baptiſmo: ſed illa utique, quæ humanæ fragilitatis, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt*. Hæc Auguſtinus, quæ cùm tam multis locis, tam diligenter, tamque conſtanter tradat, dubitandum non eſt, quin hæc & ipſius, & cæterorum illius ſæculi Catholicorum publica perpetuaque *de pœnitentia* ſententia fuerit, tres ſcilicet tantùm eſſe, non plures eius ſpecies, ſive actiones; primam catechumenorum competentium ante baptiſmum; ſecundam fidelium quotidianã; tertiam denique eorum, qui peculiariter ac propriè *pœnitentes* dicebantur, à Sacramentorum communione remoti. Iam cùm adverſarij non modo conſentiant, ſed etiam doceant, ac contendant legitimam omnem *confeſſionem* ad pœnitentiam referri, eiuſque partem aliquam eſſe, clarum eſt auricularem iſtorum *confeſſionem* ſi ea Auguſtinianæ, adeoque veteri Eccleſiæ cognita, & uſitata fuit, alicuius ex tribus illis pœnitentiæ generibus partem neceſſario fuiſſe præter quæ ſcilicet nullum aliud pœnitentiæ genus notum iis fuiſſe, ſatis ex Auguſtino probatum eſt. Nunc ergo de ſingulis videamus. Ac primum quidem *pœnitentiæ* genus ab hoc negotio alienum eſſe, ipſi fatentur, quod catechumenorum ſcilicet ante baptiſmum fuit, cum illi *auricularem* ſuam *confeſſionem* baptizatorum tantum eſſe ſciſcant. Sed neque ea ad ſecundam Auguſtini *pœnitentiam* referri poteſt, quæ ſcilicet humili ad Deũ precatione, atque obſecratione, orationis Dominicæ recitatione, eleemoſynarũ ac jejuniorum ſacrificiis ſeorſim, ac privatim à ſingulis fidelibus quotidie, ex ſuo ipſorum judicio fiebat, ſacerdotis verò operam, aut miniſterium neceſſariò non requirebat: cùm auricularis adverſariorum confeſſio non poſſit niſi apud ſacerdotem fieri. Ergo ea neque in hac ſecunda pœnitentiæ ſpecie apud veteres olim vel exigebatur, vel ſolennis erat.

CAP. XVI. Superest tertia pœnitentia veteribus cognita, quæ eorum erat, qui publicè pœnitentiam agebant à sacra cōmunione remoti, ut ex superioribus liquet. Sed neque ad istam pertinuisse, auricularem adversariorum confessionem, palam est. Concedo pœnitentiam publicam acturos ad *antistites venisse*, ut ex Augustino audivimus. Concedo apud eos crimina sua confessos esse, quo ex eorum ingenio legitimus exomologeseos, sive satisfactionis modus præscriberetur: quod & res ipsa docet, & supra ex Leone disertè didicimus. Hanc autem *confessionem*, quæ *publicam pœnitentiam* præcedebat, nego *auricularem* adversariorum *confessionem* fuisse. Primò non constat; an ea uni sacerdoti in aurem facta fuerit, & quidem sub horribili arcani sigillo. Quod enim Leo *secretam* eam vocat, eo significat non in publico coram tota fraternitate factam, (qualiter fiebat istorum, quos damnat, recitatio) coràm uno duntaxat, sacerdote: & quidem in aurem, omnibus semotis arbitris, factam, nequaquam significat. Quod si nonnullis pœnitentium unum sacerdotem in arcano convenire licuisse idque eorum verecundiæ datum fuisse concessero; nō ideò sequetur istorum confessionem necessariò & ex lege auricularem fuisse. Sed aliud est, quod multò clarius huius confessionis ab illo discrimen notat. Illa vetus ab iis tantùm exigebatur, qui publicè pœnitentiam acturi erāt: Hæc ab omnibus exigitur, etiam nullius, publicæ quidem certe pœnitentiæ reis. Illa non aliorum peccatorum erat, quam eorum quæ in canonibus notata ac designata erant: quibusque adeò publica pœnitentia indicebatur: Hæc ut notum est, omnium omninò peccatorum est, & quæ in canonibus notata sunt, & quæ non sunt notata. Præterea ad illam nemo fidelis cogebatur (diversi enim erant *fidelium & pœnitentium* ordines, ut supra observavimus) solis ea pœnitentibus incumbebat; ad hanc omnes fideles sub æternæ damnationis pœna obligantur. Illam Augustinus vetat quemquam fidelium sibi proponere, vel ad eam se præparare. Hanc, si istos audis, perpetuò meditari & exercere omnes debent. Ad illam nemo, nisi semel, admittebatur. Hæc quotannis imò si libet quotidie iteratur. Illa infamia quædam fuit: ut qui pœnitentiam, ad quam huiusmodi confessio pertinebat fecissent, ii ad clericatum aspirare non possent: hæc honori habetur, tantumque abest, ut quemquam ab ulla dignitate sive civili, sive Ecclesiastica excludat, ut qui ab ea abstinent ii pœne Ethnici, ac intestabiles censeantur, vivique Ecclesia, mortui sepultura prohibeantur. Itaque nemo non videt *auricularem* istorum *confessionem*, nequaquam eam confessionem fuisse quæ à publicè pœnitentiam acturis olim edebatur. Cùm ergo non plures, quàm tres istæ, veteribus cognitæ fuerint pœnitentiæ species: neque ad ullam earum referri possit Innocentiana illa confessio, vel cæcus videt, quid sequatur, Augustino scilicet aliisque priscis incognitam nullo apud eos in usu fuisse.

hom 27. c. 3.

CAPVT

Caput XVIII.

Defenditur superior demonstratio; à Bellarmini, Perronij, &c. Strophis, qui volunt apud veteres, præter publicam, aliam privatam pœnitentiam fuisse sacerdotis ministerio necessario procuratam; quod istorum commentum & ex Patribus ipsis; & ex Petavij, Arnaldi & Albaspinei testimonio confutatur.

Adversarii, ut quos in aperto campo ingens repente procella opprimit, alii aliò, quo pavor & cæcus animi impetus tulit, diversi, sed omnes frustrà, diffugiunt. Alii narrant aliam fuisse apud veteres *publicam*, aliam *privatam* confessionem, & illam rursum aliam solennem, aliam non solennem. *Publicam* vocant *in qua peccatum commissum publicatur, & pro eo publicè coram Ecclesia peragitur satisfactio*, Privatam vero *in qua peccatum soli detegitur sacerdoti, & satisfactio occultè ac privatim injungitur peragenda*. Tum *solennis* à non *solenni* multa discrimina statuunt; quæ nunc quidem persequi nihil necesse est, quod utramque, etiam qui ponunt, *publicam* fuisse fatentur, quod nobis in hac disputatione satis est. Eodem ferè recidit, quod affert Perronius *triplicem olim fuisse apud veteres pœnitentiam, publicam unam ob publica peccata, alteram privatam, ac secretam ob occulta; tertiam ob eadem occulta delicta publicam, hæc postrema non est secreta, æternas tantùm peccatorum pœnas, sed etiam temporarias expiatas fuisse, propter satisfactiones, quas ea à pœnitentibus exigebat. Itaque non quoties quis posceret, sed simel tantùm dari, concedique solitam*. Verùm isti sua nobis somnia narrant, non veteris Ecclesiæ instituta. Principiò quod priores ponunt *in publica pœnitentia publicatum fuisse pœnitentis delictum*, merum est figmentum, si intelligunt (ut intelligunt sanè) peccatum quod, qualeve in specie fuisset disertè ac particulatim apud Ecclesiam fuisse recitatum; idque satis refellit vel unus Leonis locus, qui ab ipsis affertur si in quo ille hanc peccatorum publicam recitationem, quæ à quibusdam in Campania fiebat, velut privata temeritate inductam, & ab Apostolica disciplina alienam, explodit atque abrogat. Sed nihil necesse est in hoc errore refellendo immorari, quem Petavius Iesuita satis superque confodit, ut alibi supra monuimus. Secundò, quod tum iidem, tum Perronius quoque statuunt fuisse apud veteres *privatam ac secretam pœnitentiam*, hactenus quidem admitto quatenus de *quotidiana illa pœnitentia* intelligitur, quam Augustinus secundo loco commemorabat. Hanc enim privatim à fidelibus singulis, non autem publicè & in conspectu Ecclesiæ factam fuisse concedo; quæ scilicet à singulis sponte, & suo, non autem sacerdotis judicio, sumebatur.

Bell. l. 1. de pœnit. c. 11.

repliq. p. 555.

pag 556.

Epist. 80.

Cap.xviii. tur. Quod vero volunt isti eam à sacerdote singulis iniunctam, ac præscriptam in arcano fuisse, id nego ac refuto. Neque apud Augustinum, in tam multis quæ ille de quotidiana hac pœnitentia scripsit, quicquam apparet, quo verisimile fiat fideles ad eam suscipiendam sacerdotes consulere debuisse, vel ulla Ecclesiæ lege coactos fuisse. Quæ verò Perronius ad firmandum hoc commentum ex Basilio, Gregorio Nysseno, & Leone affert, ea supra abunde confutavimus demonstravimusque Gregorij & Leonis loca ad publicam, non autem ad privatam, secretamve pœnitentiam pertinere; Basilij verò testimonium nihil ad hanc disputationem facere. Ergo nulla veterum auctoritate nititur, quod isti afferunt de ea pœnitentia, quæ cum sacerdotis judicio ex Ecclesiæ lege necessariò imponeretur, privata tamen, secretaque eadem esset. Nulla huiusmodi apud priorum sæculorum scriptores occurrit. Nullum erat peccatum, quod quidem necessario & ex veteris Ecclesiæ lege ac moribus sacerdoti confitendum esset, cui alia quam publica decerneretur pœnitentia. Sola clericorum crimina excipio, quibus ob munetis, quo fungebantur, dignitatem pœnitentia secreta præscribebatur. Cæterorum omnium eadem lex erat, ut pœnitentiæ publicæ subiicerentur. Evolve omnes veteris Ecclesiæ canones. Nusquam lapsis sive sponte confessis, sive convictis aliam quam publicam pœnitentiam imponi reperies. Idque in omnibus antiquitatis monumentis ita clarum, ac perspicuum est, ut Sorbonæ Doctor Arnaldus illam apud suos vulgarem *antiqua pœnitentiæ in publicam & secretam* divisionem sexcentis locis explodere, atq; irridere, *imaginariamq;* appellare nō sit veritus. Albaspineus eadem quoque sentit, & istam suorum distinctionem apertissime refellit; *Quod ad illam* (inquit) *distinctionem, seu discrimen pœnitentiæ publicæ, seu solennis, privatæ & singularis attinet, quod plerique in medio ponunt, existimantque hac illata, inductaque differentia, omnes difficultatum nodos posse convelli, & dissolvi; qui legentibus & pervolventibus scripta, & canones Patrum inexplicabiles occurrunt; id ipsum nonnisi ad quartum seculum, & consequentes annos referri & valere potest: Primis enim temporibus, non unius, eiusdemque peccati letalis causâ, duo distincta reperias pœnitentiæ genera; nec probare quis possit propter unius fornicationis crimen, sive publicum, sive privatum, aliam fuisse, quam publicam indictam pœnitentiam.* Hæc ille: cætera cum Arnaldo sentiens, hoc tantùm dissentiens, quod illud pœnitentiæ discrimen, quod primis sæculis locum habuisse rectè negat, quarto & sequentibus valuisse, perperam, & temerè, ac sine ulla veterum auctoritate fingit, vel certe concedit. Privatam enim illam apud sacerdotem pœnitentiam nonnisi infimis temporibus receptam fuisse & Arnaldus optimè vidit, & nos infrà pluribus cùm ad ea sæcula ventum fuerit demonstrabimus. Petavius etsi non usquequaque cum Arnaldo consentiat, Perronij tamen eadem illa, quæ nuper descripsimus, multis nominibus reprehendit, ac refutat. Defendit enim capitalia omnia crimina publicæ

Margin notes: vb. sup p. 555. — Obs. l. 1. ob. serv. 5. p. 105. extr. — De la freq. comm. p. 2. c. 3. c. 8. p 150. & passim.

blicæ olim pœnitentiæ subjecta fuisse, *neque alia ratione quam publice obita pœnitentia reconciliari potuisse* quicumque essent huiusmodi peccatorum rei; quo apertissime confodit Peronij somnium, quæ occulta essent etiam in hoc genere, ea secreta à sacerdote injuncta pœnitentia purgari quoque potuisse fingentis. *Vetera* (inquit Petavius) *omnia Concilia, omnesque canonum conditores ita publicam lapsis pœnitentiam præscribunt, ac tempus, rationemque definiunt; ita porrò Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, antiqui ad unum omnes eosdem illos hortando, comminando, objurgando, vel invitos urgent, & impellunt, ut minime hoc illis integrum fuisse significent. Restat igitur nullo ut alio. ac ne privatæ quidem pœnitentiæ subsidio recipi in communionem Ecclesiæ potuisse concedant.* Hæc ille! Certè vel unus à nobis suprà iam memoratus Augustini locus satis est ad demonstrandum veteres *pœnitentiam publicam* ab iis omnibus necessariò exegisse, qui eorum criminum rei erant, quæ in publicis canonibus notata, atque expressa erant; *Nemo* (inquit) *sibi dicat, Occultè ago*; (scilicet pœnitentiam) *apud Deum ago. Nolit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago.* Vides, ut occultam istorum pœnitentiam planè penitusque abiiciat, atque explodat? Tum deinceps allato Theodosij Principis exemplo, publicam ab iis exigit. Frustra ac ridiculè, si quod statuere videtur Perronius, quæ publica pœnitentia procurabantur, eadem privata quoque ac secreta procurari apud veteres fas fuisset. Cùm igitur ista Perroniana vana sint plæraque & ab ipsis adversariis explosa; & utcumque ea se habeant, constet tamen ex Augustino nullam aliam fuisse baptizatorum hominum pœnitentiam, nisi vel quotidianam (quæ sacerdotis ministerium minime requirebat) vel publicam; apparet, quicquid adversarij de suis illis *privatis, publicisque, solennibus*, ac *non solennibus pœnitentiis* garriant, *auricularem* eorum *confessionem*, quæ neque ad quotidianam, neque ad publicam pœnitentiam pertinet, nullo Augustini temporibus in usu fuisse.

Cap. xviii. In Epiph. p. 148.

Ibid. p. 138.

Hom. 49.

Caput XIX.

Defenditur eadem demonstratio contra Arnaldum & Petavium, Ac primò contra hunc demonstratur nullam quotidianæ pœnitentiæ partem sacerdotis apud veteres ministerium necessario desiderasse. Solvitur objectus Augustini locus, & in Petavium retorquetur.

Quid ergo hîc Petavius, & Arnaldus, qui Perroniana & Bellarminiana illa, non probant? Difficile est sane videre, quâ ratione sese hinc explicent. Sic enim eos aperta, invictaque vis veritatis undequaque urget, ut illud arcanæ suæ confessionis (ut sic dicam) Palladium ex his telis eripere, ac in tuto collocare non queant. Nam cùm

Cap. xix. conſtet nullam apud veteres fuiſſe baptizatorum aliam pœnitentiam, præter duas illas ab Auguſtino commemoratas ſpecies *quotidianam* ſcilicet, ac *publicam*, omninò neceſſe eſt, ſi ſuæ confeſſioni conſultum velint; ut horum alterum dicant, ac tueantur, vel in aliqua quotidianæ pœnitentiæ parte neceſſariam fuiſſe delictorum apud ſacerdotes confeſſionem, vel certè publicam pœnitentiam, in qua nos confeſſionem apud miniſtros requiſitam fuiſſe fatemur, omnibus illis peccatis præſcriptam ac indictam olim fuiſſe quorum nunc exiſtimatur neceſſaria in aurem ſacerdotis confeſſio. Nam ſi neque quotidiana ulla pœnitentia confeſſionem apud ſacerdotem exigebat, neque publica ob ea omnia indicebatur, quorū hodie putatur confeſſio apud ſacerdotem neceſſaria; clarum eſt apud veteres nō omnia illa peccata fideles coactos eſſe ſacerdoti confiteri, quæ nunc ei adverſarij neceſſariò ab omnibus cōfitenda eſſe ſtatuunt; adeoque non fuiſſe, olim, apud veteres in uſu, ſolennem nunc iſtorum confeſſionem. Iam ergo videamus num conſiſtere, ac defendi poſſit duorum illorum alterum, ſine quo de auriculari iſtorum confeſſione actum eſt. Ac prius quidem, nimirum ad aliquam *quotidianæ* pœnitentiæ partem neceſſarium fuiſſe ſacerdoti peccata confiteri, Arnaldus ſatis diſertè reiicit; qui ſcribit *Patres non videri Eccleſiæ miniſterium in alia pœnitentia neceſſarium exiſtimaſſe, niſi in rigida, quæ cum altaris ſive Eucharistiæ privatione conjuncta erat*; hoc eſt publica, ut & verum eſt, & ab ipſo Arnaldo confeſſum. Tum etiam ex Beda haberi ait *adeundi ſacerdotis neceſſitatem in iis tantùm peccatis locum habuiſſe, quæ alicuius temporis mora purificari debent*, hoc eſt quæ publica pœnitentia, ex eiuſdē placitis, indigebant. Ergo in cæteris peccatis, quæ non *publica*, ſed *quotidianâ pœnitentia* procurabantur, nihil neceſſe erat fideles ſacerdotem adire, eive ſua, quæ huius generis erant delicta confiteri. Neque ſanè aliud ſentire poteſt, quiſquis ea, quæ de quotidiana pœnitentia fusè ab Auguſtino & ab aliis veteribus ſcripta extant, aliqua cum attentione legerit. Non afferam omnia, quæ hac de re dici poſſent. Quæcumque enim à veteribus dicta ſunt de interioris apud Deum pœnitentiæ validitate, atque efficacia, (quæ ſanè, ut mox docebimus, plurima ſunt atque illuſtriſſima) ea inquam omnia clarè probant in nulla, niſi publica pœnitentia, neceſſariam olim exiſtimatam fuiſſe ſacerdotis vocem, ac manum. Sed huius generis loca, quia poſtmodum commodius in ſequentibus recitabuntur, nunc non deſcribo, cōtentus indicaſſe, quam illa vim habeant ad id, quod agimus, probandum. Sed & idem concludit, (quod ut eſt ab Arnaldo verè & acutè obſervatum) Auguſtinus in ſexcentis locis, quoties de eorum peccatorum remediis verba facit, quibus ſecunda tantùm, hoc eſt quotidiana, non autem tertia, id eſt publica; pœnitentia neceſſaria eſt, nunquam ſacerdotis miniſterium cōmemorat; preces tantùm, jejunia, caritatis opera recenſet, quæ ſine ſacerdotis judicio ſinguli per ſe fideles adminiſtrare poſſunt, cùm tamen alibi, quo-

Part. 2 de la freq. comm. c.7.p.182.

Ibid p. 184.

de la freq. comm. part. 2. c.7 p.182.

bi, quoties de criminibus publica pœnitentia dignis loquitur, toties inculcet peccatorem ministris se sistere inprimis debere. Loca quæ & obvia sunt, & ab Arnaldo fusè descripta, nihil opus est sigillatim afferre. Quæ attigimus, aut postea ex aliis occasionibus afferemus, satis sunt. Atqui nullam aliam esse patet istius discriminis caussam, nisi quod Augustinus pœnitentibus secundi illius generis non putavit ministri operam necessariam: tertij generis, id est publicè pœnitentibus necessariam putavit. Id ipsum tertiò probat disertus Bedæ, jam suprà à nobis delibatus locus, in quô solam *gravioris lepræ immunditiam*, hoc est, ut omnes fatentur) capitalem, & publica pœnitentia procurandam culpam, *sacerdoti pandi, atque ad eius arbitrium purificari* jubet; cætera peccata *alterutrum coæqualibus confitenda*, atque ita eorum *oratione salvari* docet. Quartò idem etiam non minus apertè hoc confirmat, dum ait eos tantum, qui vitio excommunicatione digno laborant, qualis est hæreseos, aut schismatis morbus, si per gratiam Christi convalescant, ad sacerdotes à Christo mitti, ut Ecclesiæ colorem fidei verum ostendant: *cætera verò vitia Dominum per semetipsum interius, in conscientia, & intellectu sanare, & corrigere*; id est (ut quivis videt) sine exteriori ministri opera; de quô Bedæ loco nos infrà fusius suo tempore dicemus. Nihil opus est in re ab ipso Arnaldo confessa diutiùs immorari. Videtur tamen Petavius apertissimæ huic veritati reclamare, statuereque etiam aliqua ex iis peccatis, quæ ad quotidianam fidelium pœnitentiam pertinebant, apud sacerdotem confitenda fuisse, & eius absolutione necessariò procuranda. Ita enim accipit quemdam Augustini locum ex libro *de fide & operibus*, in quo ille quædam esse fidelium peccata, quæ sine pœnitentiæ publicæ medicina sanari possunt, his verbis sic probat; *Item nisi* (inquit Augustinus) *essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus*; Corripe eum inter te, & ipsum solum, & si te audierit lucratus es fratrem tuum. Ista de quibus loquitur, clarissimè ab iis semovet, quæ *pœnitentiæ publicæ* subiiciebantur; quam his verbis apertissime describit, *ea humilitate pœnitentiæ, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur*. Non enim propriè & absolute *pœnitentes* dictos, nisi qui publicè pœnitentiam agerent, & ipse Augustinus * passim, & Toletani Patres disertè testantur. Hæc ergo, à publica pœnitentia libera & immunia *quibusdam correptionum medicamentis sananda* esse ait Augustinus. Petavius eô nomine *confessionem* suam *auricularem* significari vult. Sed falsò, frustraque. Primò enim quis confessionem illam, ut appellant, *sacramentalem correptiones* unquam dixit? Quis eam hoc nomine, nisi juberet Petavius, vel hic, vel alibi significari crederet? Tum illa adversariorum *confessio* non apud alium fit, quàm apud sacerdotem. Hæc, de quâ Augustinus, *correptio* fit à quovis, & apud quemvis: Eam enim Augustinus *correptionem* intelligit de quâ

Cap. xix. Ibid. p. 183. 184

In Luc. 5.

hom. de decem leprof.

l. de fid. & oper. c. 26. t. 4.

Matth. 18. 15.

* Epist. 108. Conc. Tol. 1. can.

De la pœnit. publ. c. 2. l. 6. p. 90.

Cap. xx. Christus. *Corripe eum inter te, & ipsum solum*; Quam verò Christus significat, ea (ut patet) cuiusvis fratris est, sive laici, sive clerici, fratrem à quo læsus est, in arcano monentis, & corripientis, & ad resipiscentiam vocantis. Ergo ea correptio auricularis confessio non est. Vnde liquet ex hoc Augustini loco haberi ipsa illa peccata, de quibus hic sermo est, sinè *sacramentali confessione* contrà quàm putat Petavius, *sanari* posse. *Sanari* enim *correptionis medicamento affirmat* Augustinus, quod, ut demonstravi, nequaquam confessio est, apud sacerdotem, sed fraterna cuiusvis fidelis ad fratrem expostulatio, atque admonitio. Quæ verò alia tum ex ipso Augustino, tùm ex Eligio congerit Petavius, ea quidem valdè, ut nobis videtur, quod ille adversus Arnaldum tuendum suscepit, probant; scilicet non omnia olim peccata *publicæ pœnitentiæ* subjecta fuisse; quæ non essent eidem subiecta, ea vel omninò, vel partim tantùm, fideles sacerdoti confiteri coactos fuisse, non probant. Maneat ergo firmum, & inconcussum, quod & Arnaldus loco supra laudato demonstravit, & nos nuper confirmavimus, fideles olim in quotidiana pœnitentia nullum desiderasse sacerdotis ministerium eique adeò confiteri minimè coactos fuisse.

Caput XX.

Secundò Demonstratur contra Alnaldum, non quæcumque letalia nunc privata confessione apud adversarios procurantur, ea olim omnia publicæ pœnitentiæ subjecta fuisse; Peccata capitalia, sive mortalia veteribus alia, quàm quæ nunc adversariis. Insignes Nysseni loci. Solvitur & explicatur his in speciem contrarium Augustini dictum, peccata in decalogum publicæ pœnitentiæ subiicientis.

Iam alteram partem videamus, an scilicet quæcumque nunc peccata sacerdoti in aurem confitenda sciscunt adversarij, iis olim procurandis indicta fuerit publica pœnitentia. Arnaldus quidem passim sic videtur sentire; statuereque exceptis quæ nunc Romanæ scholæ *venialia* vocant, cætera, de quibus Innocentius quotannis sacerdoti necessario confitendum esse decrevit, ea omnia apud veteres olim publicæ pœnitentiæ subjecta fuisse: quod ut persuadeat, ea ferè accipit, in quibus Patres sciscunt *capitalia* omnia crimina pœnitentiæ publicæ necessariò esse obnoxia; qualia passim loca in veterum monumentis plurima occurrunt; (quasi scilicet quæ veteres *capitalia*, dicunt, eadem planè sint cum iis, quæ nunc adversarij *mortalia* vocant, & quæ illi *levia*, & *venialia*, eadem quoque cum iis sint, quæ hi nunc venialia appellant.) Sed res longè

L. de la freq. comm. & de la tradit. passim.

alitec

aliter habet; ipsumque Arnaldum, eruditissimum virum, & in Patrum scriptis versatum vix dissensurum puto; quem non aliâ de caussa crediderim mentem de his suam paulò obscurius explicasse; atque ita ut illam hypothesin constituere ac sequi videatur, nisi ut suorum invidiam mitigaret, neve quam illi accuratissimè tuentur confessionis omnium mortalium peccatorum necessitatem, eam ipse labefactare, atq; evertere videretur. Vtcumque sit, (neque enim id nunc agimus) certum est falsissimam, longeque absurdissimam fore eius sententiam, siquis quæcumque nunc peccata fideles sacerdoti necessariò ex adversariorum lege confitentur, eadem putet olim pœnitentia publica ex solenni veterum disciplina necessariò quoque procurata, ac expiata fuisse. Primò id docent qui adhuc extant prisci canones certissimæ veteris illius disciplinæ documenta. Quæso enim quàm pauca sunt ea quibus ex canonum præscripto publica pœnitentia indicitur præ immensa eorum peccatorum sylva quæ nunc confessariis omnia aperienda sunt? Nunc quidem adversarij omnia, quæ *mortalia* censent necessariò & ex jure divino confitenda decernunt. At verò, in priscis illis publicæ pœnitentiæ regulis, quantula eorum pars cernitur, quæ nunc in *mortalium* censu habentur? Neque verò cuiquam imponat vocabulorum ambiguitas. Et capitalia sive *mortalia* & levia, sive venialia longe alia veteribus fuerunt quam quę posteà scholæ Romanæ Theologis iisdem nominibus dicta sunt; quod quia candidè sanè, & verè explicavit Petavius, nulla invidia est rem totam eius verbis breviter hîc exsequi; *Principio* (inquit) *peccatorum apud antiquos invenio genera fuisse duo. Alia mortalia sive capitalia dicebantur: non ut nos intelligere vulgò solemus, quæcumque Dei nos gratia, ac spiritalibus caritatis ornamentis spoliant, sed huius generis certa duntaxat, quæ cum graviora cæteris essent, tum Canonibus, ac Synodorum decretis nominatim expressa; Hæc inquam capitalia nominabant, quibus pœnæ à canonibus sigillatim proposita,* &c. *Alia verò leviora, & quotidiana dicebantur, sive quæ nos venialia nuncupamus, sive alioqui mortalia, sed de quibus nulla nominatim extaret in Conciliorum decretis mentio; quale verbi gratia esse potest aspertus in quemquam maledictum, aut convicium, perjurium, aliaque sexcenta, quæ quamquam letalia sint, nulla tamen iis a canonibus erant pœnæ constitutæ:* In Epiph p. 238. Ex his, quæ certissima, & apud Ecclesiasticæ antiquitatis peritos indubitata sunt, patet plurima eorum, quorum confessionem nunc necessariam putant, nulli publicæ pœnitentiæ subjecta olim fuisse, cùm eorum, quæ nunc *mortalia* dicuntur, plurima olim in *leviorum & quotidianorum* censu haberentur, quibus adeò nulla publicè agenda indicebatur pœnitentia. Præterea ipsa rei absurditas satis, quid sit sequendum, per se docet. Quis enim existimarit quisquis vel sola animi concupiscentia, mentis ve consilio, aut cogitatione, adde etiam verbo, aut facto aliquo ex ira, aut subita huiusmodi perturbatione peccasset, in quibus omnibus adversarij letale aliquid inesse posse putant, eum statim inter *flentes*

Cap. xx. aut *stratos* relegatum fuisse, ut conciliatus, & cōcineratus ad aliquot annos, vel menses in Ecclesiæ conspectu squaleret? Quid si in simile posteà peccatum relapsus esset (ut vix in hac carnis infirmitate caveri id potest) tunc eum ab Ecclesia extorrem reliquum, quod supererat vitæ, publicæ communionis spe exclusum duxisse dixeris? Atqui hæc erat publicæ illius pœnitentiæ lex, ut nemini, nisi semel, concederetur. Itaque si ea omnia, quæ nunc dicuntur mortalia, ei subjacuisse contendis, tibi quoque fatendum erit qui ea semel defuncti in aliquid istorum iterum incidissent, eos tota vita ab Ecclesiæ communione exulasse; quod quàm ditum sit, atque incredibile, omnes vident. Denique cùm publicè pœnitentes à fideliū nomine atq; ordine semoti degerent, si totidē illos olim in singulis Ecclesiis fuisse vis, quot sunt hodie in vestris necessario confitentes, sequetur nullos pœne olim fuisse, singularū Ecclesiarū fideles; omnes decē fortè aut viginti exceptis, vel extra Ecclesiā flevisse, vel cū Catechumenis, stetisse altari penitus exclusos fuisse. Neq; enim in singulis nunc ut vocant, parochiis multò plures, quàm decē, aut viginti reperias quibus nulla sit confitendi necessitas; etiamsi cōfitendi nullā aliā caussam statuas, præter mortalis (ut loquuntur) peccati conscientiam. Itaq; si stat illa hypothesis, magna atque horrenda inducetur in veterem Ecclesiam vastitas, ac pœnè solitudo: quam constat fuisse florentissimam, multoque maiorem in singulis cœtibus fuisse fidelium, quàm pœnitentium propriè dictorum numerum. Sed quid argumentis opus est, ut quæ veterum hac in parte ratio, praxisque fuerit, assequamur? Ipsi veteres quid sequuti sint ista clarè, disertèque testantur, ut nullum ambigendi locum reliquerint. Nam Gregorius Nyssenus, qui quarto sæculo iam inclinato vixit, ea omnia crimina, quæ publicæ pœnitentiæ tunc temporis in Ecclesia subiicerentur enarrans, ubi ad id peccatorum genus venit, quæ vel per iram fiunt, vel ex ea proficiscuntur, ἤρεσε (inquit) τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἐν τοῖς ἄλλοις, μὴ λίαν ἀκριβολογεῖσθαι, μηδὲ πολλῆς ἄξιον ἡγεῖσθαι σπουδῆς τὸ θεραπεύειν πάντα τὰ ἐκ τοῦ θυμοῦ πλημμελήματα. καί τοι γε τῆς γραφῆς οὐ μόνον τὴν ψιλὴν ἀπαῤῥηούσης τὴν πληγὴν, ἀλλὰ καὶ πᾶσαν λοιδορίαν ἢ βλασφημίαν, καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον ὁ θυμὸς κατεργάζεται. μόνον δὲ τοῦ κατὰ φόνον ἄγους τὴν παραφυλακὴν ἐποιήσαντο διὰ τῶν ἐπιτιμίων. *In aliis quidem non nimium subtiliter agere, nec nimium in eo studii, operæque ponere placuit, ut omnia quæ ex ira nascerentur delicta curarent, (quamvis Scriptura non solam simplicemque modò plagam, vel ictum, prohibeat, sed etiam omne convicium, vel maledictum, & si quid aliud eiusmodi ira efficit) sed solam cædis cautionem, sive curam sua pœnis introduxerunt.* Ecce ex omni peccatorum, quæ per iram fiunt censu, soli cædi voluntariæ, involuntariæque præscripta ait à Patribus τὰ ἐπιτίμια, id est pœnas canonicas, cætera eius generis delicta, ut illatam plagam, verbera, maledicta, convitia, & alia, quæ plurima esse notum est, tametsi ea & à Scriptura prohibita & morte æterna digna esse confiteatur, ullis huiusmodi pœnis ulli adeo publicæ pœnitentiæ subiecta fuisse negat. Tum idem paulò post ait τὴν πλεονεξίαν

Ep. can. ad Letoium.

avari-

avaritiam & ipsam quoque ἀθεράπευτον ὑπὸ τῶν πατέρων παρωφθῆναι *absque ulla pœna medela prætermissam esse* à Patribus; quam tamen peccatorum speciem à Paulo *& idolatriam & omnium malorum radicem* vocari ait. Neque alia Patres ex hoc genere pœnitentiæ publicæ subiecisse, quàm *furtum*, & *sepulcrorum effossionem, & sacrilegium*; Cætera ad avaritiam pertinentia, ut fœnus, & usuram, & alienorum ex iniquo & doloso contractu possessionem, & alia quæ pœne innumerabilia sunt, licet à Scriptura vetita, nullis pœnis canonicis coërcita fuisse. Atqui utrumque hoc genus & quod ex ira, & quod ex avaritia proficiscitur, adversarij per privatam confessionem necessario procurari nunc volunt; Ergo non quæcumque nunc ab istis ita curantur, à Patribus olim publicæ pœnitentiæ subiiciebantur. Neque est quod quis respondeat ista, licet in canonibus minime commemorata, à singulis tamen Pastoribus aliqua publica pœnitentia fuisse ex proprio judicio procurata. Hoc effugium apertè præcludit Nyssenus, dum mox ait satis esse ista per avaritiam peccata in canonibus omissa τῷ δημοσίῳ τῆς διδασκαλίας λόγῳ, ὅπως ἂν οἷόν τε ᾖ, θεραπεύειν, *publicæ doctrinæ, verbo, quomodo fieri potest curare.* Quin & mox negat sibi esse ἀξιόπιστον, id est auctoritatem ac dignitatem, ut suo iudicio pœnas iis canonicas statuere possit, qui peccant (Sic enim ista Nysseni verba; quæ alioqui parum emendate leguntur, interpretatur Balsamo.) Quo clarè significat sibi minimè licuisse alicui ex peccantibus, cui nullæ à Patribus constitutæ fuerint pœnæ canonicæ, aliquid pœnarum privata sua auctoritate imponere. Quod si Nysseno, qui celeberrimus illo ævo fuit, nequaquam tamen licuit, multo minus idem vel episcopis aliis, vel etiam presbyteris licuisse putandum est. Ex his autem sequitur, quod supra dicebat Augustinus tertiam, sive publicam *pœnitentiam pro illis peccatis esse subeundam, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait,* quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, id inquam de solis capitalibus delictis diserte in decalogo vetitis esse accipiendum. Nam id, si latius de quibusvis in decalogo quomodocumque vetitis, sumatur, evidenter falsum erit; cùm constet, non modò quæ hodie ab adversariis *venialia* dicuntur, sed & alia multo plura, quæcumque scilicet à veteribus inter *capitalia* minimè numerabantur, *publicæ pœnitentiæ* nequaquam olim fuisse obnoxia. Atque ita accipiendum esse hoc Augustini dictum, ipse alibi clarè docet; dum diversa peccatorum, qui ex peccato per gratiam Christi resurgunt, genera persequens; primò loco eos ponit, *qui peccatum intus in corde habent; in facto nondum habent.* Isti sanè, si propriè & in genere loquendum est, in decalogum peccarunt. Eos tamen Augustinus publicæ pœnitentiæ minimè subiicit, sed sine ea sanari apertissimè docet, dum huius generis pecatorem *filiæ archisynagogi mortuæ, nec dum de secretis parietibus in publicum elatæ, & ibi intus à Christo suscitatæ* comparans, ait, *Nondum accessit corpore ad mulierem scilicet consentit in corde; mortuum intus habet; nondum extulit. Et fit, ut novimus ut quoti-*

Cap. XX. Ibid.

Ibid.

hom. 50. c. 4.

Gal. 5.

Serm de verb. Dom 49. c. 5.

Ibid.

Cap. xx. *quotidie homines in se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tanquam Domino dicente, surge, condemnatur consensus ad iniquitatem respiratur in salutem, atque justitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit cor in cogitationis secreto. Facta est ista resurrectio animæ mortuæ intus intra latebras conscientiæ, tamquam intra domesticos parietes.* Hic, ut vides, peccatum illud, licet nondum extra cor facto ipso prodierit, qualem verbi gratia affert mulieris *concupiscentiam*, grave tamen putat, & in eorum censu, quæ hodie *mortalia* vocantur, clare collocat, dum qui id admisit, *mortuum* appellat, & *mortuam* quoque *animam* in qua id delitescit. Nihilo secius tamen affirmat huiusmodi *animam in cogitationis secreto*, solo Christi audito verbo excitatam *reviviscere, & intus intra latebras conscientiæ, tamquam intra domesticos parietes*, id est nemine conscio, adeoque sine publica pœnitentia, sine facta ad ullum sacerdotem, hominemve confessione, *resurgere*. Quin ne eos quidem, *qui post consensum eunt in factum*, multoque adeo magis contra decalogum peccant, ne eos quidem ipsos inquam, pœnitentiæ publicæ simpliciter subiicit. Nam de huiusmodi peccatore quem viduæ filio jam elato quidem, sed nondum deposito, & antequam deponeretur à Christo resuscitato comparat, sic loquitur; *Sic ergo, & qui jam fecerit si fortè commonitus & commotus verbo veritatis ad Christi vocem resurgit, vivus redditur.* Atqui sæpe *commonentur, & commoventur verbo veritatis*, qui tamen apud sacerdotem nullam confessionem ediderunt, multoque adeo minus pœnitentiam publicè egerunt. Quos nam ergo tandem Augustinus Ecclesiæ ministerio publicaque pœnitentia indigere statuit? Eos, quos Lazaro à Christo resuscitato, cùm jam fuisset sepultus, & depositus, in sequentibus comparat, scilicet ut ipse definit, *qui faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre, quia malum est, quique fiunt defensores malorum suorum; & irascuntur cum reprehenduntur*, quosque Sodomitis hactenus comparat, Loto qui eos reprehendebat, irascentibus; *cùm tanta apud eos esset nefandæ turpitudinis consuetudo, ut jam nequitia esset justitia, & prohibitor potius reprehenderetur, quam factor. Tales* (inquit) *consuetudine mala pressi, tanquam sepulti sunt*, atque *ita sepulti*, ut *jam, quod de Lazaro dictum est, puteant. Moles illa imposita sepulcro, & ipsa est vis diræ consuetudinis, qua premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur.* Si ergo, qui sunt huiusmodi, *multo clamore objurgationis* pulsati, Dominicæ vocis vi resurrexerint, eos Augustinus ad discipulos Christi ire vult, *ut solvantur, & ire permittantur*, juxta Domini ad suos dictum, *Quæ solveritis in terra, soluta sunt & in cœlo.* Iam ex his clarissimè apparet Augustinum *discipulorum* id est sacerdotum operam, publicamque adeo pœnitentiam iis peccatoribus necessariam esse putasse, non qui corde solo, non qui ipso etiam facto simpliciter peccarunt; sed qui longa peccandi consuetudine in flagitiis, vel sceleribus, ut ipse ait, *duruerunt*; adeoque & hoc sensu, ut ipse secum consentiat, necessario

sumenda

ſumenda eſſe, quæ alibi dicit; *tertiam pœnitentiam pro illis peccatis eſſe ſubeundam, quæ legis decalogus continet*; ſiquis nimirum unum aliquod ex his non ſimpliciter *corde*, vel etiam *ipſo facto* admiſerit, ſed in eo, vel etiam in pluribus, ſeſe volutaverit, aſſiduaque conſuetudine quodammodo obduruerit. His ita explicatis liquet non aliis peccatis, quàm iis, quæ *capitalia* veteres appellabant, quæque fatente ac docente Petavio, canonibus Eccleſiaſticis expreſſa erant, decretam olim, ac neceſſario præſcriptam fuiſſe pœnitentiam. Itaque cum fateatur Arnaldus non in aliis, quàm iſtis neceſsario olim adhibitum fuiſse ſacerdotis miniſterium, quorum conſtat multo minorem, anguſtioremque eſſe ambitum, quàm eorum quæ nunc *mortalia* dicuntur, *confeſſione*que arcana neceſsario procuranda putantur, profectò vel cæcus viderit iſtum, ſiquidem ſibi ipſi conſtare velit, neceſsario quoque fateri debere *auricularem* ſuorum *confeſſionem*, qualis hodie in uſu eſt apud veteres ignotã fuiſse. Neq; ſane id obſcure cõfitetur, dum in quadã primi operis parte ſcribit, *confeſſionẽ, quæ apud ſacerdotem editur, evaſiſſe ſeu factam eſſe juſtorum, peccatorumq; communem, fierique ab omnibus fidelibus pro venialibus juxtà, mortalibuſque peccatis*. Significat non ſic olim fuiſse; & quæ nunc *juſtorum* ſive *fidelium* eſt (idem enim utrumque nomen apud veteres valebat) eam olim non aliorum fuiſse, quàm *peccatorum* ſive *pœnitentium* (id eſt publicè pœnitentium) tum eam quæ nunc omnium peccatorum eſt, eorum tantùm olim fuiſse, quæ veteribus *capitalia & mortalia* dicebantur, id eſt quæ canonibus expreſsa publicæ pœnitentiæ ſubiiciebantur; quæ ſanè egregia ſunt & veriſſima. Vide ergo quam longe lateque vetus confeſſio à novitia differat. Illa non aliorum neceſsario fuit, quàm eorum quibus publica pœnitentia ſubeunda erat; hæc eſt omnium omnino Chriſtianorum utriuſque ordinis, id eſt tam *fidelium*, quàm *pœnitentium*. Illa non aliorum criminum neceſsario fuit, quàm *capitalium*, & quæ in canonibus publicis notata erant. Hæc omnium omnino peccatorum eſt, & mortalium, & (quod teſtatur Arnaldus) etiam venialium.

Cap. xi.

De la freq. comm. p. 119. part. 2. c. 11.

Caput XXI.

Ad ampliorem superiorum confirmationem, defenditur contra adversarios non alia, quam manifesta crimina publicæ olim pœnitentiæ subjecta fuisse. Solvuntur, quæ contra Petavius quidem ex Basilio, & Concilio Carthagin. III. Arnaldus vero ex eodem Basilio, Tertulliano, Ambrosio, & veterum canonum consideratione attulerunt.

Atque hæc quidem satis sunt ad id quod instituimus, probandum. Sed tamen velut ἐκ περιουσίας aliud insuper adjiciamus, quod & hanc quæstionem luculentius definiet, & per se investigatione dignũ est. Contendo igitur ne omnium quidem peccatorum, quæ ad *capitalium* censum per se pertinere videntur confessionem ac pœnitentiam apud Ecclesiam necessariam olim fuisse videri; sed eorum tantùm, quæ *manifesta* essent, & cum aliquorum scandalo conjuncta, nedum ut ea omnium omnino peccatorum, fuerit ut hodie est arcana adversariorum confessio. Atque hoc loco & cæteros, & omnium maximè Arnaldum, dissentientes, & contradicentes habemus, qui tametsi cætera discordes, conjunctis tamen animis sensibusque defendunt occultis etiam, arcanisque peccatis (id est iis, quorum nemo pœnitentibus erat conscius) *publicè inflictam fuisse pœnitentiam*, ipsum etiam Petavium secum hac in parte consensisse alicubi gloriatur Arnaldus. Ego verò miror viros eruditos tam absurdum, tamque ab omni caritatis, sapientiæque Christianæ ratione alienum institutum veteri Ecclesiæ tribuisse. Si dicerent aliquos si forte peccatores fuisse, quibus scelerum alioquin occultorum, ex singulari quodam ob lapsum, licet in arcano, numen, dolore, pœnitentiam publicam poscentibus, veteres Ecclesiæ Episcopi eum extra ordinem concesserint, non equidem repugnarem. Id enim fieri potuisse & fortasse etiam interdum, licet raro, factum fuisse, non est incredibile. Nunc cùm velint quæ in *capitalium peccatorum* censu ponebantur, ea quantumvis occulta essent, publicæ pœnitentiæ legitime ac necessario subjecta fuisse, & in apertum totius Ecclesiæ (ut sic dicam) theatrum producta, non possum eorum sententiam non admirari. Sed videamus quibus illi argumentis rem usque adeò absurdam, & incredibilem probent. Ita ergo Petavius *Quod* (inquit) *etiam arcanis, sceleribus publice inflicta pœnitentia fit, fidem faciant antiquissimi Canones, inprimis Basilij, qui Can. LXI. ad Amphilochium, de fure sic præcipit. Siquis sponte sua commissum fateatur, ut uno duntaxat anno pœnitentiam obeat. Sin convictus ac deprehensus fuerit, biennio.* Primò illud *si deprehensus fuerit*, Pe-

Tradit. de l'Egl. sur la penit. pref. p. 438. 119.

Ad Epiph. p. 248.

Epist. ad Amphil. can. 61.

tavij est. Basilius simpliciter habet, εἰ δὲ ἐλεγχθείη. *Sin autem convictus fuerit.* Iam qua ratione hinc conficit Petavius *furtum illud* manifestum non fuisse? Ego contra verius ex eo manifestum fuisse argumentor, quod ait *sin autem convictus fuerit.* Neque enim *convinci* eius furti potuisset, cuius ipsi nemo conscius erat. Si *convinci* potuit, testes, accusatoresque aliquos criminis fuisse necesse est. Ergo nihil hic canon Petavij causam juvat. Vnum hinc haberi fateor, sed quod nemo negat, etiam iis criminibus impositam fuisse publicam pœnitentiam, quæ Ecclesiæ præsides latebant, solaque spontanea reorum confessione iis innotescebant. Ea, ut cæteris omnibus pariter ignota essent, non potest hinc effici. Neque nos cum manifesta sola publicæ pœnitentiæ subjecta olim fuisse dicimus, non alia manifesta intelligimus, quàm quæ publicè sic universis & singulis nota erant, ut neminem omnino vel in plebe, vel in clero laterent. Manifesta vocamus, quorum aliqui licet non omnes præter peccatorem, conscij erant; quorum adeò scandalo medendum fuit.

Atque huc pertinet ille alter Basilij canon, ex quô Arnaldus alicubi conficit etiam occultis criminibus publicam impositam fuisse pœnitentiam; *Adulterio pollutas mulieres & confitentes,* δι' εὐλάβειαν *ob pietatem sive devotionem, vel quomodocumque convictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis causam mortis præbeamus; eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Sed unde habet Arnaldus istarum mulierum crimen occultum fuisse? Imò quis non intelligit non fuisse occultum, quando tale fuit, ut vel id rea mulier sponte confiteretur, vel eius alia ratione convinceretur? Quî potuit mulier eius criminis convinci, quod plane penitusque occultum esset? Fateor non fuisse publicè omni civitati notum; fateor nullam juridicam (ut loquuntur) eius apud prætorem arguendi, ac convincendi rationem fuisse institutam. Nego inde sequi, ut occultum fuerit. Quàm multa enim sunt, etiam multis, etiam vulgo nota, etiam cum multorum scandalo conjuncta, quibus tamen ex jure apud prætorem revincendis nulla suppetunt idonea argumenta, quæ quandiu degunt, tamdiu ipsa crimina tuta, & quodammodo occulta sunt, id est à civilium judiciorum luce remota? Ipse alibi Arnaldus non aliud apud suos adulterium publicum censeri ait, nisi quod vel *in judicio solemni jure probatum est, vel in tota vicinia ita notum, ut excusari non possit.* Atqui multa sunt non occulta, sed manifesta, quæ tamen hoc sensu *publica* dici non possunt. Itaque confiteor quidem non iis solis criminibus, quæ ea ratione, quam istic definit Arnaldus, publica & sunt & dicuntur, constitutam fuisse olim publicam pœnitentiam; Vlli occulto, cuiusque nullum esset apud quemquam scandalum impositam publicam ex veteri Ecclesiæ jure pœnitentiam, nego. Sequitur alter à Petavio recitatus Concilij III. Carthaginensis canon decernens, *ut presbyter, inconsulto Episcopo, non reconciliet*

De la freq. comm part. 1. ch. 10 pag. 313. 314.

Basil. Ep. ad Amphil. can. 34.

ub. supr. ch. 5. p. 148.

can. 32.

Cap. xxi. *pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente; cuiuscumque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante apsidem manus ei imponatur.* Hæc ipsa (inquit Petavius) *Concilij Sanctio clarissimè significat, alia præter publica fuisse peccata, quæ pœnitentia coercerentur, cum à ceteris publica nominatim excipiat.* Sed ne Arnaldus quidem, tametsi cum Petavio de hac quæstione hactenus sentiens, eam hinc cōcludi posse dixerit. Is enim hunc canonem de certa quadam pœnitentia in Africa usitata accipit, quæ cæteris pœnitentiis, ipsis quoque publicis, magis quodammodo publica, magisque ignominiosa fuerit. Iam eadem peccati, quæ pœnitentiæ ratio fuit. Vt ex eo quod *pœnitentia* maximè publica fuerit, minimè sequitur alias, eiusdem generis, licet non eiusdem gradus, publicas non fuisse; ita neque ex eo quod peccatum, in quod illa decernebatur, maximè insigniterque publicum fuit, sequitur crimina, quibus publicæ, sed alterius gradus pœnitentiæ indicebantur, publica non fuisse. Breviter confiteor non omnia crimina quibus publicæ pœnitentiæ imponebantur, *sic publica fuisse ut & vulgatissima & universæ Ecclesiæ nota* essent, quale huius, qui hic commemoratur, peccatoris crimen fuit; Nego aliqua ex iis, quibus publica pœnitentia indiceretur, *occulta* fuisse, & *non manifesta*, ac denique huiusmodi quorum pœnitenti nemo esset conscius.

De la pœnit. publ. l. 1. c. 1. 3 de pœn. c. 10. Hæc quidem ad Epiphanium Petavius. Sed idem in recentiori opere fuse, quod postea dicemus disputat publicam pœnitentiam non aliorum fuisse, quam manifestorum, & cum scandalo conjunctorum criminum. Vnus ergo superest Arnaldus contrariam sententiam multis defendens. Primò hæc quæ iam alibi descripta sunt, ex Tertulliano recitat; *Plerosque tamen hoc opus* (pœnitentiam sive exomologesin intelligit) *ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores, quam salutis; velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Tum illa, quæ paulò post sequuntur; *Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeone existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palam absolvi?* Hinc scilicet liquere putat Arnaldus Tertullianum non solis publicis, manifestisque criminibus pœnitentiam illam de quâ agit, publicam percipere; cum etiam ea complectatur, *quæ latent, quæque humanæ notitiæ subducta sunt.* Ego vero planè contra existimo istos, quos hoc loco pulsat & ad pœnitentiam invitat Tertullianus, homines fuisse, qui ab Ecclesiæ ministris conventi, reprehensique, & ad exomologesin vocati fuerant, quique adeo manifestorum criminum rei erant. Non urgeo, quod alioqui difficile est dicere, quâ ratione eos illi cognitos haberent: quos crimen, cuius non alij quàm ipsi sibi conscij erant, nihil apud quemquam fateri cogebat. Sed id ipsum,

De la freq. comm. 1. part. ch. 3. p. 154.

quod

quod eos Tertullianus *suffugere* ait, & *de die in diem differre*, ostendit istos urgentibus ad pœnitentiam ministris,& quam necessaria illis foret, aperte ex Scripturæ Ecclesiæque disciplinæ demonstrantibus, suffugia quæsivisse; deniq; veris victos moras traxisse, ac de die in dié pœnitentiæ, quã promisisse visi erant, executioné distulisse; unde omninò efficitur,ut nó planè arcana,sed aliquatenus manifesta eorũ crimina fuerint;neq; enim eos aliter Ecclesiæ præpositi cõvenire & ad pœnitentiã vocare,ac deniq; cõvincere potuissent: Nã peccatũ eos per se ac sua sponte prodidisse nó sit verisimile, quos exomologeseos dedecus usq; adeò reformidasse testatur Tertullianus. Quid ergo ille (inquis) sibi vult, dũ *occultari eorũ delictũ, humanaq; notitia subduci, ipsos* denique homines *latere* ait? Respondeo eum, dum sic loquitur non absolutè. & simpliciter, quasi isti homines omnimodo laterent, sed partim *comparatè*, partim ex ipsorum hypothesi loqui. Ac *comparatè* quidem, quod peccata quamdiu lapsi exomologesim detrectabant, multo minus paterent, quàm ubi susceptain totius Ecclesiæ conspectu pœnitentia, ea veluti tuba aliqua, publicaverant; seque palàm reos esse omnibus testati ac confessi erant. Ex *hypothesi* verò eorum quibuscum agit, quod ij solenni peccatoribus stultitia, crimina, quæ vel negabant, vel potius publico actu exomologeseos non confitebantur, ea *latere* sibi ipsis fingebant. Neque enim quemquam negaturum confido multo notiora, manifestioraque esse ea peccata, quorum reus publico judicio convictus, damnatusque est, & quorum pœnas vel civiles, ut in republica, vel canonicas, ut in Ecclesia, dedit, quam ea, quæ indiscussa reus nondum vel confessus est, vel luit. Hæc enim præterquàm quod paucioribus nota sunt, non facilè quisquam reo exprobraverit, quæ ille quod nondum judicata sint, meritò negare se posse existimat, & ea exprobrantem in jus rapere. Illa contra, & ad plures, imo ad omnes manant, & hominem vera infamia perfundant; velut convictum, ac confessum, neque quo se defendat, ullum ampliùs præsidium habentem. Quæ ratio istos, de quibus disputat Tertullianus, deterrebat ne exomologesin facerent; hanc sui publicationem verentes ac suffugientes; Quales apud nos, qui nó aliis, quàm manifestis criminibus publicã pœnitentiã indicimus, quã multi quotidiè reperiuntur, qui licet sua crimina minimè ignota esse sciant, licèt ea ipsi interdum apud unum aut alterum ex ministris confiteantur, exomologesin tamen præfractè detrectant, quod ea peccatores quodammodò traduci, atque infamari, &, ut loquitur Tertullianus, *publicari* conquerantur. Et apud eos quidem nos non aliter, quam ille apud suos, agimus, & eam, quam hoc loco adhibet, ægrotorum imaginem contractam in verecundioribus corporis partibus vexationem stultè occultantium, cæteraque à Tertulliano in hanc sententiam dicta usurpamus; ex quibus nemo concluserit arcana esse, unique peccatoris conscientiæ nota crimina, quæ nos exomologesi publica plectimus. Multum est inter *infamem*, & simpliciter

Cap. XXII.

CAP. XXI. *manifestum peccatorem* discriminis. Neque eodem sunt in republica loco qui vitã in multorum oculis parum honestam agunt, & ii qui prætoris sententia publicè damnati sunt. Ita neque eadem est eius conditio qui pœnitentiam publicè in Ecclesia fecit, licet alioqui criminis alicuius manifestus. Huius crimen præ istius peccatis, latet; Hic exprobrantem repellere, pudoremque, quamquam proditum ficulneis tamen ut olim Adam, foliis utcumque tegere potest, quod miseris hominibus plærumque satis est; Ille nudus, & turpis, & ad quorumvis sannas, atque ludibria expositus prostat. Nihil ergo mirandum est, quod lapsi ex perverso carnis pudore, illam sortem huic præoptarent; se in illa latere, in hac prodi, ac publicari putarent. Neque Tertullianus, quod licebat respondet, non plane latere eorum crimina quæ multis quanquam non confessa, manifesta essent. Quod sumebant, licet non omnino verè sumerent, concedit, eo proficere posse illorum suffugia, dilationes, ac technas, ut crimina quorum vel manifesti vel certe vehementer suspecti erant, clam futura essent; Hæc ultro concedens monet hæc tamen omnia, ut sic ipsis cedant, inutilia fore, quod Deum scilicet latere non possint, suæ domus, id est Ecclesiæ, principem ac defensorem, & eius qua illa regitur, disciplinæ auctorem, ac vindicem. Ergo ne hinc quidem effici potest non manifesta fuisse quæcumque olim peccata publicæ pœnitentiæ subiiciebantur.

Sed Arnaldus alia quædam ex eodem Tertulliano describit, ubi à Catechumenorum pœnitentia ad eam, quæ baptizatorum est, transiens; ubi supra de pœn c.7. *Illuc usque Christe Domine* (inquit) *de pœnitentiæ disciplina servis tuis discere, vel audire contingat, quo usque etiam delinquere non oportet audientibus, vel nihil jam de pœnitentia noverint, nihil eius requirant. Piget secundæ, immò jam ultimæ spei subtexere mentionem, ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur.* Quibus & ista quæ paulò post apud eundem sequuntur subtexit; *Sed enim pervicacissimus hostis ille nunquã malitiæ suæ otium facit. At quin tunc maximè sævit, cũ hominem plenè sentit liberatum, tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat & ingemiscat necesse est venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retrò suæ erasos. Dolet quod ipsum & Angelos eius Christi servus ille peccator judicaturus est. Itaque observat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere; aut a via certa perversis traditionibus detorquere; non scandalis, non tentationibus deficit. Hæc igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiæ janua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel quia jam secundò; sed amplius nunquam, quia proximè frustra.* Hæc Tertullianus, nusquam ut vides, affirmans, vel significans fuisse & occultorum criminum publicam pœnitentiam; Potius innuere eum dixerim

dixerim non fuisse, nisi manifestorum. Certè non alia sunt, in quæ homines à Satana impelli intelligit, luxuria, ambitio, vel avaritia, apostasia, hæresis, scandala, omnia, ut quivis videt, *carnis* non occulta, sed *manifesta opera*. Sed ingenij tamen subtilitate effecturum se Arnaldus sperat, quod testis ab ipso laudatus non dicit. Ergo argumentatur, ac primò sumit *Diabolo, hosti nostro, satis esse si hominem sibi per baptisma ereptum in peccatum aliquod mortale inducere indeque in suam servitutem retrahere possit; neque cum admodum laborare quale id sit peccatum spirituale, an corporale, manifestum, an occultum, dum præda hac potiatur*; *Quin & probabile esse dicit, nequissimum spiritum peccatis mere spiritualibus, ut ingenio, eximiaque suo similioribus, impensius gaudere, veluti superbia invidia, hypocrisi, hæresi.* Ergo cū mala latius, quam remedia patere nō debeant; consequens esse concludit, *ut publica pœnitentia, quam Tertullianus velut omnium harum plagarum, quæ baptizatis à Satana infligi possunt, remedium proponit, ipsa quoque peccata letalia cuiuscumque sint ordinis, & occulta, & manifesta complectatur.* Ego verò respondeo Arnaldum hac sua ratiocinatione in varia absurda incidere. Primò enim si ea locum habet, nobis quoque licebit ad hoc exemplum argumentando concludere venialibus etiam peccatis, ubi ea in magnum acervum excreverant, pœnitentiam olim publicam fuisse indictam, quod veteres etiam hujus generis delicta, *si collecta fuerint, gravare nos & opprimere, sicut unum aliquod grande peccatum*, crediderint neque *interesse* ad Satanæ triumphum *utrum uno grandi fluctu navim nostram operiat, & obruat, an immissa paulatim in sentinam aqua impleat, ac mergat.* Hinc etiam licebit eadem ratione concludere fuisse olim & maledicto & perjurio, & plurimis aliis, quæ adversarii quidem mortalia censent, veteres verò teste Petavio, *venialia* existimabant, publicam indictam pœnitentiam. Et arcanos invidiæ, iracundiæ, incontinentiæ, etiam intra animum defervescentes motus, quibuscumque aliquid inest delicti letalis; & verborum obscœnitates, & conviviorum immodestiam, & alia innumerabilia, quæ in omni hominum vita creberrima, ac pœnè inevitabilia, in mortalium tamen censu à Romanis Theologis collocantur omnia pœnitentiæ publicæ subjecta olim fuisse ex nova hac Arnaldi lege decernendum erit: quæ si antiquitus, ut iste vult, obtinuit, profectò necesse est veterem Ecclesiam totam, vel publice pœnitentium, vel certè Angelorum, non hominum cœtum fuisse. Cùm hæc ergo absurdissima sint, necesse est laborare rationē Arnaldinā ex qua ea concluduntur. Itaque respondeo omnium, sane plagarū quas à Diabolo fideles accipiunt, pœnitentiam idoneam esse, & παρακείμενον remedium; sed non unam illam publicam, de qua hoc loco Tertullianus. Docuit Augustinus præter hanc publicam alteram quandam esse quotidianam; qua facile quotidiana vulnera sanantur. Siquid verò altius insederit, quod ita interioris hominis bona depopuletur, ut eius clades etiam foras prorumpat, & proximis minetur; huic propriè mor-

Cap. xxi.

ub. sup. p. 147.

Aug. ep. 108. & conc. 1. in Ps. 18 & tract. 12 in Ioan. & tract. 1. in 1. Ioan.

borum

Cap. xxi. borum generi paratam esse publicam pœnitentiam; accuratissima remedij ad malũ ratione; ut quæ publica mala sunt ea publicis, quæ arcana, ea arcanis quoque remediis curentur quam rerum inter sese proportionem ac symmetriam nova Arnaldi methodus funditus subvertit, arcana publicis curare instituentis. Cùm igitur hoc loco Tertullianus de pœnitentia, non quavis, sed publica una loquatur, absurdum est ex omniũ malorum, quibus obnoxij sumus, multiplici ingenio, hujus pœnitentiæ vim, ac naturam extendere, quæ malorum quidem remedium est, sed aliquorum tantùm, non autem omnium. Quibus verò Diabolus maximè lætetur, nihil necesse est investigare: Satis est scire Christiano de omni adversus ejus insidias, ac machinas armatura abunde à Christo & Apostolo fuisse prospectum; etiamsi nulla in usu fuerit publica arcanorum peccatorum pœnitentia. Hoc unum addiderim, videri Diabolum, qui numquam magis gaudet, quam quoties nobis pessime est, manifesta arcanis, & publica occultis scelera ac flagitia per se anteferre, cûm illorum, quam horum pestis ac pernicies longe major, nocentiorque fit.

Sed id quoque Arnaldus accipit quod scribit Tertullianus *clausa licet ignoscentiæ janua & intinctionis sera obstructa, Deum tamen collocavisse in vestibulo pœnitentiam secundam*: indeque conficit quisquis amittit, quæ per baptismum acceperat, non posse eum amplius nisi per secundæ pœnitentiæ (id est publicæ) ad januam redire. Quisquis autem in peccatum letale incidit eam amittere, quæ per baptismum acceperat, gratiam scilicet: Ergo quicumque mortali peccato se obstrinxerat, eum non aliter ex Tertulliani quidem sententia, ad Deum redire potuisse, nisi per pœnitentiam illam secundam, adeoque publicam. Quorsum etiam illa eiusdem laudat: *Habes quod jam merebaris. Amisisti enim quod acceperas,* ubi supra. *Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas, quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato. Majus enim est restituere quam dare: quoniam miserius est perdidisse, quàm omnino non accepisse.* Respondeo hanc ratiocinationem eadem quoque absurda inducere, quæ inducebat præcedens. Nam si valet, ne venialium quidem olim in Ecclesia, nisi per publicam pœnitentiam, ulla fuit remissio. Disertè enim Tertullianus *ignoscentiæ januam post intinctionem clausam* ait, *collocatam in vestibulo pœnitentiam secundam*: unde clarum est nihil amplius nisi per illam pœnitentiam ignosci, si hæc cum Arnaldo sic ad vivum resecemus. Tum & multo magis sequitur nulla ex iis, quæ nunc adversarij *mortalia* vocant remissa olim fuisse, nisi publica pœnitentia functis, quod absurdum atque incredibile est. Certè qui ad mulierem *nondum accessit corpore, consentit tamen in corde, & qui post consensum it in factum*, utrumque de verb. Dom. serm. 44. c. 5. & 6. judicat Augustinus *mortuum*, sive *animam mortuam intus habere*: Et utrumque tamen idem *resuscitari* à Christo statuit, non modo sine ulla publica pœnitentia, sed etiam sine privata sacerdotis opera; cujus manũ nõ in aliis mortuis requirit, quam Lazari instar jam fœtentibus. Quid ergo

ergo est? Nimirum Tertullianus *ignoscentiam*, neque omnem, neque quamlibet, sed eam proprie ac præcise intelligit, qua in Ecclesiam denuo recipiuntur, qui erant ab ea exclusi, seu *facto*, (ut excommunicati,) seu *jure* (ut qui excommunicationem criminum suorum scandalo commeriti erant) dimissis iis peccatis, quibus hanc in se perniciem accersiverant. Tales fateor nisi antistitum ministerio, & quidem publico, nullos olim reconciliatos, & in Ecclesiam receptos fuisse. Omnia vero quæ ab adversariis *mortalia* habentur, etiam non manifesta, etiam quorum peccatorum vera quidem, sed tamen privata pœnitentia subiit, huiusmodi esse, ut hominem, qui aliquid eorum admisit, Ecclesiæ communione privent, ut ex ea eiiciant, neque ego sane concedo, neque veteres (quod reor) crediderunt, credidisse certe non probat Arnaldus. Itaque frustra paratragœdiat, cum publice prostratorum lacrymas, & squalorem, & cilicia, & jejunia, & ad totam Ecclesiam supplicationes, atque obsecrationes, levissimi & occultissimi, modo letalis, peccati reis inexorabiliter imponit. Atque hæc ille ex Tertulliano, quæ quàm nullam vim habeant ut ex iis, quæ diximus, apparet, & ex eo quod vir eruditissimus Rigaltius in hoc ipsum Tertulliani de Pœnitentia opusculum scribere non dubitavit veterem illam ab eo deprædicatam exomologesin *videri delictorum fuisse manifestorum. quæ aut sceleris infamia nomini Christiano injuriam facerent, aut fidei parum constantis exemplo cæteris fratribus nocerent.*

Cap. xxi.

p 17. col. 1. extr.

Sed hîc Arnaldus nos veterum canones adire & inspicere jubet, ac observare mœchos & adulteros ubique in genere, nullo usquam publici, & arcani delicti discrimine pœnitentiæ subiici, cùm tamen non nescirent optimi ac sapientissimi illarum legum auctores peccatorum hujus generis multo ac pœne incomparabiliter plura esse occulta & clandestina, quàm publica & manifesta. Addit suos hodie Episcopos non *adulterium* verbi gratia simpliciter & in genere, sed diserte distinctéque *adulterium publicum* sibi judicandum inter cæteros (ut loquuntur) *casus* reservare. Vnde concludit veteres, qui mœchiam & cætera peccata simpliciter, nulla addita distinctione, publicæ pœnitentiæ subiiciunt utriusque generis delicta, id est tam occulta, quàm manifesta, suo hoc judicio involvisse, complexosque esse. Argumentum fateor, nec spernendum. Vim enim habet, sed non eam, quam fortasse putavit Arnaldus. Primò siquid pro ejus dogmate valet, in Petavium & similes valet, qui sacerdotale arcanæ & confessionis & pœnitentiæ tribunal jam olim in Ecclesia extitisse volunt: In me, qui hoc non modo non concedo, sed etiam vehementer refuto, nihil valet. In illos, inquam, valet. Nam si ut hodie Latini, ita etiam olim veteres presbyteri omnia singulorum peccata tam occulta, quam manifesta per auricularem confessionem cognita habuerunt: si de utrisque judicium ferre, quod Petavius & alij utrumque censent, omnino debuerunt, profecto quod inter utrumque genus est immane

ub. supr p. 147. 148.

CAP. XXI. discrimen necessario poscebat, ut altera ab alteris, sicut hodie fit, sedulo distinguerentur. Et quod solertissimus Arnaldus notavit, ut hodie Episcopi *adulterium*, cujus sibi judicium servant, non simpliciter *adulterium*, sed signanter & *διακριτικῶς adulterium publicum* vocant; sic etiam veteres decebat, quod in suis canonibus vel adulterium, vel aliud quodvis peccatum, pœnitentiæ subiiciunt, omnino *publicum* dicere; si ex Petavij hypothesi, cum utrumque & occultum, & manifestum suis pœnis subiicerent, de altero tantum nempe de manifesto in hujusmodi locis intellexerunt. Ratio clara est. Vt enim nunc apud adversarios, quod in utrumque adulterij genus, id est & occultum, & manifestum, sua decernatur pœnitentia; necessario distinguendum fuit Episcopis utrius sibi generis cognitionem servarent, ita etiam, si (quod Petavius & alij volunt) non modo manifesta, sed etiam occulta peccata cognovit & pœnis canonicis affecit vetus Ecclesia; nemo non videt omnino debuisse Patres id in suis constitutionibus sequi, quod hodie faciunt Episcopi, nempe manifestum crimen ab occulto distinguere. Non fecerunt, ut verissime observat Arnaldus: sed mœchos, fures, sacrilegos, homicidas, &c. simpliciter & in genere pœnitentiæ subiiciunt, nullo inter manifestos & occultos reos posito discrimine. Ergo omnes uni, eidemque pœnitentiæ subiiciendos intelligunt, non manifestos uni, occultos vero alteri: Qualiter si Latinorum nunc Episcopi *adulterium* judicandum simpliciter & absolute sibi servarent, nemo dubitaret, quin utriusque tam occulti, quam manifesti solennem in hodierno (ut vocant) pœnitentiæ *foro* cognitionem, inferioribus sacerdotibus ereptam sibi solis servarent. Pœnitentiam autem, cui peccatores in priscis canonibus simpliciter subiiciuntur, publicam fuisse, non arcanam, & res ipsæ demonstrant, & Petavius, aliique omnes confitentur. Ergo huic, publicæ inquam, non arcanæ & privatæ duntaxat, utrosque peccatores, hoc est tam occultos, quam manifestos subjectos olim in veteri Ecclesia fuisse, siquidem stat Petavij hypothesis, necessario confitendum est. Viderit Petavius, quid ad hanc Arnaldi argumentationem responsurus sit. Illa me non ferit, qui auriculare de arcanis peccatis judicium, quod absurde ponit Petavius, in veteri Ecclesia nullum agnosco. Cum enim de solis manifestis & cum aliquo scandalo conjunctis peccatis judicare possent ministri, qui nullam scilicet interiorum & occultorum notitiam, nondum invento Innocentianæ confessionis tormento, haberent; nihil necesse fuit utrumque delictorum genus in Canonibus discerni. Omnes per se satis intelligebant in manifesta, non in arcana, pœnas illas ab Ecclesia constitui. Nullum enim judici nisi cognitum crimen damnare ac plectere licet. Cognoscere porrò ovium suarum non alia tum ministri delicta poterant, quam manifesta. Cum enim nulla Ecclesiæ lege cogerentur fideles Pastoribus in aurem totius vitæ delicta certis subinde & assidue temporibus revelare; nulla eorum peccata alia Pastores certo cognoscere

gnoſcere poterant, quam quorum aliqui eſſent delatores, & teſtes, & conſcij. Quæ vero ſic arguuntur, & revincuntur, ea non occulta, ſed manifeſta eſſe liquet. Itaque cum quæ Eccleſiæ canones certis pœnis ſubiiciebant delicta, ea omnia hactenus unius eiuſdemque generis eſſent, hoc eſt manifeſta, nihil cauſæ fuit, cur hoc, quod urget Arnaldus, manifeſti, occultique peccati diſcrimen inter ea canones diſtinguerent ac notarent. Ita neque noſtri homines in canonibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſuis, occulta à manifeſtis diſtinguunt; quod ſcilicet æque cum veteribus ſola manifeſta ſolenni pœnitentiæ ſubiiciant, neque ullum, magis quam veteris, Innocentianum arcanæ confeſſionis tribunal habeant. Interim *magis, minuſve* manifeſta obſervant, ac diſtinguunt, quod & Patres feciſſe aliquando ex eo Synodi Carthaginienſis canone patet, quem à Petavio allatum nuper expendimus. Ex his ſatis liquet alienum eſſe Arnaldi de ſuis Epiſcopis exemplum. Horum enim aliam eſſe, quam veterum cauſam nemo non videt. Veteres ſola manifeſta multabant, Hi & manifeſta, & occulta cognoſcunt, ac puniunr. Vnde fit, ut merito & utrique ex ſuis cauſis manifeſta ab arcanis hi quidem diſerte diſtinxerint: illi vero minime diſtinxerint. Atque ita Arnaldo ſatisfeci. Nunc viciſſim ab eo quæro, cum mœchiæ & fornicationi, & cæteris peccatis occultis, arcaniſque leviorem pœnam deberi, quàm publicis & cum magno ſcandalo conjunctis, & conſtet, & vel ex hodierna Latinorum praxi appareat; qui factum ſit, ut veteres hoc arcani, manifeſtique tantum ac tam inſigne diſcrimen, non modo in mœchia in fornicatione, ſed neque in cæteris ullis delictis notaſſe uſpiam in ſuis canonibus reperiantur? Cur qui vulgatiſſima, maximeque manifeſta à minus manifeſtis in hoc negotio diſtinguunt (quod eos in Carthaginienſi illo canone feciſſe agnoſcit Arnaldus) cur iidem inquam manifeſta à plane penituſque occultis, quorum multo maior eſt inter ſe differentia, nunquam diſtinguunt? Certe ſapientiores erant, quam ut peccata tam imparia eodem loco ac numero haberent. Cum ergo ea nuſquam in hac cauſa diſtinguant, omnino concludendum eſt quibuſcumque delictis pœnas in hoc ſuo foro decernunt ea hactenus unius, ejuſdemque generis eſſe, id eſt omnia vel occulta, vel manifeſta. Illud nemo dixerit; ſupereſt igitur, ut hoc dicamus, Patres ſcilicet quæcumque in canonibus crimina pœnitentiæ ſubiiciunt ea non occulta, ſed manifeſta intelligere; quod profecto veriſſimum eſt; idque Petavius & alii confitentur; merito hac in parte ab Arnaldo diſcedentes. Sed & hos nunc interrogo, ſi, quod ſtatuunt, verum eſt, in veteri olim Eccleſia fuiſſe auriculare quoddam tribunal hodierni geminum, imo idem cum hodierno, in quo arcana quoque delicta pœnis, ſed arcanis (ſicut nunc fit) afficerentur, ſi hæc inquam, vera ſunt, quæro cur veteres non ut publicæ, ſic etiam arcanæ pœnitentiæ canones condiderint? De publica ſunt quotquot exſtat (exſtant autē pene innumerabiles) veteris Eccleſiæ de pœnitentia leges;

Cap. xxi.

Cap. xxii. de privata & arcana, nullæ exstant. Cur qui in illa parte tam multi, tamque accurati fuerunt, hanc, quæ multò latius patet, adeò oscitanter neglexerunt? Tum & illud quæro, cur qui tam diligenter, tam severe, ac pene inclementer cæteris criminibus publicam statuunt pœnitentiam; nullam uspiam in eos decernunt, qui sua apud sacerdotes delicta in aurem confiteri vel negligunt, vel etiam detrectant? Innocentius quidē tanti id officium fecit, ut siqui id contemnerent eos & Ecclesiastica communione vivos, & Christiana sepultura mortuos excluserit. Cur nihil tale apud veteres occurrit? Cur qui in cæteros pietatis, aut sanctimoniæ violatores tam longis, tamque atrocibus pœnis vindicant, hos totius Christianismi, si Innocentianis credimus, desertores ne pulsandos quidem, aut appellandos uspiam in tam multis canonibus putarunt? Vertat se in omnes partes Petavius: Nullam unquam idoneam afferet huius discriminis rationem; quæ si veris cedere vellet, clara est & expedita. Veteres nempe de manifestis canones condiderunt quod manifesta in foro pœnitentiario judicarent: De arcanis nullas leges tulerunt, quod ea, ut par erat, Deo & fidelium conscientiis judicanda relinquerent; totumque hoc pluribus post sæculis natum Innocentianæ confessionis negotium ignorarent. Sed hæc obiter dicta sunto.

Caput XXII.

Locus Ambrosij ab Arnaldo objectus expenditur, & emendatur. Tum adversus eundem demonstratur non alia, quam manifesta crimina publica olim pœnitentiæ necessario subjecta fuisse. 1. ex ipsa rerum ratione. 2. ex eorum, qui ab 800. annis vixerunt, confessione. 3. ex multis vetustiorum testimoniis, Hilar. Diac. Gregorij Nysseni, Chrysostomi, Augustini, &c. Ex quibus tandem concluditur superior contra Innocentianam confessionem demonstratio.

Nunc ad Arnaldum redeo, cui ut plane satisfiat, deinceps veris certisque rationibus, ac testimoniis demonstrandum nobis superest, non occulta, quod ille vult, sed manifesta tantum crimina publica olim pœnitentia necessario, & ex communi Ecclesiæ lege procurata apud Patres fuisse. Hanc disputationis partem iam occupavit Petavius, & librum sui de publica Pœnitentia operis sextum fere totum in hoc refellendo Arnaldi errore consumpsit, acriter, & magnis clamoribus, ut solet, contendens, multisque Patrum & veterum Conciliorum allatis locis demonstrans falsum, & absurdum esse, quod ille statuit, omnia scilicet mortalia delicta publicæ olim pœnitentiæ subiacuisse,

cuisse; fuisseque probans sola publica, & cum scandalo coniuncta ei obnoxia fuisse. Ego vero Petavio meliorem hanc & emendatiorem mentem gratulor. Visus enim erat aliter quondam sensisse, cum ad Epiphanium quod supra recitavimus scriberet, etiam arcanis sceleribus inflictam olim publice pœnitentiam. Quamquam & hanc suæ præsentis sententiæ à veteri diversitatem fortasse sic purgaturus est, ut dicat, se publicam illam pœnitentiam occultis criminibus, non ex necessitate, sed ex arbitrio, non ex communi & ordinaria Ecclesiæ lege, sed ex propria quadam & extraordinaria dispensatione inflictam intellexisse. Certe videtur etiam nunc in posteriori opere aliquid huiusmodi innuere. Cum enim quodam loco dixisset *publicis & cum scandalo conjunctis peccatis publicam olim respondisse pœnitentiam*, dictum ita statim temperavit, *ut* (inquit) *de iis loquamur, quæ ex obligatione & necessitate fiebant.* Significat, certe videtur significare, interdum aliter factum, sed ex sacerdotis arbitrio, & pœnitentis voluntate, non ex publica Ecclesiæ lege, libere denique non necessario. Quod & nos supra (si bene memini) accidere nonnunquam potuisse professi sumus. Siquis enim peccator arcani sibi sceleris conscius sponte sua, quod semper licuit, pastorem adiret, eique admissa, & animi inde pavores ac cruciatus exponeret, consiliumque eius ac sententiam de amoliendo gravi conscientiæ onere expeteret, promptum se testans ac paratum exsequi quicquid iussus fuerit; fieri potuit, ut in hoc rerum articulo Pastor quanquam arcanum, gravem tamen pœnitentis lapsum eadem satisfactione atque exomologesi procurandum suaderet ac decerneret, quâ manifesta delicta in Ecclesia procurari solere animadverterat. Probabile est & ministros interdum ita statuisse, & reos urgente peccati conscientia facile obtemperasse. Sed hæc siquando facta sunt ex privato huius, atque illius iudicio facta sunt, non ex communibus Ecclesiæ canonibus, qui sane quascumque ferunt de pœnitentia publice obeunda leges, manifestis, non occultis peccatoribus eas ferunt. Atque hæc in primis hoc loco præfari visum est nequem turbet, aut à vero abducat, si quod vel ipse offenderit, vel ab Arnaldo allatum viderit singulare huiusmodi pœnitentiæ apud veteres exemplum. Equidem eò referendum putarem nobilem Ambrosij locum, cui sic fidit Arnaldus, ut *vel eo solo suam opinionem clarissime demonstrari* putet, si locum sincerum & ab omni menda purum existimarem. Is exstat in priori de Pœnitentia libro, ubi Ambrosius contra Novatianos disputans, postquam observavit Christum ei, qui dimisisset omnia sua, & Deum secutus esset, septies tantum promittere & hic & in futurũ; *Primus hic* (inquit) *promisit, ut fastidia dilationis auferret; addidit & in futurum, ut hic desceres credere in futurum quoque solvenda tibi præmia. Remuneratio igitur præsentium testimonium futurorum est. Siquis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit; quomodo istic recipit, si ei communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat eam lacrymis,*

Cap. XXII. L. 6. c. 1. § 1. 2. & c. 3. § 1. 3. 4. & c. 4. & c. b.

Ibid. l. 6. ch. 3. §. 1. p. 8.

De la freq. comm part. 2. ch. 3 p. 343.

L. 1. de pœnit. c. 16. p. 181 b. c.

CAP. XXII. *petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret, & cum secundo & tertio fuerit dilata eius communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat, miserabilior postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat; ut de ipso dicat Dominus Iesus;* Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Atque hæc quidem

Luc. 7. Ambrosius, quæ si vera sunt, videtur ille etiam *occulta crimina habentem* pœnitentiæ publicæ subiecisse (clarum enim est publicam hic describi, non arcanam.) Ego vero si locum sincerum putarem, responderem, quod dicere cœperam, istum pœnitentem, de quo loquitur Ambrosius, publicam illam, quam ipsi attribuit, pœnitentiam, non ex communi aliqua Ecclesiæ lege, sed ex singulari animi religione, ex privato, non ex publico iudicio, libere denique ac voluntarie, non necessario suscepisse. Sed mihi singula diligentius expendenti Ambrosianus hic locus iampridem de mendo suspectus est. Quorsum enim quæso *occultorum* potius, quam *manifestorum* criminum pœnitentiam, & remissionem hîc urgeret Ambrosius? An sola occulta *istic* (id est apud Ecclesiam) remitti vel negabant Novatiani, vel aiebant Catholici? An de manifestis utrique consentiebant? de occultis solis litigabant? Nugæ. Nemo nescit Novatianos negasse omnium omnino post baptismum quidem admissorum, criminum occultorum iuxta & manifestorum, remissionem pœnitentibus hic dari. Ergo plane dilutum, ac frigidum, & Ambrosii ingenio indignum est, quod in codicibus eius vulgatis hoc loco legitur: *Siquis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit*, &c. quasi scilicet pœnitentiæ suæ fructum hic sperare occultorum quidem criminum reos velit, manifestorum vero, plane desperare iubeat: quasi apud Ecclesiam Catholicam occultis tantum, non etiam manifestis peccatoribus & pœnitentia indiceretur, & pœnitentiæ merces venia, atque remissio passim, ac pœne quotidie & promitteretur, & bona fide donaretur. Absurda omnia, & ab Ambrosiano vigore aliena. Itaque ego quidem mendum hic subesse non dubito, facili ac pœne nullo negotio sic eluendum, ut pro *occulta* legamus *multa*. Nam & proclive fuit librariis hic decipi, & pro *m* duplex *cc* legere: quod utriusque elementi consimilis sit in veteri scriptura ductus ac figura, & restituto hoc vocabulo clarus erit & concinnus totius orationis sensus. Primò sic elucet apposita inter multorum peccatorum conscientiam, & susceptam propter Christum pœnitentiam antithesis; Etiamsi (inquit) multa conscientiam crimina urgeant, vincit tamen amor Christi, & spes de eius benignitate præcepta pœnitentiam agere subigit. Tum hæc verba descriptis paulo post Christi ex Luca verbis (ad quæ tota hæc oratio clarissime refertur) egregie respondent, in quibus ait Dominus huic *remissa esse*, non *occulta* (quod absurdum & alienum est) sed *MULTA peccata eius*. Ne ergo dubitaveris priori quoque loco scriptum fuisse non *occulta*, quod habent vulgati codices, sed *multa peccata habens.*

habens. Remissa sunt, quæ habuit, remissa esse *multa* ipse hic Ambrosius scribit. Ergo & habuisse *multa* paulò ante scripserat, certe scripsisse multo probabilius est, quam *occulta*. Id vero si (quod rationi consentaneum videtur) admittamus, omnis Arnaldi ex hoc loco spes decollaverit. CAP. XXII.

Vtcumque sit, iniquum est ob hunc unum Ambrosii locum & rationi & multis cæterorum Patrum contra publicam occultorum reatuum pœnitentiam clarissimis, atque disertissimis testimoniis fidem negare. Non enim hunc fuisse veteris Ecclesiæ morem, ut occulta & interiora peccata publica satisfactione procuraret, primum ostendit summa rei ipsius absurditas. Nam quis non videt ab omni ratione alienum esse, ut privata delicta publice curentur? occultaque fidelium quorundam vulnera toti Ecclesiæ ostententur? Christus quidem certe docet unum Deum (quatenus id fieri potest) nostræ nobis pœnitentiæ conscium esse debere: *Cum jejunatis* (inquit) *nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Matth. 6. 16. 17. Iejunium vel maxime adversarij pœnitentiæ partem esse docent. Non est ergo dubitandum, quin idem quoque de cæteris pœnitentiæ actibus judicandum sit. Ergo nisi nos aliqua fraternæ ædificationis necessitas aliò invitos trahat, ac cogat, non modo non publicanda, sed etiam occultanda est peccatorum pœnitentia; eo magis, quod ista eorum, qui in arcano peccaverunt, publicatio non potest fratribus, totique Ecclesiæ non esse gravis, acerbaque, infirmis scandalo, profanis ludibrio. Talia multo melius latent, quam proferuntur in lucem. Occultos vero peccatores prodendi, non modo veteribus (qui consequendæ remissioni etiam arcanam, dummodo veram ac sinceram pœnitentiam satis apud Deum esse putarunt) sed ne Arnaldo quidem vel cæteris adversariis necessitas ulla esse videtur. Nam hi etiamsi putent nullos hujusmodi peccatores sacerdotis ministerio carere posse, fatentur tamen arcanam, modo à sacerdote præscriptam, pœnitentiam peccatoribus ad reconciliationem sufficere. Quæ cum ita sint, non potest non absurda, ac immanis veterum durities videri, si citra necessitatem (quæ hic profecto nulla est) eos qui occulte peccarant publicæ pœnitentiæ passim, imo semper, atque ex certa & necessaria lege subjecerunt; quod illis affingit Arnaldus. Cum vero de talibus, ac tantis viris nihil sit temere in deteriorem partem suspicandum, absit ut hujusmodi inhumanitatem iis tribuamus. Neque certe aliter de ipsis vel paulò vetustiores Theologi, vel ipsi adversarij his ducentis retro annis judicarunt. Rabani Mauri, qui ante annos octingentos vixit, luculentum est ea de re testimonium, quod fere secuti sunt scholæ Romanæ Magistri: *Horum* (inquit) *peccata in publico* Lib. 1. de inst. cler. c. 30.

Cap. xxii. *publico sunt, in publico debet esse pœnitentia, &c. Quorum peccata occulta sunt, & spontanea confessione soli tantummodo presbytero sive Episcopo ab eis fuerint revelata, horum occulta debet esse pœnitentia, secundum judicium presbyteri, sive Episcopi, cui confessi sunt, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant causas.* Lex clara est, tota, quod aiunt, diametro nobis Arnaldi decretis opposita; qui veteres vult occultis peccatis pœnitentiam statuisse: cùm Rabanus plane contra vetet, ne id fiat, occultamque esse debere talium pœnitentiam pronuntiet. Neque minus aperta est ratio, qua legem firmat, ab infirmorum scandalo petita, *ne infirmi* (inquit) *in Ecclesia scandalizentur videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant causas.* Rabano succinit Synodus Ingilenheimensis sub Ludovico Pio a. D. 826. habita; *Si publicè* (inquit) *actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sanctorum canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam.* Quæ totidem verbis in sua quoque capitula retulit Isaac Lingonensis, qui & ipse nono sæculo vixit. Plane eadem est cæterorum noni istius sæculi, & sequentium, scriptorum, sententia & ratio; ut ex Conciliorum Remensis, Cabilonensisque, & Arelatensis canonibus & ex Ludovici Pij edicto, & postea ex Burchardi, qui undecimo sæculo vixit, Decreto tam manifeste probatur, ut ne ipsum quidem Arnaldum negaturum putem, quin istis temporibus occultorum criminum occulta, non publica, fuerit pœnitentia. Sed quia de noni sæculi, sequentiumque praxi ac sententia opportunior postea dabitur dicendi locus, & quod maxime de quarti, quintique & priorum sæculorum usu hanc controversiam movet Arnaldus, age missis nunc quidem & in ordinem suum rejectis citeriorum temporum scriptoribus, eos ipsos, de quorum sententia maxime quæritur, superiorum sæculorum Patres audiamus.

c. 1. T. 2. Conc Gall. p. 462. cap. 2. T. 3. Côcil Gall. p. 664.

Conc. Rem. 2. c. 31. Cabil 2. c. 25. Arelat. 4 c. 16. Lud. edict. T. 2. concil. Gall. p. 462. Burch. in decret. l. 19 c 28.

circa a. D 370.

Vetustissimus Pauli Commentator, Damasi Episcopi Romani σύγχρονος S. Hilarij nomine iampridem ab Augustino laudatus, eoque ab eruditis non abs re creditus Hilarius Diaconus, sed hactenus pro Ambrosio falsò & inscite èvulgatus, solos manifestorum criminum reos publicæ Ecclesiæ satisfactioni subiectos tum fuisse clarissime docet, dum ait Corinthium illum, de quo Paulus, paterni thori violatorem, ideo pellendum fuisse de cœtu fraternitatis, *quod omnes crimen ejus scirent. Publice enim* (inquit) *novercam suam loco uxoris habebat: in qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen.* Si cuius vero crimen occultum esset, eum ne à conscio quidem peccati Episcopo mensa Dominica excludi posse, aut debere: *Siquis* (inquit) *potestatem non habet, quem scit reum abiicere, aut probare non valet, immunis est. Et judicis non est sine accusatore damnare: quia & Dominus Iudam, cum fur esset, sciebat: sed quia non est accusatus, minime abjecit.* Item, si non idem (quod eruditi magnâ veri specie coniiciunt) certe eorumdem temporum scriptor in quæstionibus veteris, & novi Testamenti, quæ inter Augustini

in 1. Cor 5. 1. 2. p. 1394. b.

ibid paulò ante.

opera

opera circumferuntur, eadem etiam aliquanto clarius, & fusius exsequitur. Quærenti enim Novatiano, *cur* Catholici *corpus Domini* (id est Eucharistiæ Sacramentum) *tradant eis, quos noverunt peccatores*, ita respondet: *Quasi possint ipsi accusatores esse, qui sunt judices. Si autem accusati fuerint, & manifestati, potuerunt abiici. Nam quis Iudex accusantis sumat personam? Nam si ipse Dominus Iudam passus est, quem sciebat furem esse, & ea, quæ mittebantur, exportare nec eum, qui accusatus non est, abjecit; hoc exemplo uti oportet, ut eum abiicere non liceat, qui PVBLICE detectus non fuerit.* Mox: *Nec Dominus ei, quem latronem sciebat, corpus suum denegabat.* Ex quibus concludit merito objurgatos ab Apostolo Corinthios, qui peccatorem, non occultum, sed publicum ferebant. *Nec enim in hac re* (inquit) *accusatore erat opus, aut testibus. Publice enim novercam suam loco uxoris habuit.* Vides hujus sæculo, id est Christianismi quarto, nullis aliis peccatoribus communionis sacramentum legitime ac necessario negatum fuisse, nisi vel *publicis*, vel qui *publice detecti essent*, quorum scilicet crimen ab accusatore & testibus esset revictum. Iam sciunt omnes, & Arnaldus sexcenties testatur ac repetit Eucharistia olim exclusos quicumque publicæ pœnitentiæ subiiciebantur. Ergo nulli, legitimè quidem ac necessario subiiciebantur, nisi quorum crimina manifesta essent. Idem ex supra memorata Innocentij Episcopi Romani ad Exuperium Tolosanum epistola discimus; in qua ait viris adulteris ideo non negari communionem, quod eorum peccata ab uxoribus parcius deferri solerent, eoque laterent; mulieribus vero denegari, quod eorum crimen à viris prodatur. *Virorum* vero *latente* (inquit) *commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur*; moxque ait *probatione cessante vindictæ rationem conquiescere.* Nemo ergo tum à mensa Dominica legitime & necessario submovebatur, nisi cujus *flagitium probatione* legitima *detectum erat*; sic autem detegi, nisi manifestum, non potest. His consentanea sunt, quæ & Innocentij æqualis Augustinus habet in eo opere, quod totum est de pœnitentia. Fatetur quosdam ex auditoribus advertere & nosse multos ad sacra altaris accedere, quorum ipsi crimina non ignorant, ac de horum communione ut Ecclesiæ ministros purget, *Multi* (inquit) *corriguntur, ut Petrus; multi tolerantur, ut Iudas, multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum.* Inter criminosos, qui nihilosecius ad mensam Domini admittebantur, primo loco eos ponit, qui instar Petri purgati erant, adeoque sine publica pœnitentia; quam si fecissent scilicet, nulla ratio erat, cur qui criminis ab iis admissi erant conscij, hanc ipsorum communionem notarent. Secundò quosdam etiam observat fuisse, quos Pastores, quanquam delictorum ab iis admissorum non nescij, tolerabant tamen, ut Iudam Christus. Ergo neque hi, quanquam gravium peccatorum rei ad publicam pœnitentiam cogebantur. Denique *multos nesciri* ait; quo (ut hoc obiter dicam) auricu-

CAP. XXII.

Quæst 102 T. 4. Aug. p. 418. col. a. c d

Epist. 3 c. 4.

homil. 50. c. 4. T. 9 p. 206. col. 1 d.

CAP. XXII. auricularem Latinorum disciplinam totam evertit, quæ scilicet si tum in usu fuisset, isti profecto ab Ecclesiæ ministris non fuissent ignorati. Cur vero isti nescirentur, rationem deinceps exponit Augustinus, *Nam plerique* (inquit) *propterea nolunt alios accusare dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea, quæ ipsi sciunt judicibus* (al. *judiciis*) *Ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione prohibere quemquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum. Quis enim utrumque sibi audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & judex?* Hactenus Augustinus; qui non alios peccatores sibi & aliis Episcopis licere docet à Domini mensa submovere, nisi qui accusati crimen vel sponte sua confiterentur, vel aliorum testimonio legitime convincerentur. Hujus autem generis crimina manifesta esse liquet, non occulta. Quid si (inquit) nemine accusante quisquam Episcopum ipse adibat, crimen suum nudans? Videntur enim etiam de hoc intelligi posse Augustini verba. Ego vero respondeo & huic consulturum fuisse Episcopum, non tamen indicturum publicam pœnitentiam, nisi & publicum esset crimen: ut mox ex ipsius Augustini doctrinâ clarius patebit. Huc etiam pertinet Vasensis Concilij paucis post

a. D. 441. Augustini mortem annis habiti Canon, *si se tantum Episcopus alieni sceleris conscium novit, quamdiu potest, nihil proferat; sed cum ipso ad compun-*

c. 8. Concil. Gall. T. 1. p. 78. *ctionem ejus secretis correptionibus elaboret. Qui si correptus pertinacior fuerit, & se communioni publicæ ingesserit; etiamsi Episcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probationibus deficiat, indemnatus licet, ab his qui nihil sciunt secedere ad tempus pro persona majoris auctoritatis jubeatur, illo, quamdiu probari nihil potest, in communione omnium præterquam ejus qui eum reum judicat, permanente.* Hi quidem Patres Episcopi dignitati præter veterem morem, & rei ipsius æquitatem, sic indulgent, ut ab ejus communione excludant quem ipse reum putat, convincere tamen non potest; Cæterum diserte eum vetant in hunc publice animadvertere, cujus crimen cæteris, præterquam ipsi Episcopo, est ignotum. Vetant communione totius Ecclesiæ excludi, quamdiu *probari nihil potest*, hoc est, quamdiu ejus crimen manifestum non est.

Sed & huc referendum puto quod supra ex Gregorio Nysseno observatum est, multa avaritiæ peccata nullis vetustissimorum Patrum canonibus, ac ne ab ipso quidem Gregorio, notata fuisse; quæ publicæ adeo pœnitentiæ minime obnoxia essent. Nam cum & illa non minus, quam cætera, mortalia sint (quod ipse Nyssenus diserte confitetur) non alia de caussa videntur à Patribus prætermissa, quam quod plæræque occultæ sint avaritiæ fraudes, & culpæ: Und sequitur neque omnia delicta letalia,

talia, neque profecto, alia quam manifesta publicæ pœnitentiæ tunc temporis subjecta fuisse. Cap. xxii.

Possem hoc loco Chrysostomi, qui Nysseno paulò junior fuit, & multa & illustrissima loca afferre, in quibus & privatam apud unum sacerdotem, & multo magis publicam, quam Arnaldus commentus est, occultorum criminum apud totam Ecclesiam pœnitentiam, ita aperte, valideque oppugnat, ut ab adversariorum plærisque, & à nonnullis etiam aliis vulgo credatur publicam omnem pœnitentiam sustulisse. Quod quamvis non ita esse, Arnaldo libens concedam; non possum tamen non mirari ipsum in tanta luce cæcutiisse, neque animadvertisse, quæ facundissimus ille scriptor tam sæpe, tam perspicuè, tam denique vehementer dicit contra pœnitentiæ apud homines necessitatem, deque solius apud unum Deum confessionis, procul omni teste ac arbitro, *sufficientia* (ut vulgo loquimur) ea nullo modo posse cum his consistere, quæ ipse de publica etiam arcanorum, & penitus occultorum pœnitentia, velut apud veteres Chrysostomi ævo legitima ac necessaria, statuit. Hæc inquam Arnaldo possem, si liberet, hoc loco obiicere, quæ sola, si nihil aliud exstaret, ad jugulandam ipsius opinionem satis sunt. Sed quia eadem illa Chrysostomi loca postea contra commune omnium adversariorum de privata apud sacerdotem confessione dogma, asserenda erunt, & à variis eorumdem strophis & cavillationibus vindicanda; nunc quidem id in genere observasse sufficiat, ipsis Chrysostomi verbis in sequentem disputationem rejectis.

Nunc ad cæteros pergamus, in quibus eo insignior est Augustinus, quod ejus auctoritate nonnihil, ut nuper audivimus, juvari in speciem Arnaldi error videri possit. Ille igitur quo loco tria peccatorum genera tribus mortuis à Christo resuscitatis comparat, quid juris tum fuerit satis testatur, dum sacerdotum operam & manum non in aliis requirit, quam in iis, quos in tertio ordine censet, Lazaroque quatriduano, & jam fœtenti comparat. Ergo non alius peccator, quam qui fuit hujus generis, pœnitentiæ publicæ obnoxius erat; quæ scilicet, ut omnibus notum est, à solo sacerdote præscribitur. Atqui ad hunc ordinem is tantum peccator pertinet qui *quatriduanus est* (id est, qui ut ipse Augustinus exponit, longa consuetudine in hac peccati morte computruit) & qui *jam fœtet*; quod aliter accipi non potest, quam de scandalo, quod hujus delicta hominibus obiiciunt, deque fœtido illo odore, quem ejus mores, ut sic dicam, exhalant, atque effundunt. Iam hujusmodi peccatoris delicta sunt (ut quivis videt) manifesta; neque is aliter *fœtere* dici posset. Ergo cum nullum alium ad sacerdotes solvendum dimittat Augustinus, clarum est nullos eum ad publicam pœnitentiam coëgisse, nisi quorum nota erant & manifesta crimina. Cæteros priorum duorum ordinum peccatores sic à Christo resuscitari, ac sanari vult, ut ad eos solvendos nullá requirat sacerdotis operam; multo

De verb. Dom. serm. 34.

CAP. XXII. vero minus publicæ pœnitentiæ opus; tametsi (quod supra diximus) in utroque genere ponat mortalis peccati reos; quos non alia de caussa videtur publica exomologesi eximere, quam quod eorum peccata non essent manifesta. Quo etiam pertinet, quod alibi (ut diximus) eum, qui in fratrem peccavit secreta inter fratrem & ipsum solum correptione *sanari* ait, adeoque sine publica pœnitentia, quod nimirum eius peccatum, licet per se mortale (quippe quod caritati adversatur) tamen quia non erat manifestum ad publicam pœnitentiam minime pertinebat.

L. de fide & oper. c. 26.

Sed quid argumentis opus est? Disertissimum ecce habemus Augustini ea de re testimonium in ipsa illa homilia, quam tanti facit Arnaldus, ut divinam vocari velit. Augustinus enim postquam graviorum criminum reum, & quæ pœnitentia publica digna ipsi peccatori videntur, jussit ad antistites accedere, hæc continenter subiicit, *ut si peccatum* (inquit) *ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto SCANDALO est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non letali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.* Non alios *in notitia multorum*, vel *etiam totius plebis* pœnitentiam agere vult, quam qui *aliis magno scandalo* fuerunt; quod nonnisi iis convenit, quorum sunt peccata manifesta. Imo ne omnes quidem quorum sunt manifesta crimina, simpliciter & necessario publicæ pœnitentiæ subiicit; sed pro diversis scandali, & manifestationis gradibus, alios quidem *in notitia totius plebis*, id est publice; alios vero non quidem plane in arcano, sed neque tamen coram tota plebe, verum duntaxat coram multis pœnitentiam agere vult; quod sane egregium est, & Augustini sapientia atque mansuetudine dignissimum. Neque quicquam valet Arnaldi cavillatio hunc locum *ad certum quoddam in Africa usitatum pœnitentiæ genus* torquentis, præfracteque contra tantam hujus testimonij lucem cõtendentis *omnium criminum, non autem eorum tantum, quæ in scandalo aliorum fuerant, publicam olim fuisse pœnitentiam.* Primò enim Augustinus quemvis gravium criminum reum alloquitur, neque quemquam ex eo genere *publicæ pœnitentiæ* subiicit, nisi cujus peccatum, *non solum in gravi ejus malo, sed etiam in magno scandalo aliorum fuerit.* Ergo nulla ratio est, cur eos, quorum peccata licet gravia, non tamen in cujusquam scandalo fuerant, publicæ ipsos quoque pœnitentiæ subjectos fuisse suspicemur. Tum illius canonis, quem Arnaldus ex Carthaginensium Conciliorum codice laudat plane alia, quam hujus Augustiniani loci ratio est. Compara illius verba cum hujus dictis: nihil simile reperies. Canonis verba jam à nobis supra descripta hæc erant; *Cujuscumque pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod Ecclesiam universam commoverit, ante absidem manus ei imponantur,* Primò Augustinus, quod dixi, quemvis in genere peccatorem qui sibi crimen habere videtur pœnitentia dignum ad anti-

hom 50. c. 4. T. 10 p. 106. col. 2. d.

Tradit. de l'Egl. sur la penit. p. 211 in Aug. hom 50. c. 11.

can. Carth. 3. c. 32.

stites

ftites accedentem alloquitur; adeoque de cujuſcumque hujuſmodi peccatoris crimine intelligit. Canon contra de certo quodam pœnitente agit, quem à cæteris, etiam publice pœnitentibus, eo evidentiſſime ſecernit, quod & ejus crimen *vulgatiſſimum* fuiſſe, & *Eccleſiam univerſam commoviſſe* dicit; & ei denique manus *ante abſidem* vult imponi. Nihil tale de ſuo peccatore Auguſtinus. Ejus peccatum in *aliorum ſcandalo*, & quidem *magno*, fuiſſe dicit; *Vulgatiſſimum* fuiſſe, *Eccleſiam univerſam commoviſſe*, non dicit. Quam multorum enim crimina *manifeſta* ſunt, quæ tamen neque *vulgatiſſima* eſſe, neque *univerſam Eccleſiam commoviſſe* vere dici poſſunt? Non eſt ergo ejus de quo Auguſtinus loquitur, peccatum idem cum ejus crimine, de quo Carthaginenſes Patres intelligunt. Illud multo latius patet, quam hoc. Illo quæcumque, & gravia ſunt, & cum ſcandalo conjuncta, id eſt omnia manifeſta, continentur; Hoc unam tantum manifeſtorum ſpeciem complectitur, eorum ſcilicet quæ maxime omnium publica ſunt, & vulgatiſſima, quæque non paucos, non multos, ſed *univerſam Eccleſiam commoverunt.* Ergo neque eadem eſt, quod fruſtra vult Arnaldus, pœnitentia, de qua Auguſtinus, cum eà, quam Afri Patres decernunt. Illa in genere eſt cujuſvis publice pœnitentis; hæc certi cujuſdam in illo genere ordinis. Sed & hoc ipſum tam clare ex Auguſtini verbis liquet, ut mirum ſit Arnaldum id non vidiſſe. Nam ei quidem pœnitenti, de quo decernit Africanus canon, non alibi quam ante abſidem manus imponitur, id eſt, ut Arnaldus ipſe interpretatur, *in loco totius Eccleſiæ maxime conſpicuo, univerſæque plebis oculis maxime expoſito, non autem in loco cæterorum pœnitentium, ubi in ſacræ ædis infimis, & ultimis una omnes, non ſinguli, ut iſte, ſeorſum, impoſitionem manuum accipiebant.* Vbi ſupr. Auctor homiliæ, quæ inter Eligianas octava eſt, teſtatur locum ad ſiniſtram fuiſſe: Certa ergo definitaque, ac plane ſingularis fuit iſtius pœnitentia. Quid? ejuſne, de quo Auguſtinus, eadem quoque fuit? Minime gentium. Illa enim non uni alicui certo, ac definito loco, ut ante abſidem, affixa eſt; ſed in genere palam fit, ac publice; neque unius rationis eſt, ſed duplicis. Fit enim in *notitia* vel *multorum* vel *etiam totius plebis.* Adeo abſidi alligata non eſt, ut vel extra totius plebis notitiam interdum fiat. Nam illa fruſtra diſtinxiſſet Auguſtinus, niſi eam aliquando ſic *in notitia multorum fieri* intellexiſſet, ut tamen *in totius plebis notitia* minime fieret. Ergo alia pœnitentia, quàm Auguſtinus; alia quam canon Africanus intelligit. Illa generalis eſt; hæc ſpecialis quædam. Illa quævis publica; hæc certa quædam tantum; Illa palam quidem, ſed vel in plebis totius, vel in multorum tantum conſpectu fiebat, hæc nonniſi ante abſidem, ante univerſæ plebis oculos. Cum ergo illam nonniſi ob crimina cum ſcandalo conjuncta impoſitam fuiſſe appareat; concludendum eſt publicam (quam omnem illa complectitur) ex lege & neceſſario iis tantum criminibus impoſitam fuiſſe, quæ aliis ſcandalo fuerant adeoque manifeſta erant.

CAP. XXII. Id ipsum aperte habetur ex iis quæ Augustinus alibi de publicæ pœnitentiæ, temporisque ei præstituti fine, ac ratione scribit; *Recte* (inquit) *constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.* Ergo ea crimina, ob quæ illa pœnitentia indicebatur, hujusmodi erant, quibus læsa, seu offensa fuerat Ecclesia (neque enim Ecclesiæ, nisi ea læsa fuisset, *satisfieri* necesse esset.) Non aliis autem læditur, vel offenditur Ecclesia, quam iis quæ scandalo vel ipsi toti, vel certe alicui ejus parti fuerant, quæque adeo manifesta erant; cum id crimen cujus non alius, quam ipse sibi reus conscius est, nulli scandalo esse clarum sit. Ergo non aliorum, quam manifestorum criminum necessario fuit, quæ olim in Ecclesiæ conspectu agebatur pœnitentia, id est publica.

Enchirid. ad Laur. c. 65.

Sed & alius est insignis apud Augustinum locus ex sermone quodam à Beda non semel citato, quo Arnaldi error funditus convellitur. Istic ergo Augustinus de correptione fratrum, qui in nos peccauerunt, sic loquitur; *Tu scis* (inquit) *quia peccavit* (frater tuus, scilicet) *Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære, cum corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* Tum ita cum eo, qui in secreto peccavit, agendum esse probat Iosephi exemplo, qui Mariam non divulgare & traducere, sed occulte dimittere volebat. Quibus interjectis ad institutum rediens. *Ergo ipsa* (inquit) *corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa vero corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Distribuite tempora; & concordat Scriptura.* Hæc ille: qui tantum abfuit ab ea inhumanitate, quam illi Arnaldus tribuit, ut etiam *proditorem* eum vocet, quia sic, ut vult Arnaldus, cum occulto peccatore agat: hoc est, qui eum publica pœnitentia multet, publiceque corripiat. *Coram omnibus* ea tantum corripi vult, quæ *peccantur coram omnibus.* Non ergo etiam ea, quæ coram uno solo; nedum ut ea, quæ nullo teste facta sunt. Quorum vero secretius actorum conscii sumus, ea à nobis *secretius quoque corripi* vult: non ergo publice, quod sciscit Arnaldus; cujus sententia clarius refutari non potuit. Sed & quæ ibidem sequuntur, palmaria sunt; *Sic agamus* (inquit) *& sic agendum est non solum quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corripere; in secreto arguere, ne volentes publice arguere prodamus hominem.* Ita Episcopos; ita se ipsum cum peccantibus agere mox testatur; de eo loquens, cujus scelus solus sciebat. *Prorsus* (inquit, *nec prodo, nec negligo. Corripio in secreto. Pono ante oculos Dei judicium. Terreo cruentam conscientiam. Persuadeo pœnitentiam.* Mox: *Vbi* (inquit) *contigit malum, ibi moriatur malum*; id est vel in secreto, vel in publico; pro ut in hoc, vel in illo contigit.

de verb Dom. serm. 16. c. 7.

Matth. 1.

ub. supr. c. 8.

Eandem fuisse suorum temporum rationem satis testatur Iulianus Pomerius, qui sub falso Prosperi nomine circumfertur, dum excommuni-

municari eos jubet, *quorum crimina neque leni patientiæ medicamento sanari, neque igne piæ increpationis curari potuerint.* Liquet enim istos, si benigne secum agentis Episcopi medela correcti essent, publicæ pœnitentiæ nequaquam subiiciendos fuisse. Non urgeo, quod mox de iis subiicit, qui apud se occulte pœnitentiam agunt. Hos enim sacerdotes fuisse confiteor, quorum nunquam publica fuit pœnitentia. CAP. XXII. De vita contempl. l. 2. c. 7.

Cæsarius vero Arelatensis, quem a. D. 499. obiisse fama est, liquido id quoque quod defendimus, nec semel constituit, dum suscipiendæ publicæ pœnitentiæ hanc adfert rationē, *ut qui cum plurimorū* (inquit) *afflictione se perdidit, simili modo cū plurimorū ædificatione se redimat.* Et alibi: *Iustū est* (inquit) *ut qui cum multorū destructione se perdidit, cū multorū ædificatione se redimat.* Hoc, ut vides, dicit eos publice pœnitentiā agere debere, qui multis scandalo fuerunt; nō autē fuerunt, quorū delicta occulta sunt, & vulgo ignota. Eandem fuisse & Gregorij I. qui ad septimi sæculi initia pervenit, disciplinam ex iis patet, quæ ad Felicem Sicilienfem Episcopum scribit; *Manifesta* (inquit) *peccata non sunt occulta correctione purganda; sed palam sunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione sanantur, ij qui eos imitando deliquerunt, corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est ut pro multorum salute unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur.* Dum Gregorius *non occultâ* (id est publicâ) *correctione ait manifesta peccata purganda;* eo clarissime eâdem (id est aperta & publica correctione) negat purganda occulta peccata. Dum *palam argui palam nocentes* jubet, eo ipso clam nocētes vetat palam argui. Isidorus Hispalensis, qui ad a. D. 636. pervenit, eadem & ipse sequitur. Nam & hæc Gregorij verba describit, & ait *qui admonitus secrete de peccato corrigi negligit, publice arguendum esse, ut vulnus, quod occulte sanari nescit, manifeste debeat emendari.* Ergo, *qui secrete admonitus corrigitur,* eum publice arguendum non putavit. Ipse etiam in eodem opere manifesta peccata ab occultis distinguit. *Majoris* (inquit) *est culpa manifeste, quam occulte peccare. Dupliciter enim reus est, qui aperte delinquit, quia & agit & docet.* De occultis uero; *Quædam* (inquit) *jam justitiæ portio est iniquitatem suam hominem abscondere, & in semetipso de peccatis propriis erubescere.* Non est ergo dubitandum, quin utriusque generis peccata magno discrimine habuerit, illaque publice, hæc secrete corripienda putaverit. Liquido id profitetur in regula Monachorum, *Siquis* (inquit) *sæpius peccantem viderit, prius hoc uni vel duobus demonstret fratribus, quorum testimonio possit convinci, si negaverit, qui deliquit: Peccatum palam commissum palam est arguendum, ut dum manifeste peccans emendatur, ij qui eum in malo imitati sunt, corrigantur.* Vides, ut qui uno, vel paucis consciis peccavit, secrete argui velit palam, nonnisi qui & palam peccavit. Atque hæc de quarto, quinto, sextoque sæculo. Tertio eumdem jam fuisse apud Christianos usum testis locuples docet Origenes; qui ubi de purganda peccatoribus Ecclesia differit.

hom. 1 init. T. 1 Bibl. Patr.

hom 8 ibid. p. 183. A.

L. 12. Epist. 31. (al. 32.)

Sent. L 3. c 46.

ibid L. 2. c. 20.

cap. 15.

CAP. XXII.

Orig in Iof. hom. 21 in T. 1. p. 328.

Sicut (inquit) *dicitur de zizaniis*, ne forte eradicantes zizania simul cum illis eradicetis & triticum; *ita etiam super iis dici potest, in quibus vel dubia, vel occulta peccata sunt. Neque enim dicimus de iis, qui MANIFESTE & evidenter criminosi sunt, ut non de Ecclesia expellantur.* Et paucis de Iebusæorum figura interjectis; *Ergo quia* (inquit) *non possumus eiicere istos, qui nos conculcant, eos saltem, quos possumus, quorum peccata manifestata sunt.* ibid. *Vbi enim peccatum non est EVIDENS, eiicere de Ecclesia neminem possumus, ne fortè eradicantes zizania, eradicemus simul cum ipsis etiam triticum.* Hactenus Origenes; peccatores de Ecclesia eiiciendos, manifestos quidē cōcedens; occultos vero negās, utrumq; adeo diserte, ut nihil dici possit clarius. Constat autē de Ecclesia *ejectū* fuisse, ad tempus, quicūque publicæ pœnitentię subiiciebatur. Nullus ergo subiiciebatur, nisi qui *manifeste & evidenter criminosus* esset; cujusq; peccata essent *manifestata*. Etiā his disertiora sunt, quæ idem habet in alio quodā loco, ubi cum observasset *etiam per eos, qui Ecclesiæ præsident, & potestatē habent non solum solvendi, sed etiam ligandi, tradi peccatores in interitum carnis, cum pro delictis suis à Christi corpore separantur: Et ut mihi videtur* (inquit) *dupliciter etiam nunc traduntur homines de Ecclesia in potestatem Diaboli. Vno modo, quo superius diximus, cum delictum ejus MANIFESTVM sit Ecclesiæ, & per Sacerdotes de Ecclesia pellitur, ut notatus ab omnibus erubescat, & converso eveniat illi, quod sequitur,* ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. *Alio autem modo quis traditur Diabolo, cum peccatum ejus manifestum non sit hominibus, Deus autem, qui videt in occulto, perspiciens ejus mentem, & animam vitiis, ac passionibus servientem, & in corde ejus non solum amorem sæculi, sed aut avaritiam, aut libidinem, aut jactantiam, vel alia hujusmodi, istum talem ipse Dominus tradit Satanæ. Quomodo eum tradit Satanæ? Discedit à mente ejus, & avertit se, & refugit à cogitationibus ejus malis, & desideriis indignis, & derelinquit domum cordis ejus vacuam.* Hæc ille; præfecti Ecclesiæ animadvertendi potestatem in peccatores tribuens, sed manifestos; occultos vero solius Dei disciplinæ relinquens, quo non privatum modo Arnaldi dogma, sed totam etiam Latinorum Innocentianam confessionem palam subruit. Huc quoque pertinet tertius ejusdem scriptoris ex opere in Matthæum locus; *In Ecclesiis Christi* (inquit) *consuetudo tenuit talis, ut qui MANIFESTI sunt in magnis delictis eiiciantur ab oratione communi, ne modicum fermentum non ex corde mundo orantium, totam unitatis conspersionem, & consensum corrumpat.* Quod *in magnis delictis manifestos* ab oratione separari ait; eo apertissime negat separari qui non sunt in talibus manifesti. Hic autem Ecclesiæ veteris usus ex eo caritatis & prudentiæ fonte profluit, quem idem auctor alibi indicat; quo loco institutum à Christo fraternæ correptionis ordinem laudans, cavendum inprimis monet ne qui forte peccatum fratris sui vidit, *continuo evolet ad publicum, & proclamet passim, ac divulguet aliena peccata; quod esset utique* (inquit) *non corrigentis, sed infamantis.* In hanc

Id. in Iudic. hom. 2. extr. T. 1. p. 342.

Id in Matth. tract. 39. T. 2. p. 179.

Id. in Levitic. hom. 3. T. 1. p. 113.

autem legem nemo non videt graviter peccaturos fuisse veteris Ecclesiæ Episcopos, si arcani occultique delicti reum publice ante totius plebis ora pœnitentiæ nomine traduxissent. Parco plura afferre. Hæc enim satis sunt, ut demonstretur ex veteri Patrum instituto non alios publicæ pœnitentiæ obnoxios necessario & legitime olim fuisse peccatores, quam quorum crimina non solum gravia, sed etiam nota & manifesta essent; adeoque de his tantùm intelligenda esse illa, quæ veteres capitalia passim vocant quæque publicâ pœnitentia necessario purgari jubent. Quod ita clarum est, ut non modo Petavius (de cuius sensu supra diximus) sed & alij fere omnes adversarij, si Arnaldum, & paucos ejusdem sectæ exceperis, uno ore fateantur non aliis quam manifestis & publicis criminibus impositam olim fuisse pœnitentiam. Sed istos error ex solenni suæ (id est Romanæ) Ecclesiæ praxi, ac doctrina præceptus turbasse videtur, quod scilicet sibi finxerunt id, quod ipsi docent, Patres quoque sensisse, nullum scilicet peccatum sine sacerdotis judicio & absolutione remitti posse, quod quidem ex eorum genere sit, quæ vulgo mortalia in eorum scholis appellantur. Cum enim viderent illorum, quæ ipsi in eo censu ponunt partem multo maximam nusquam in antiquis publicæ pœnitentiæ canonibus notatam, vel commemoratam reperiri, nequa peccata sine sacerdotis ministerio purgari aut remitti posse viderentur, finxerunt ea, de quibus in priscis canonibus nihil dicitur, non publice quidem, sed tamen privatim fuisse à sacerdote procurata, & soluta; eoque præter *publicam* apud Patres notissimam, aliam insuper *arcanam* & privatam pœnitentiam fabricati sunt, vere arcanam & occultam, quæ nusquam scilicet in veterum monumentis cernitur. Arnaldus vero, qui in Patrum libris diligenter versatus sciret hanc planè fictitiam, atque ut ipse alicubi appellat, *imaginariam* esse pœnitentiam, neque aliam, quam publicam, apud veteres in usu vel notitia fuisse, ne dulcissimum ac longe carissimum sacerdotum in fidelium animas imperium, summamque de omnibus ac singulis eorum peccatis cognoscendi potestatem amitteret, coactus est defendere nullum esse letale crimen sive manifestum, sive occultum, quod non olim esset publicæ pœnitentiæ obnoxium. Nos, quibus ab omni præjudicio liber, unique vero addictus est animus, misso utrorumque errore, ex Romæ imperiis, atque commodis nato, quod seorsum singuli recte ac vere concedunt, accipimus, ac defendimus: & cum Arnaldo quidem contra cæteros probamus nullam aliam in antiquissimorum sæculorum Ecclesia pœnitentiam ab antistitibus necessario, & ex lege imperatam fuisse nisi *publicam*; privatam, & arcanam, à sacerdote impositam, quæ eadem legitima, ac necessaria sit; sequentium temporum inventum esse, vetustis Patribus præter verum à recentioribus Theologis inverecunde affictum. Cum cæteris vero adversariis vicissim contra Arnaldum defendimus nullis, nisi manifestis criminibus impositam olim fuisse (necessario scilicet, atque ex le-

Cap. XXII.

Cap. XXIII. clesiastica lege) publicam pœnitentiam; quod utrumque satis hactenus, quam verum sit, demonstravimus. Ergo ut ad institutam de confessione disputationem ista tandem aliquando referamus; cum hactenus probatum sit, neque aliam apud veteres sacerdotis ministerio egentem pœnitentiam fuisse, nisi publicam, neque eam ipsam aliorum peccatorum fuisse, quam capitalium, id est gravium, & manifestorum, sacerdotesque adeo de his solis, non de aliis, necessario cognovisse, qui ex adversariorum scilicet hypothesi non alia de causa peccata cognoscere debent, nisi ut ea per pœnitentiam procurata solvant, clarum est apud veteres nulla alia fideles peccata sacerdotibus confiteri necessario debuisse, nisi ea, quæ & gravia, & manifesta essent, cætera, quæ longe plurima sunt, ipsos sua singulos apud Deum privata pœnitentia, sine ullo sacerdotis ministerio procuravisse. Vnde postremo *efficitur*, nuperum istud Innocentij III. tormentum, quo omnes fideles omnia delicta sua, manifesta, occulta, gravia, minuta sacerdoti in aurem sigillatim confiteri, velut admotis fidiculis, certa & ineluctabili lege coguntur, id inquam à veteris Ecclesiæ disciplina plane alienum, & apud eam inauditum fuisse.

Capvt XXIII.

Argumentum XVIII. ex insigni quodam Gregorij Nysseni testimonio ductum.

AC licet hæc una demonstratio id abunde efficiat, sunt tamen & alia non pauca, quæ idem non minus evidenter probant. Tale illud est verbi gratia, quod apud Gregorium Nyssenum, in loco, quem jam supra attigimus, occurrit. Is enim cum observasset peccata avaritiæ, quæ ab Apostolo *& idololatria, & omnium malorum radix* vocatur παρεωρᾶθαι ἀνεπισκέπτως τε καὶ ἀθεραπεύτως *inconsiderata, & absque cura prætermissa esse a Patribus*, hoc est (ut optime interpretatur Balsamo) relicta esse ἀνεπιτιμήτως τε καὶ ἀκόλαστα *impunita & incastigata*, nullis adeo pœnitentiæ censuris, pœnisque subjecta; postquam hoc, inquam, observavit, continenter addit, ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων διὰ τὸ παρεῖσθαι τοῖς πατράσιν ἡμῶν, ἀρκεῖν ἡγούμεθα τῷ δημοσίῳ τῆς διδασκαλίας λόγῳ, ὅπως ἂν οἷόν τε ᾖ θεραπεύειν, ὥσπερ τινὰ πληθωρικὰ, τὰ πλεονεκτικὰς ἀῤῥωςίας διὰ τοῦ λόγου καθαίροντες. *Sed de his quidem quoniam id à Patribus prætermissum est, sufficere existimo publico doctrinæ, sive instructionis sermone ea, quomodo fieri potest, curare avaritiæ affectiones, veluti quosdam ex repletione ortos morbos, oratione purgantes.* Locus palmarius; qui totum confessionis Innocentianæ mysterium illo sæculo (id est quarto pœne præcipiti) Ecclesiæ Christianæ adhuc inco-

Epist. canon ad Letoium.

Balf. in loc. p. 1054. a.

Ibid.

incognitum fuisse, plane, liquidoque demonstrat. Primo enim si id à Patribus observabatur jam ante Gregorium, & purgandis omnibus omnino peccatis necessario quibusvis fidelibus præcipiebatur, qua fronte dicit Gregorius avaritiæ delicta παρεῶσθαι τοῖς πατράσι? item παρωφθῆναι ἀνεπίσκεπτα; *pretermissa fuisse à Patribus, & sine consideratione ac cura relicta despectaque?* Amabo, id ne peccatum *pretermittitur?* idne sine *cura & consideratione negligitur*, quod inviolabili lege sacerdoti necessario, & quidem sub æternæ mortis pœna, ab omnibus omnino fidelibus revelari jubetur? ut ejus absolutio, debitaque ei pœnitentia à Christi ministro accipiatur? Profecto si ita est adversarii delicta, imo & crimina omnia *sine cura, & consideratione prætermittunt ac negligunt*, quæ non alia quam arcana hac confessione necessario procurari jubent. Sed non ita est. Neque enim *neglecta* aut *prætermissa* dici possunt, quæ tam severæ, tamque necessariæ, ac inexorabili disciplinæ subiiciuntur, ut ne unum quidem, qualecumque ac quantulumcumque fuerit delictum, sacerdoti occultum, ac non ejus oculis & considerationi expositum remanere queat. Ergo cum Gregorius avaritiæ peccata, quæ mortalia esse & omnes confitentur, & ipse affirmat, à Patribus, qui ante se vixerunt, *prætermissa, & sine consideratione habita, neglectaque fuisse* dicat: clarum est nullam fuisse apud eos Innocentianæ confessionis legem; nullaque alia potasse Gregorium à Patribus curata, nisi ea quibus publicam pœnitentiam in canonibus constituerant; nullam adeo ipsi cognitam fuisse confessionis arcanæ disciplinam. Sed & omnem pertinaciam expugnat, quod quæ cum letalia sint, à Patribus omissa dicit, satis esse ait ea τῷ δημοσίῳ διδασκαλίας λόγῳ θεραπεύειν *publico doctrinæ, sive prædicationis sermone curare, & oratione purgare.* Atqui arcana confessione, si eam cognitam habuisset, curanda dicere hic inprimis debuit, monereque eo impensius auriculari confessionis hujus negotio vacandum, atque incumbendum, quod Patres tam multa, tamque gravia peccata nulli publicæ pœnitentiæ subjecissent. Ille vero hoc, quod tali loco, si tum extabat Innocentiana confessio, dici necessario debuit, hoc inquam ille non modo nullus dicit, sed planè contra diserte, affirmateque pronuntiat se existimare ἀρκεῖν *sufficere, satis esse* hujusmodi peccata τῷ δημοσίῳ διδασκαλίας λόγῳ θεραπεύειν *publico doctrinæ*, sive *prædicationis sermone curare*, & avaritiæ delicta τῷ λόγῳ καθαίρειν *verbo purgare*. Clarum est eum purgationem, quę fit verbo, ei opponere, quæ fit τῷ ἐπιτιμίῳ, sive τῇ κολάσει, *pœna & castigatione*, id est (ut Patres, sed alio quam nunc sensu, loquebantur) *satisfactione canonica*. Ergo avaritiæ delicta, quæ *verbo purganda* ait, nulli satisfactioni, sive pœnæ subiicit, nulli adeo arcanæ confessionis tribunali, in quo mortalia satisfactione aliqua omnino, necessarioque purgantur. Nihil est argumentis opus. Gregorius diserte ait illa avaritiæ crimina *publico doctrinæ*, sive *prædicationis sermone curanda*, neque id modo, quod per se satis erat, dixit: sed illud præterea affirmat, istam illo-

MMM 2 tum

CAP. XXIII rum peccatorum curationem, quæ *publico doctrinæ sermone* fit, ἀρκεῖν satis esse, sufficere, seque ista existimare, ἀρκεῖν ἡγούμεθα. Quid requiri possit amplius, ego quidem non video. Ait satis esse, ut quantumvis letalia avaritiæ crimina *publico doctrinæ sermone curentur*. Ergo inquam, ut iis Innocentianæ confessionis medicina adhibeatur, nihil necesse est. Nam si & hanc necessario adhibendam putasset Gregorius, nunquam alteram illam publicæ prædicationis medicinam his curandis morbis ἀρκεῖ *satis esse* dixisset: quæ non modo alia est ab *arcana & auriculari confessione*, sed etiam ei contraria, atque opposita est, nisi quis *publicum* idem esse putet quod *arcanum*, idem esse apud universam plebem prædicare, & in suas unius aures insusurrata audire. Eat nunc Perronius, & sua illa nobis occinat, *veterem Ecclesiam sensisse neminem sine vocali, distinctaque peccatorum apud Pastorem confessione remissionem eorum à Deo impetrare posse*. Profecto vel unicus Nysseni locus demonstrat veterum disciplinam ita à Patribus constitutam fuisse, ut crimina quædam graviora (ut hic de avaritiæ peccatis patet) non alia ratione ex solenni quidem & necessaria muneris sui lege, curarent Pastores, quam publice docendo, ac prædicando, hominesque omnes ad pœnitentiam & morum conversionem vocando, atque urgendo: publicæ vero exhortationis, sive διδασκαλίας effectum, atque eventum Domino, & ipsis audientium conscientiis permisisse, neque ultra quemquam, nisi qui criminum in canonibus notatorum reus foret, ad confessionem coëgisse, vel compulisse: quæ disciplinæ forma, ac ratio, si rei genus, ac non singulas unà circumstantias, ac minutias spectes, plane ea ipsa est, quam nos docemus, ac commendamus, & quo ad fieri potest observamus. Quod vero Balsamo Nysseno Thaumaturgi & Theophili quædam velut contraria dicta objectat, ille operam ludit. Neque enim cuiquam persuadebit sibi melius quam Nysseno cognitos veteris Ecclesiæ mores. Illud quidem certum manet & ipsius (hoc est celeberrimi ac probatissimi Theologi) sententiam, & Nyssenæ Ecclesiæ praxim eam fuisse, quam ex eo nuper descripsimus. Alios fuisse vel Alexandrinæ vel Neocæsariensis mores non est verisimile. Sed & quæ contra affert Balsamo levia sunt. Theophilus probat, ac laudat, quod quidam mulierem ἀδικοῦσαν *injuriam facientem à communione separaverant*. Atqui non omnis ἀδικία avaritiæ peccatum est. Ἀδικεῖ, qui contumeliam proximo facit, qui ejus thorum violat: vel mulier, quæ mariti cubile prodit. Neque tamen hæc peccata ad avaritiam pertinent. Tum neque Nyssenus negat ullum plane esse avaritiæ delictum, quod canonice puniatur. Ipse sepulcrorum effossores, fures, & paucos de hoc genere alios pœnitentiæ publicæ subiicit. Tantùm cætera, quæ maximam avaritiæ segetem faciunt hinc eximit. Ad illa pauca restringenda est Thaumaturgi sententia πᾶς ὁ τοιοῦτος ἐκκηρυκτὸς τῆς ἐκκλησίας θεοῦ, *Quisquis est hujusmodi à Dei Ecclesia abdicatur*. Quod si eam expositionem non ferunt Thaumaturgi verba: tanti non est horũ,

Replique p. 555.

Vbi supr. p. 1059 a.b.

Greg. thaum. c. p.

qui ei vulgo tribuuntur canonum auctoritas, ut Nysseni certissimæ doctrinæ opponi debeat. Albaspineus quidem de iis dubitanter loquitur, *Si modo (inquit) Gregorij Thaumaturgi ij sint, qui ejus nomine feruntur canones.* Profecto siquid à Thaumaturgo scriptum eo sensu esset, quem defendit Balsamo, id neque nescivisset Nyssenus, summus atque unicus Thaumaturgi laudator, ac admirator, neque oppugnasset, si scivisset. Itaque dubitandum non est quin illa à Balsamone ex Thaumaturgo laudata ῥῆσις vel falsa sit, & ei immerito afficta & supposita, vel certe quin aliter, quam quomodo eam accepit Balsamo interpretanda sit.

Observat. l. 1. observ. 21 p. 131.

Caput XXIV.

Argumentum XIX. ex Nectarij facto sumptum, qui pœnitentiarij presbyteri munus ex quadam occasione Constantinopoli abrogavit. Adversariorum de eo diversæ, & inanes discrepantesque sententiæ. Quid, qualeque id fuerit, explicatur; & ex ejus narratione Innocentiana confessio evertitur; Bellarminique, Perronij, & Petavij cavillationes refelluntur, ac effugia præcluduntur.

XI. Seqvitvr, ut de famoso Nectarij Constantinopolitani Episcopi facto dicamus; quo multi & adversarij & nostri confessionem Innocentianam, vel planè everti, vel certè haud mediocriter labefactari putant. Id autem ita refert Socrates: ἐπὶ δὲ τῶν αὐτῶν χρόνων, inquit, ἔδοξε καὶ τοὺς ἐπὶ τῆς μετανοίας περιελεῖν πρεσβυτέρους τῶν ἐκκλησιῶν δι᾽ αἰτίαν τοιαύτην. ἀφ᾽ οὗ Ναυατιανοὶ τῆς ἐκκλησίας διεκρίθησαν, τοῖς ἐμπεπτωκόσιν ἐν τῷ ἐπὶ Δεκίου διωγμῷ κοινωνῆσαι μὴ θελήσαντες, οἱ ἐπίσκοποι τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι τὸν πρεσβύτερον τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας προσέθεσαν. ὅπως ἂν οἱ μετὰ τὸ βάπτισμα πταίσαντες ἐπὶ τοῦ προβληθέντος τούτου πρεσβυτέρου ἐξομολογῶνται τὰ ἁμαρτήματα. οὗτος ὁ κανὼν κρατεῖ μέχρι νῦν ἐν ταῖς ἄλλαις αἱρέσεσι. μόνοι δὲ οἱ τοῦ ὁμοουσίου φρονήματος καὶ οἱ τούτοις κατὰ τὴν πίστιν ὁμόφρονες Ναυατιανοὶ τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον παρῃτήσαντο. Ναυατιανοὶ μὲν γὰρ οὐδὲ τὴν ἀρχὴν τὴν προσθήκην ταύτην ἐδέξαντο. οἱ δὲ νῦν ἐκκλησιῶν κρατοῦντες, ἕως πολλοῦ φυλάξαντες, ἐπὶ Νεκταρίου τοῦ ἐπισκόπου μετέθεσαν, τοιούτου τινὸς ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν συμβάντος. γυνή τις τῶν εὐγενῶν προσῆλθεν τῷ ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβυτέρῳ. καὶ κατὰ μέρος ἐξομολογεῖται τὰς ἁμαρτίας, ἃς ἐπεπράχει μετὰ τὸ βάπτισμα. ὁ δὲ πρεσβύτερος παρήγγειλε τῇ γυναικὶ νηστεύειν καὶ συνεχῶς εὔχεσθαι, ἵνα σὺν τῇ ὁμολογίᾳ καὶ ἔργον δεικνύειν ἔχῃ τῆς μετανοίας ἄξιον. ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα, καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει. ἔλεγε γὰρ ὡς εἴη συγκαθευδήσας αὐτῇ τῆς ἐκκλησίας διάκονος. τοῦτο λεχθὲν, τὸν μὲν διάκονον τῆς ἐκκλησίας ἐκπεσεῖν παρεσκεύασε. ταραχὴ δὲ κατεῖχε τὰ πλήθη. ἠγανάκτουν γὰρ οὐ μόνον ἐπὶ τῷ γεγενημένῳ, ἀλλ᾽ ὅτι καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ βλασφημίαν ἡ πρᾶξις καὶ ὕβριν προ-

hist. l. 5. c. 19. fol. 145 col. 1. 1.

CAP. XXIII. ξεῖναι. διαπυρουμένων δὲ ἐκ τούτων τῶν ἱερωμένων ἀνδρῶν δὲ δήμου τις τῆς ἐκκλησίας πρεσβύτερος, ἀλεξανδρεὺς τὸ γένος, γνώμην τῷ ἐπισκόπῳ δίδωσι, νεκταρίῳ περιελεῖν μὲν τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον. συγχωρῆσαι δὲ ἕκαστον τῷ ἰδίῳ συνειδότι τῶν μυστηρίων μετέχειν. οὕτω γὰρ μόνως ἔχειν τὴν ἐκκλησίαν τὸ ἀβλασφήμητον. ταῦτα περὶ τῆς διαιρέσεως ἀκούσας ἐγὼ τῇ γραφῇ νῦν δὲ παραδοῦναι ἐθάρρησα, Christophoreonus ita Latinè reddidit; *Per id tempus visum fuit Ecclesiæ, ut presbyteri, qui in singulis Ecclesiis pœnitentiæ præerant, tollerentur, idque hac de causâ. Ab illo tempore quô Novatiani se ab Ecclesiâ sejunxerant, recusaverantque cum his, qui tempore persecutionis regnante Decio concitatæ lapsi erant, communicare, Ecclesiarum Episcopi canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis presbyter quidam pœnitentiæ præesset, quo qui post baptismum lapsi fuissent, coram presbytero ad eam rem designatô peccata sua confiterentur. Iste canon adhuc apud alias sectas ratus, firmusque manet: soli autem, qui fidem consubstantialis tenent, cum Novatianis, qui cum illis in eâ fide consentiunt, presbyterum pœnitentiarium rejecerunt. Novatiani verò, nè initiô quidem istam quasi appendicem admiserunt. Episcopi: qui jam præsunt Ecclesiis quamvis ad longinquum temporis spacium hoc tenerent institutum, tamen temporibus Nectarii Episcopi immutarunt, propter ejusmodi facinus, quod tum forte fortunâ in Ecclesiâ admissum fuit. Mulier quædam nobilis ad presbyterum pœnitentiarium accedit, peccata, quæ post baptismum admiserat, particulatim confitetur. Presbyter mulieri mandatum dat, ut jejuniis, & continuis precibus se dederet, quò una cum peccatorum confessione opus dignum pœnitentia ostenderet. Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpæ se ipsa insimulat, Diaconum Ecclesiæ cum ipsâ dormivisse. Ob quod factum hoc modô patefactum, diaconus ab Ecclesia ejectus est. Tumultus indè in populi multitudine excitatus. Nam indignabantur non modò de admissô flagitiô: verum etiam quod indè gravis infamia & contumeliæ nota Ecclesiæ inusta esset. Itaque cùm sacerdotibus ob hanc caussam esset vehementer obtrectatum, Eudæmon quidam Ecclesiæ presbyter, genere Alexandrinus, Episcopo Nectario dedit consilium, ut presbyterum pœnitentiarium tolleret: & liberam daret potestatem, uti pro suâ quisque conscientia ad mysteria participanda accederet. Nam eô pactô solùm futurum esse, ut Ecclesia omni maculâ careret infamiæ. Ista*

Hist. l. 7. c. 16. *quoniam ab Eudæmone ego ipse accepi, huic nostræ historiæ mandare neutiquam planè dubitabam.* Hactenus Socrates Sozomenus eadem quoque refert, & notat insuper cui id negotij darent presbytero, eum electum fuisse ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα *secretorum tenacem, ac prudentem*: tum & illud addit Romæ observari illam pœnitentiæ legem, eamque ipse describit, iis quæ supra de publica exomologesi diximus, congruentem. Hæc autem narratio immane quantùm adversarios turbavit. Fuerant, qui totam ut falsam, & ab istis scriptoribus, quos Novatianos fuisse volunt, confictam exploderent: qualis parentum memoriâ extitit Latinus Latinius, qui disputationem de hoc argumento Romæ edidit. Quæ quanta sit inverecundia nemo non intelligit, rem non à Socrate tantum & Sozo-

Cap. XXIV.

Sozomeno perſcriptam, cum ad hoc ij viverent, qui rei geſtæ interfuerant, quæque ab iis narratur Constantinopoli conſcio omni populo geſta fuiſſe, ſed & ab Epiphanio & à Caſſiodoro in hiſtoria tripartita (L.9.c.35.) ſine ulla auctorum, unde eam habent, reprehenſione repetitam, & à Nicephoro itidem in hiſtoriam Eccleſiæ relatam (Lib 12.c.28.), ex tua libidine, ſine veteris cujuſquam ſcriptoris teſtimonio, rejectum ire. Sed nihil opus eſt in iſta Latinij temeritate refellenda immorari, quæ & à Bellarmino (L.3.de pœnit. c.14 extr in 3. Thom q.90. art.1 dub.1. num.3.6.7.), velut improbabilis, & incredibilis refutatur, & à Vaſque etiam paulò fuſius caſtigatur. Alij concedunt confeſſionem (ut vocant) ſacramentalem à Nectario revera fuiſſe abrogatam: Sed eum hac in re graviter peccaſſe dicunt, quæ ſanè facilis eſt, & oppidò compendioſa de Patribus diſputandi ratio, ut ſiquid in rem tuam dicant, id ſtare ac valere: ſiquid contra te pronuntiant, id ut ſtultè, ac iniquè dictum vapulare ac explodi jubeas. Hæc autem fuit de Nectarij facto, non Valdenſis tantùm, ut refert Bellarminus (Tom 2. c.14. num 4.), ſed etiam Cani, * quod teſtatur Vaſques, recentioris memoriæ Theologi, ſententia, qui eo tantùm à Valdenſe differt, quod Nectarium nonnihil excuſat (* Relect. de pœnit p.5.fol. 89.§.Ad ſextum.). Sed neque hanc iſtorum reſponſionem probant, Bellarminus †, Vaſques † († ub.ſupr.), alij, quod Nicolaus* Papa in Epiſtola ad Photium (* Syn.8.Act. 4.), Nectarium vocet *hæreticorum expugnatorem, & Eccleſiarum defenſorem.* Ego obiter hinc obſervo *Petavius* non in noſtros ſolos, ut nugas ſed etiam in ſuos jeciſſe contumelioſum illud, quod ait, *hæreticos* (ſic enim nos Loioliticæ diſciplinæ convitiator vocat) *inſcitiæ ſuæ monimentum in hac objicienda hiſtoria defixiſſe* (in Epiph. p. 240.). Atqui ſi *ſacramentalem confeſſionem à Nectario abrogatam* exiſtimare, id eſt *inſcitiæ ſuæ monimentum defigere*, quod ait grandiloquus hic Ieſuita, profectò *inſcitiæ ſuæ monimentum* & Valdenſis jam multis ante noſtros annis, & Canus unà cum iis *defixerunt*, quos Petavius credo, non habet pro hæreticis. Nihil neceſſe eſt Ruardi, acceptam ab Heſſelio, opinionem, & à Petro quidem Bullingero, & Soto probatam, à Vaſque verò rejectam atque confutatam, referre, quæ apud Vaſquem videat, qui volet. Ne Perronij quidem; aut Bellarmini & Baronij † omnia admittit Petavius: ſed* eorum nonnulla refellit (ub.ſupr.num. 9.10.11.12.13. * Dec.6.§.14. in Epiph.p 242.), quale illud eſt, quod iſti putant *mulieri illi mandatum fuiſſe, ut ſua pro concione peccata omnibus ediceret*, vel eam ſua ſponte illa confeſſam eſſe, quod ego Petavio aſſentior & abſurdum eſſe, & falſum, neque veterum ſcriptorum ulla auctoritate niti. Quod enim ij narrant *a muliere de ſuo illo flagitio dictum eſſe*, id tu ſacerdoti pœnitentiario dictum fuiſſe intellige, non autem palam & in publico conventu. Cùm enim patefacto ſacerdoti illius diaconi ſcelere, factum eſſet, ut antiſtes à ſacerdote admonitus diaconum exauctoraret, inde cœpit mulieris facinus ad plures manare, totaque res paulatim innoteſcere, cujus magna fuit apud populum invidia. Hæc & alia quæ adverſarij alij in aliorum ſententiis carpunt, ita ut vix reperiant in quo conquieſcant, nos libenter mittimus. Vltrò enim Petavio, cæteriſque adverſariis id, quod

magno-

CAP. XXIV magnopere cupiunt, concedimus non fuisse *Innocentianam*, sive, ut ipsi vocant, *sacramentalem*, vel *auricularem confessionem* à Nectario abrogatam, & è nostris, qui id contenderunt, hallucinatos fuisse confitemur. Quæso enim quià Nectario abrogari potuit, quæ nusquam vel à Patribus vetustioribus ulla lege instituta, vel apud fideles illorum temporum usitata fuisse deprehenditur, imò quæ ne multis quidem post Nectarium sæculis cognita, octingentis demùm post ejus episcopatum annis, sub Innocentio III. Romæ Pontifice nata est? Hanc tot post sæculis exortam à Nectario jam tum fuisse abdicatam, nos sanè neque Valdensi aut Cano, neque nostris concedere possumus, qui scimus nihil nisi quod vel institutum, vel usitatum fuerit abrogari; neque refigi, nisi quæ fixa fuerant. Quod verò Petavius gravitate planè Iesuitica *cuiquam dubium esse* vetat *privatam & confessionem, & pœnitentiam salvam utramque & incolumem etiam Constantinopoli* post Nectarij factum *mansisse*, id (si de sua illa sacramentali confessione intelligit: quod sanè nisi intelligat, negatur) id inquam probare ac demonstrare debuit, non dictare. Fateor privatam tum fuisse *pœnitentiam*, (illam scilicet fidelium *quotidianam*, de quâ supra ex Augustino diximus.) Fateor fuisse & *confessionem privatam*, eam scilicet, quæ publicam pœnitentiam præcedebat: Sed criminum tantùm & peccatorum in canonibus expressorum: Fateor & fas fuisse cuique fideli Pastorem consulere, eique delicta, etiam arcana, aperire ad quærendum remedium, adeoque & aliquam fuisse, etiam non capitalium delictorum confessionem: sed liberam, & ex singulorum arbitrio, non ex publica omnium lege susceptam. Istam vero sive Innocentianam, sive (quod isti malunt) *Sacramentalem*, & *omnium delictorum*, & ex universali Ecclesiæ lege, & omni fideli sub mortis æternæ pœna necessariam *confessionem* in rerum natura non modo Constantinopoli, quod affirmat Petavius, sed etiam uspiam alibi Nectarij temporibus fuisse nego, ac pernego, & quidem, nisi vehementer fallor, quàm verè negem, vel ex iis, quæ hactenus adducta sunt satis demonstravi. Istam quidem fateor Nectarij constitutio non læsit: non pulsavit, non tetigit. (Quî læsisset quæ nondum erat?) Inde fieri, *ut salva, & incolumis mansérit*, nego. Nam *salva & incolumia* non *alia manent*, quam quæ *sunt*. Quæ non sunt, ea ut non abrogantur vel pulsantur, ita neque manent. Itaque Petavius *confessionem* suam, si *salvam* mansisse neque illo Nectariano fulmine afflictam vel afflatam fuisse persuasum nobis cupit, *fuisse* eam jam tum probare debet, cum Nectarius decretum illud fecit. Alioqui ut patet, omnem ille operam ludit. Quam ergò, inquis, confessionem, sive pœnitentiam Nectarius abrogavit? Eam, inquam, sustulit, quæ tum in usu erat Constantinopoli, quamque & Socrates & Sozomenus & Nicephorus apertissime describunt. Nullam autem illi describunt privatam pœnitentiam, nullam confessionem, quæ ad privatam pœnitentiam fieret, qualis est adversariorum, de quâ nunc disputamus, confes-

(margin, beside "fixa fuerant"): ub. supr. 541.

confessio. Ergo neque eam à Nectario abrogatam intelligunt: quæ (ut diximus) cum nondum ulla esset, neque vel à Nectario abrogari, vel à Sozomeno & Socrate intelligi potuit, aut cognosci. Illi verò publicam pœnitentiam ita clarè describunt, ut quin eam intellexerint, ambigi neque possit, neque debeat. Vide quæso annon publica fuerit quæ ab istis commemoratur pœnitentia, cùm Sozomenus * & Nicephorus † qualiter ea Romæ fieret, enarrantes, dicant istos pœnitentes in certo quodam, eoque conspicuo Ecclesiæ loco mœstos, ac velut lugentes constitisse, peractaque liturgia, mysteriis minimè communicantes, cum fletu & planctu pronos humi procubuisse, totaque flente Ecclesia, ab Episcopo excitatos, & cum suis ad Deum precibus dimissos? Itaque confessio, de qua iidem scribunt ad publicam, non autem ad privatam, pœnitentiam fiebat. Ergo pœnitentia non alia, quàm publica confessio non alia, quam ad publicam pœnitentiam, à Nectario abrogata fuit. Quin & hoc addiderim ne publicam quidem pœnitentiam planè penitusque ab eo sublatam esse; neque adeò omnem confessionem quæ publicam pœnitentiam necessario præcedere debet. Vix enim crediderim in tanta tamque celebri Ecclesia tam letalem plagam Ecclesiasticæ disciplinæ inflictam fuisse, ut ad pœnitentiam publicam tot canonibus sancitam, inque universali usu positam, & Apostolica auctoritate non obscurè subnixam nulli omninò peccatores Constantinopoli vel admitterentur, vel etiam cogerentur. Id factum à Nectario, neque quisquam veterum dicit, aut reprehendit: neque Socrates & Sozomenus significant. Hi sacerdotem pœnitentiarium Decianis temporibus institutum, ex illius mulieris occasione à Nectario abrogatum narrant, ut plebis murmuri, ac querelis satisfieret illius sacerdotis imprudentia nobilem mulierem infamatam, Ecclesiæque factam invidiam indignantis. Ex quâ narratione sequitur quidem observatum hactenus à Decianis usque temporibus pœnitentiæ morem, ut ea scilicet à pœnitentiario presbytero infligeretur, à Nectario abolitum Constantinopoli desiisse, non sequitur ipsam pœnitentiam penitus abrogatam. Fieri enim potest, ut sublato Decianorum temporum instituto, res ad eum ordinem revocata sit, quo ante Deciana tempora in Ecclesia administrata fuerat, scilicet, ut pœnitentia non amplius à presbytero illo, sed sicut olim, ab ipso Episcopo peteretur, qui una cum presbyterio eam præscriberet. Illud fateor, hac mutatione recens à Nectario facta, videri Constantinopoli haud parum remissam fuisse publicæ pœnitentiæ disciplinam, quod scilicet Episcopis in alias curas intentus, ut in tanta Ecclesia necesse fuit, criminibus notandis, reisque ad pœnitentiam urgendis, ac compellendis minùs invigilaret, quàm pœnitentiarius ille, dum staret, presbyter; qui cùm uni huic negotio totus vacaret, multò accuratius pœnitentiam, ut probabile est, procurabat, criminum capitalium reos facilius deprehendebat, deprehensos acrius urgebat, segnesque ac restitantes diligentius compellebat:

Cap. xxiv.

* L. 7, cap. 16.
† L. 12, c. 28.

Cap. xxiv. lebat, eoque res delapsa videtur, ut post abrogatum illius presbyteri officium, non alij Constantinopoli publicæ pœnitentiæ subiicerentur, quàm qui ul o ac volentes eam ab Episcopo expeterent, cæteros ejus ex canonibus reos Episcopus neque admodum sollicitè inquireret, neq; abnuentes pœnitentiam facere cogeret, nisi fortè insigne ac singulare fuisset alicujus scelus, & cum universæ Ecclesiæ scandalo conjunctum; quales peccatores non sit verisimile sinè pœnitentia publica ad communionem admissos. Hujusmodi disciplinæ pœnitentiariæ remissionem in Ecclesiam Constantinopolitanam illo Nectarij decreto inductam esse, omninò significant & Socrates & Sozomenus. Atque hæc quidem nostra est de Nectariano facto sententia, quam, quod à Baronij, Petavij, Perronij, Bellarminique & aliorum adversariorum placitis, non admodum discedat, fusiùs explicare, aut probare nihil necesse est. Ergo his ita constitutis fateor non quidem inde probari abrogatam fuisse à Nectario arcanam illam adversariorum ex necessaria lege ad privatam pœnitentiam confessionem (quæ cum, ut diximus, nondum in rerum natura esset, tum profectò abrogari non potuit), sed tamen contendo ex hac historia, totaque scriptorum, apud quos ea extat, oratione clarè colligi nullo tum apud Christianos in usu fuisse Innocentianam istam, quam nos oppugnamus, confessiouem. Ac primò quidem id ex eo ipso haud obscurè deprehendas, quod nulla ejus mentio tali loco facta fuerit, neque à Socrate neque à Sozomeno, neque, ipso denique Nicephoro. Nam si privata hæc confessio jam antè Decianam persecutionē & deinceps iis quæ secuta sunt, temporibus, in usu fuit: nemo non videt pœnitentiarij presbyteri institutionem narrantes privatæ hujus confessionis, ac pœnitentiæ mentionem omninò facere debuisse: ita ut, dicerent cum cæteri leviorū peccatorū rei, quæq; privatā tantūmodò pœnitentiā desiderarent à quibusvis, etiam minutis sacerdotibus satisfactionem, & absolutionem de more peterent: institutum hunc pœnitentiarium presbyterum fuisse, ut qui graviorum criminum publicaque ex canonibus pœnitentia dignorum rei essent, eos ille audiret, & modum iis pœnitentiæ præscriberet. Hæc sic omnino narrari decuit, siquidem privata illa pœnitentia in communi Ecclesiæ usu revera tum apud veteres fuit: neque qui eam in usu fuisse vult, Petavius aliter rem narrat, ut videre est quo loco de hac Nectariana historia disputat. Atqui plane aliter & Socrates, & Sozomenus, & Nicephorus, qui omnes nulla plane facta mentione privatæ huius pœnitentiæ ex arcana apud alios presbyteros confessione, simpliciter narrant *cum durum & intolerandum initio sacerdotes esse judicarent sic tamquam in theatro pro Ecclesiæ cœtu ac concione peccata pronuntiare, eos idcirco presbyterum quemdam secretorum tenacem, ac prudentem ei muneri præposuisse, ad quem peccatores adeuntes vitæ suæ noxas exponerent. At ille pro cujusque peccato meritas pœnas infligens dimittebat, cum à se ipsis illas exegissent.* Video nulla *minutioribus* (ut Petavius loquitur)

ad Epiph. p. 273. init.

Soz. ub. supr.

tur) sacerdotibus relicta peccata, arcana apud eos confessione, pœnitentiaque procuranda; Vides omnia, quorum pœnitentia apud ministros necessaria foret, huic uni τοῦ ἐπὶ τῆς μετανοίας presbytero Decianis temporibus instituto simpliciter attribui, ad quem tamen non alia deferri necessario debuisse, quàm quæ capitalia forent, id est publica pœnitentia digna, & res ipsa, totaque narratio clamat, & Petauius disertè docet. Ergo neque vel huic, vel aliis presbyteris necessarium tum fuit alia peccata confiteri, quod si necessarium existimatum fuisset, nonnisi absurdissimè hoc loco prætermissum esset. Tum idem quoque ex eo apparet, quod cùm ipsius Nectarij factum exponunt, neque ullam istius privatæ apud sacerdotem pœnitentiæ mentionem faciunt, quæ tamen eo loco sine flagitio omitti non potuit, siquidem ea revera in usu communi & antea fuerat, & tùm quoque licet abolito pœnitentiarij presbyteri munere, permansit. Quis enim si hæc ita habuissent, sic omninò narrari debuisse non intelligit. *Nectarium oborto plebis scandalo permotum illum quidem pœnitentiæ publicæ præfectum sacerdotem abrogasse; cæterum privatæ & confessionis & pœnitentiæ apud quosvis presbyteros in arcano faciendæ usum, sic ut erat institutus, intactum reliquisse?* eumque adeò quod ait Petavius; *salvum & incolumem Constantinopoli mansisse?* Atqui nihil huiusmodi occurrit vel apud Socratem, vel apud Sozomenum; vel apud ipsum Epiphanium, & Cassiodorum, aut Nicephorum, quos tamen eo impensius lectores hac de re monere decebat, quod eam illi scilicet Novatiani (Novatianos enim fuisse, & Socratem & Sozomenum volunt adversarij) tacitam, ac indictam uterque præteriissent. Illi verò omnes unam eandemque rationem sequuntur, simpliciterque memorant pœnitentiarium, publicæ scilicet pœnitentiæ ministrum, à Nectario sublatum; de relicto aliis sacerdotibus privatæ pœnitentiæ ministerio nullum verbum faciunt. III. Sed & de Eudæmone Alexandrino, totius consilij auctore, quid dicam? quem id tollendum suadentem, quod videbatur esse ad morum disciplinam utile, inprimis aliquid afferre, decuit, quo suum hoc consilium tueretur? Id vero in promptu erat, si tum quoque usitata pœnitentia apud sacerdotes arcana, quod volunt adversarij, sublato licet publicæ ministro, integra atque illæsa relinquebatur. Si ita esset, dixisset profectò Eudæmon, ut sui consilij invidiam levaret, *satis esse ad fidelium disciplinam & correctionem unam illam privatam omnium, ac singulorum apud sacerdotes in arcano factam confessionem, atque pœnitentiam; ut nihil necesse esset publicam illam, ex quâ tantum scandalum obortum erat, servari: itaque abrogandam*, in quam sententiam, ut quivis videt, tandem iverunt adversarij, qui abrogata publica pœnitentia unam illam privatam ubique constituerunt. Hæc omninò attulisset Eudæmon, ut suum illud consilium probaret; siquidem hæc privatæ confessionis pœnitentiæque apud sacerdotem in arcano disciplina tum quoque, ut nunc, in Christianorum usu fuisset. Atqui nihil

ad Epiph p. 141 extr.

Cap. xxiv. istorum vel dixisse, vel cogitasse traditur ab ullo ex quatuor illis historicis qui rem memoriæ mandarunt; quia nimirum nihil hujusmodi apud veteres in usu erat. Dicitur tantùm suasisse περιελεῖν τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον, *ut tolleretur pœnitentiarius presbyter*; rationem consilij non aliam, quàm hanc attulisse, οὕτω γὰρ μόνως ἔχειν τὴν ἐκκλησίαν τὸ ἀβλασφήμητον. *Nam eo pacto solùm futurum esse, ut Ecclesia omni macula careret infamiæ.*

Socrat. l. 5 c. 19. fol. 248. col. 2.

IV. Id verò multo etiam clariùs, ac validius probat ipsum Nectarij decretum, quem Socrates quidem Eudæmoniis consiliis obsecutum ait περιελεῖν μὲν τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον· συγχωρῆσαι δὲ ἕκαστον τῷ ἰδίῳ συνειδότι τῶν μυστηρίων μετέχειν; *Presbyterum pœnitentiarium sustulisse, & liberam dedisse potestatem, uti pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet.* Sozomenus vero συγχωρήσαντα ἕκαστον ὡς ἂν ἑαυτῷ συνειδείη καὶ θαρρεῖν δύναιτο κοινωνεῖν τῶν μυστηρίων, παῦσαι τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον, *Presbyterum illum pœnitentiarium exauctoravisse, & unicuique liberũ permisisse, prout ipse sibi conscius esset, & confideret, ad mysteriorum communionem accederet.* Hæc illi, quæ, si privata apud sacerdotem pœnitentia jam tum in usu, ut nunc est, & erat, & mansit, nemo non videt falsa fore. Quæso enim, an nunc adversarios quisquam sanus dixerit *concedere ut unusquisque secundùm conscientiam suam ad communionem accedat?* & *cuique permittere pro conscientia & fiducia sua de mysteriis participare?* Apage ineptias. Qui neminem communicare sinunt, nisi confessione & pœnitentia apud sacerdotes functum, ij certè nihil minùs quàm unumquemque conscientiæ suæ permittunt. Imò verò disertissimè vetant quemquam ad sacram mensam *pro conscientia & fiducia sua* accedere; edicuntq; *ne ullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absq; præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedat*; Ergo si hæc confessionis pœnitentiæque privatæ disciplina Constantinopoli quoque & fuit antea, & mox licet sublato pœnitentiæ publicæ presbytero, *salva, & incolumis* mansit quod nos indubitatò credere jubet Petavius; manifestum est ne ibi quidem unumquemq; peccatorẽ *pro sua conscientia ac fiducia* de mysteriis participasse; sed ex Sacerdotũ apud quos scilicet omnes privatim confiteri debebant, judicio atq; sententia vel ad Domini mensam admissum vel ab ea submotũ fuisse. Atqui aliter fuisse quatuor illi scriptores una voce testantur, ac cõsentientes affirmant sublato à Nectario pœnitentiarij munere *unumquemque propriæ conscientiæ permissum esse, singulosque dehinc pro conscientiæ suæ fiducia ad Eucharistiam accessisse*; Ergo nihil Christianos antea, quominus eodem quoque jure uterentur, præter pœnitentiarium presbyterum prohibebat; qui scilicet quos capitalium, ac manifestorum criminum reos esse sciebat, eos à communione tamdiu arcebat, donec præscriptam à se pœnitentiam implevissent; de cætero nulla alia lex, nulla disciplina fideles ad sacram Cœnam pro suæ conscientiæ arbitrio accedere vetabat; nulla adeò confessionis

L. 7. c. 16.

Conc. Trid. Sess. 14 c. 7.

sionis privatæ omnibus incumbens necessitas vigebat, quæ si fuisset aliqua ea post Nectarij de removendo pœnitentiario publico decretum, utique salva mansisset; quæ, ut patet, cum nulla manserit, neque ulla antea fuisse putanda est. Quod vero Bellarminus Socratis & Sozomeni verba sic accipit, *ut significent, non permissum fuisse fidelibus, ut sine confessione, & judicio sacerdotis sacra mensæ participes fierent, sed ut non cogerentur adire publicum Ecclesiæ tribunal, verum ipsi conscientiæ suæ rationem haberent, & siquidem sine peccato mortali essent ad communicationem divinorum mysteriorum tuto accederent: sin autem, unum ex presbyteris eligerent, cui privatim peccata sua confiterentur*; id inquam, cum Socratis & Sozomeni verbis ita apertè pugnat, ut mirum sit tam inverecundam glossam à quoquam afferri potuisse. Aiunt enim illi disertissimè *unicuique permisisse* Nectarium *de mysteriis secundùm propriam conscientiam participare*. At non *secundùm propriam conscientiam*, sed *secundùm sacerdotis arbitrium* de *mysteriis participat* qui antequàm participet, sacerdoti confiteri, & ex ejus sententia pendere cogitur. Ergo neminem eò coëgit Nectarius, sed liberum unicuique reliquit vel consultô, vel inconsultô sacerdote ad sacram mensam accedere. Neque enim *sua conscientiæ propriæque fiduciæ* dimittitur, qui alterius tribunal, sive privatum, sive publicum (id enim discrimen nihil facit ad rem præsentem) adire necessario cogitur, neque quisquam, quod jam notavimus, adversarios nunc dixerit *unicuique concedere, ut secundùm propriam conscientiam ac fiduciam ad sacram mensam accedat, ac de mysteriis participet*; quantumvis illi non publicum, sed privatum sacerdotum tribunal singulos adire cogant, antequam communicent. Neque hilô melior est Perronij solutio, qui Nectarium ait *singulis publicè pœnitentibus concessisse, non ut ab initio publicam pœnitentiam ex arbitrio suo, sine pravia apud sacerdotem confessione peragendam susciperent, sed ut pœnitentiam semel professi ex sua deinceps ipsi conscientia judicarent, eamne satis implevissent, atque ita sine publica confessione & satisfactione, sine cujusquam alterius, præterquam unius conscientiæ, de præstitâ pœnitentiâ testimonio, ad sacram synaxin accederent.* Hæc ille, in quibus nihil est sani. Primò enim quorsum affert *publicam pœnitentiam nemini sine ministrorum judicio, praviaque apud eos peccati confessione, suscipere licuisse*? Quasi verò quisquam ita stultus sit, qui hoc neget, aut ullus unquàm contenderit sine Ecclesiæ auctoritate ac ministerio publicam à quoquam, pœnitentiam vel peragi, vel suscipi ante debere, aut posse. Ergo frustrà ille ac ridicule nos monet non id à Nectario pœnitentibus concessum fuisse, quod in nullius sani hominis cogitationem venire potest. Quod vèro secundò loco ponit Nectarium pœnitentiam publicam ex ministrorum arbitrio semel professis côcessisse ut ipsi pro suæ conscientiæ judicio statuerent satis-ne eam præstitissent, atque ita, si eam sibi satis implevisse viderentur, sinè cuiusquam alterius arbitrio vel testimonio ad sacram mensam accederent: id inquam totum vehementer falsum est,

L. 1. de pœnit. c. 14. §. Quare quod scribunt.

Reph. p. 158.

Cap. XXIV. & tum ab omni veteris Ecclesiæ ſenſu, tùm ab ipſa ratione penitus alienum. Nefas enim eſt quemquam publicè pœnitentem aliter, quàm Ecclesiæ iudicio, atque miniſterio reconciliari, & ad myſteria admitti, neque aliter unquàm à Patribus factum tum ex iis Cypriani, in quibus tam vehementer in eos invehitur, qui ad ſacram communionem nondum facta exomologeſi, nondum manu ab Epiſcopo impoſita irruebant, tum ex aliis omnibus veteris Ecclesiæ monumentis clariſſimè liquidoque conſtat, neque vel Perronius vel alius quicquam ex omni antiquitate contrà vel attulit, vel afferre poteſt. Planè unum hoc fuit ex Perronii ſomniis, quibus nemo umquàm liberalius, aut impenſius indulſit. Quid iſte nobis ſua figmenta obtrudit, eaque Nectarium conceſſiſſe fingit, quæ ſi conceſſiſſet, eo ſe non impium modo, & ab Ecclesiæ inſtitutis alienum, ſed etiam ſtultum & delirum fuiſſe proderet? Apage Perronianas illas chimæras. Clarum eſt, & planum, quid Nectarius conceſſerit, nimirum, ut unuſquiſque fidelis pro ſuæ conſcientiæ ſenſu, atque fiducia, nullius alterius adhibito conſilio, vel exquiſita ſententia ſtatueret, an ad ſacra myſteria acceſſurus eſſet nec ne? Ceterũ ſiquĕ ſua religio eò accedere prohiberet: ſi quem ad epiſcopum ire, & publicam ab eo pœnitentiam petere cogeret; id verò non prohibet Nectarius, & ſi quis fecerit, eum haud dubie neque ſuſcipi, neque reconciliari aliter voluit, quam præſcribebant canones, aut ferebat communis Ecclesiæ uſus: Tantùm ſublato publicæ pœnitentiæ miniſtro cavet, ne ut antea homines uſque adeò ſevere & anxiè ad huiuſmodi pœnitentiam adigantur. Itaque cùm is hoc uno obice remoto effeciſſe dicatur, ut unicuique liberum fuerit pro conſcientiæ ſuæ fiducia ad ſacram menſam accedere, apparet nullam neque antea, neque tempore hoc illius decretum conſecuto fuiſſe in Ecclesia confeſſionis, pœnitentiæque privatim apud ſacerdotem faciendæ neceſſitatem: quæ ſi ulla fuiſſet ſcilicet, cum nihil de ea ſtatuerit Nectarius, etiam poſt hoc ejus decretum manſura, & in uſu futura fuit: neque adeo locum in Ecclesia habitura illa fidelium in Eucharistia pro ſuæ vnius conſcientiæ judicio ſumenda libertas, quam tamen poſt hoc ejus decretum Conſtantinopoli fuiſſe teſtantur, quotquot ex veteribus hanc hiſtoriam memoriæ prodiderunt.

L. de lapſ. & ep 10 11.12 Pamel.

V. His & illud accedit, quod ſe Socrates Eudæmoni hoc ipſius conſilium, reprehendentem, objeciſse refert; ὁρῶ ὅτι πρόφασιν παρέσχες τοῦ μὴ ἐλέγχειν ἀλλήλων τὰ ἁμαρτήματα, μηδὲ φυλάττειν τὸ τοῦ ἀποστόλου παράγγελμα τὸ λέγον, μηδὲ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τοῦ σκότους· μᾶλλον καὶ ἐλέγχετε. *Animadverto te anſam dediſſe, ut alter alterius peccata minimè coarguat, nec obſervet illud Apoſtoli præceptum: Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Quibus conſentanea ſunt, quæ Sozomenus quoque conqueritur remoto hoc publici pœnitentiarij velut fræno majorem fuiſse deinceps morum in Ecclesia licentiam; ἐπὶ πρότερον (inquit) ὡς ἡγοῦμαι, μείω τὰ ἁμαρτήματα ἦν, ὑπό τε αἰδοῦς

L.5.c.19. extr.

L.7.c.16. extr.

αἰδοῦς τῶν ἐξαγγελλόντων τὰς σφῶν αὐτῶν πλημμελείας, καὶ ὑπὸ ἀκριβείας τῶν ἐπὶ τούτω τεταγμένων κριτῶν. *quandoquidem minora, ut opinor, erant ante peccata cum propter verecundiam, quod sua ipsi delicta confitebantur, tum propter accuratam judicum huic negotio præpositorum diligentiam, ac sollicitudinem,* Cap. XXIV. Quam utramque, id est Socratis & Sozomeni observationem Nicephorus quoque ad hanc de Nectarii facto historiam habet. L.12.c.28.T.2; 2.p.281.a.b. Atqui stulta, & inepta utraque est, si verum est (quod volunt adversarii) præter illud à Nectario abrogatum publicæ pœnitentiæ tribunal. privatum suæ confessionis jam tum in Ecclesia & fuisse, & verò mansisse: (& mansisse sane, si priùs fuit, ego quidem non negaverim.) Queritur Socrates, quod abrogato pœnitentiarii (publici scilicet) munere, factum sit, ut *peccata minimè arguantur.* Absurdè planè, & falso; si tum erat, ac evertebatur Constantinopoli Innocentianum istorum tormentum, quo nullum est tam occultum, tamque minutum cujusquam delictum, quod non eruatur, & in sacerdotis lucem protractum arguatur, ac castigetur, cum pœnitentiarius ille presbyter de criminibus tantùm, & iis quidem non omnibus, sed manifestis duntaxat cognosceret: Pergit Socrates, & queritur *nunc negligi quod jusserat Apostolus, nè communicemus infructuosis operibus tenebrarum.* Atqui nulla fuit querendi ratio, si superfuit auricularis confessio, cum illa tenebrarum opera in occulto hoc privatæ confessionis tribunali (si adversarios audis, multo quam in publico & diligentius detegantur, & facilius arguantur, atque plectantur, ac denique etiam efficacius tollantur ac emendentur. Sed & Sozomenus abs re, falsoque ac temerè dixerit ante *pauciora minoraque peccata fuisse*; cum si istis credis, non publica tantum quæ sublata erat, pœnitentia, sed privata maximè confessionis disciplina, quam isti tum superfuisse volunt, & crimina & peccata omnia parva, magnaque funditus ac radicitus evellat, ac evertat; ut supra Bellarminum de sui hujus instituti utilitate gloriantem audivimus. Illa verò, quæ Sozomenus subiicit de *confitentium pudore, judicumque* ἀκριβεία *ac diligentia,* quam stulta sunt, quam præter omnem rationem dicta, si quod isti volunt, fingas, fuisse tum scilicet confessionalem Innocentij disciplinam in usu apud eos ipsos, quibus publicum pœnitentiarium eripuerat Nectarius? Duo, quæ antea peccatores cohibebant, Nectariano hoc decreto sublata, extinctaque queritur Sozomenus, *pudorem* τῶν ἐξαγγελλόντων *confitentium, & judicum accuratam diligentiam.* Atqui utrumque supererat, si superfuit auricularis confessionis usus. Nam *pudorem* quidem esse sua sacerdotj delicta omnia, licet in aurem, confiteri, ac enumerare, nemo nisi vel impudens, vel stultus negaverit, & adversarij, quoties de sui hujus mysterii utilitate declamant, illam confitentium suorum verecundiam, ac erubescentiam magnificè deprædicant, *frenumque* esse jactant, *quo illi cohibentur, nè deinceps talia admittant*; L.1.de pœnit. c.11 § Ad Ecclesiam. quæ ipsissima Bellarmini in hoc argumento versantis verba fuisse memini. Vel ergo nulla erat apud Christianos confessio,

CAP. XXIV. fessio, pœnitentiaque hæc adversariorum privata; vel certè furebat, aut delirabat Sozomenus, qui iis publica per Nectarium sublatā τὴν αἰδῶ ἐξαγγέλλειν defuisse putavit. Sed operæ pretium audire, ut se hinc Petavius explicet. *Sublata* (inquit) *pœnitentia, tametsi nihilo secius confiterentur, tamen publicè nullam peccati sui significationem dabant, quod unum pœnitentibus molestissimum erat, & acerbissimum. Quare αἰδὼς illa & verecundia non tam ad ἐξαγγελίαν referenda, quàm ad publicā infamiā, & pœnam, quæ graviorum criminum confessionem necessario sequeretur. Nam aut nulla, aut leviori verecundia deinceps affecti sunt, quod scirent publica se ignominia, ac tam diuturno cruciatu carituros.* Hæc ille: Sed primò; Sozomenus illum pudorem ipse ad *confitendi verecundiam*, non ad *publicam infamiam* refert. Diserta sunt ejus verba antè Nectarii decretum pauciora fuisse peccata ὑπὸ αἰδοῦς τοῦ ἐξαγγέλλοντα τὰς σφῶν αὐτῶν πλημμελείας, *ob pudorē sua ipsorum peccata confitentium*, hoc est, ut quivis videt, quod eos pudor sua ipsorum delicta confitendi à peccando deterreret. Cùm ergo ne stante quidem pœnitentiarii sacerdotis tribunali, peccata in alterius, quàm in ejus aurem confiteri, ipso judice Petavio, cogerentur; apparet, qui eo sublato, omnia sua delicta in alicujus itidem sacerdotis aurem nihilosecius confiterentur, iis non minorem, quàm prius incubuisse peccata confitendi pudorem. Quin & hujus privati tribunalis multò, quam publici, major verecundia est: cùm apud illud non alia, quàm manifesta, & capitalia confiteri necesse fuerit: apud hoc & capitalia, & cætera omnia in mortalium genere minutissima, quæ multò latius, quàm veterum *capitalia* patere, verè docet ipse Petavius. Tum, quod ait *aut nulla, aut leviori verecundia* affici, qui Innocentianæ confessioni subiiciuntur: miror eum in ambiguo reliquisse, an sit nulla ea verecundia qua Innocentiani confitentes perfunduntur; quæ si *nulla* est, ut iste si non definire, certè probabile iudicasse videtur, nobis quidem splendidè illudunt & Bellarminus, & cæteri istius sodales, qui tanti eam faciunt, ut narrent non modò hoc *fræno homines à peccando cohiberi*, sed etiam *eā pœnā divinæ justitiæ pro præteritis peccatis satisfieri.* *Frænum* verò, ô boni, vitro futilius vestris pœnitentibus aptatis: & justitiam Dei planè stramineo piaculo placatis: qui utrumque ex ea *verecundia* fabricamini, de qua vester hic symmystes dubitare videtur, an ea revera aliquid sit, an non potius nihil. Ego verò vobis multo magis faveo: qui illam confitentium vestrorum verecundiam, tametsi non omninò tanti faciam, quanti vos soletis, multò tamen minùs, quàm iste, elevo; neque eam sanè nullam esse dixerim, nisi siquis vel natura impudens sit, vel certe perpetua illa tam sæpè confitendi assuetudine frontem ita contriverit, ut eam tandem perdiderit. Sed utcumque sit, illam quidem quod subiicit Petavius, leviorem ea esse confiteor, quā publicè olim pœnitentes necessariò sustinebant. Itaq; quibus ex illius tribunalis disciplina, quod est à Nectario eversum, publicè facienda fuisset exomologesis, cum iis, non nego a-

ctum

[illegible]

Ad Epiph p. 644.

ibid. p. 133.

Bell. ub supr.

ctum clementius, si ad privatam tantùm pœnitentiam coacti sunt. Sed isti quantula pars Christianorum erant? Itaq; ne sic quidem fuit, quòd Sozomenus illum confitendi ruborem de medio sublatum conquereretur, si jam tum apud Christianos vigebat Innocentiana confessionis disciplina. Dixisset saltem aut *majorem antea, aut minorem postea fuisse pudorem*. Sed ita loquitur, ut fuisse quidem olim aliquem, nunc sublato pœnitentiæ publicæ tribunali nullum amplius superesse significet: quod cùm nonnisi absurdissimè dici potuerit, si jam tum apud homines in universali eoque necessario usu erat hodierna adversariorum confessio, concludendum est non fuisse. Quod & ex altera Sozomeni querela pariter quoque sequitur, qui dolet de Ecclesia sublatos judices, arbitrosque pœnitentiæ *ἀκριβεῖς accuratos*: Quid ais, mi homo? Túne illam in peccatis judicandis ἀκρίβειαν apud eos desideras, quibus præest Innocentianæ confessionis tribunal? Atqui nulli sunt, vel fuerunt unquàm in singulis reorum factis, dictis, cogitatis inquirendis, eruendis, expendendis accuratiores, diligentiores, morosiores. Eos ergo nullos in Ecclesia illis temporibus fuisse concedendū est, nisi Sozomenū planè, cùm hæc scripsit, desipuisse velis; quæ si nullū tum fuisse Cōstantinopoli Innocentianæ confessionis tribunal statuas, optimè ei loco, statuique conveniunt, in quem res Nectarij factum deduxerat, quô nimirum sublato pœnitentiario presbytero, pœnitentiæ negotium non amplius eâ ἀκριβείᾳ diligentiaque qua antea administrabatur, cùm id (ut jam diximus) ex viri in unam hanc curam intenti manibus ereptum, nunc Episcopus, aliis negotiis plurimùm occupatus, curaret. Contrà, si jam tum in Ecclesia viguisse statuas Innocentianæ confessionis disciplinam, quæ (ut liquet) in pœnitentiæ negotio maxima cum ἀκριβείᾳ versatur, stulta erunt & ab omni ratione aliena Sozomeni verba ἀκρίβειαν τῶν κριτῶν *judicum accuratam diligentiam* in pœnitentia administranda desiderantis. Ergo ex his omnibus satis patet, ex hac de Nectario veterum scriptorum narratione valide atque evidenter confici nondum illis temporibus in Ecclesia usitatam, *vel cognitam fuisse auricularem adversariorum confessionem*.

Cap. xxiv.

OOO CAPVT

Caput XXV.

Argumentum XX. ex tredecim Chrysostomi testimoniis constans, in quibus vel omnibus vel plerisque disertè affirmat sola apud Deum confessione peccata pœnitentibus remitti; adeoque Innocentianam confessionem funditus evertit, quæ tota hoc uno nititur, quod nullum peccatum letale fideli ulli remittitur, nisi apud sacerdotem confesso.

XII. IDEM multò etiam apertius demonstratur ex Ioannis Antiocheni operibus, qui Constantinopolitanus post Nectarium Episcopus fuit, quique à singulari facundia Chrysostomi cognomentum nactus est. Nam cùm Innocentiana confessio hoc uno fundamento tota nitatur, quod *peccata apud Pastorem clarè distincteque confiteri, ac enumerare necesse sit ad impetrandam à Domino eorum remissionem*; satisque se officio suo facturum dicat Perronius hanc disputationé exordiens, si id ex Patribus probaverit: Chrysostomus pestilentem hunc errorem, quô stat tota istorum confessio, ita sæpè, ita vehementer impetit, ut ei labefactando, & ex hominum animis evellendo operas suas ex professo locasse videatur. Nos loca aliquot præcipua primò describemus; tum ea ab adversariorum cavillationibus vindicabimus.

Repl. p. 553

I. Primus ergo hic Chrysostomi locus esto, οὐ τοῦτο μόνον (inquit) ἐστὶ τὸ θαυμαστὸν, ὅτι ἀφίησιν ἡμῖν τὰ ἁμαρτήματα, ἀλλ' ὅτι αὐτὰ οὐδὲ ἐκκαλύπτει, οὐδὲ ποιεῖ φανερὰ καὶ δῆλα, οὐδὲ ἀναγκάζει παρελθόντας εἰς μέσον ἐξειπεῖν τὰ πεπλημμελημένα, ἀλλ' αὐτῷ μόνῳ ἀπολογήσασθαι κελεύει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐξομολογήσασθαι. καίτοι γε ἐκ τῶν ἔξωθεν δικαστῶν εἴ τις εἶπέ τινι τῶν ἁλόντων λῃστῶν ἢ τυμβωρύχων εἰπεῖν τὰ πεπλημμελημένα, καὶ ἀφεθῆναι τῆς κολάσεως, πάσῃ προθυμίᾳ ἂν κατεδέξατο τοῦτο τῆς σωτηρίας ἐπιθυμίᾳ τῆς αἰσχύνης καταφρονοῦντες. ἐνταῦθα δὲ οὐ τοῦτό ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἀφίησι τὰ ἁμαρτήματα, καὶ οὐκ ἀναγκάζει παρόντων τινῶν αὐτὰ ἐκπομπεύειν, ἀλλ' ἓν μόνον ζητεῖ ὅπως αὐτὸς ὁ τῆς ἀφέσεως ἀπολαύων μάθῃ τῆς δωρεᾶς τὸ μέγεθος. πῶς οὖν οὐκ ἄτοπον ἐν οἷς ἡμᾶς αὐτὸς εὐεργετεῖ εἰ ἀρκοῖτο τῇ παρ' ἡμῶν μαρτυρίᾳ μόνῃ, ἡμεῖς δὲ ἐν οἷς αὐτὸν θεραπεύομεν ἑτέρους ἐπιζητοῦμεν μάρτυρας, καὶ πρὸς ἐπίδειξίν τι ποιοῦμεν. *Neque hoc tantùm est admirabile quod nobis peccata dimittit: verum & quod ipsa non revelat, nec manifesta facit, aut conspicua, nec cogit in medium procedentes quæ peccavimus enunciare, sed sibi* SOLI *rationem reddere jubet, &* SIBI *confiteri. Etenim ex secularibus judicibus siquis alicui captorum latronum, vel eorum qui sepulcra effodiunt, diceret ut peccata confiteretur, & a pœna dimitteretur, omni rectè promptitudine hoc susciperent, salutis cupiditate pudorem contemnentes. Hic verò non hoc est; verum & peccata dimittit, nec cogit præsentibus quibusdam ea efferre, & enuntiare, sed unum solùm exigit, ut qui remissione fruitur doni magni-*

hom. 21. ad pop. Ant. p. 142. A. T. 1.

magnitudinem intelligat. Quomodo igitur non absurdum, ut in quibus nos ipse beneficio afficit, SOLO testimonio nostro contentus sit; nos autem, in quibus ipsum colimus, alios testes quæramus, & ad ostentationem quicquam faciamus? Hæc ille: *Ait soli Deo rationem reddendam* (id est de peccato respondendum, ac ut veteres loquebantur, *satisfaciendum*, id enim hoc loco est ἀπολογεῖσθαι) *Deo confitendum*, ad obtinendam peccatorum remissionem; *Deum hoc unum ab iis quibus peccata dimittit, exigere, ut dono suo fruantur: ejusque magnitudinem intelligant*: denique *Deum solo nostro testimonio esse contentum.* Nihil disertius adversus necessariam istorum confessionem dici potuit,

II. Sequitur alter ejusdem locus: διὰ τοῦτο (inquit) παρακαλῶ, καὶ δέομαι καὶ ἀντιβολῶ ἐξομολογεῖσθαι τῷ θεῷ συνεχῶς. οὐδὲ γὰρ εἰς θέατρόν σε ἄγω τῶν συνδούλων τῶν σῶν, οὐδὲ ἐκκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα: τὸ συνειδὸς ἀνάπτυξον ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ, καὶ αὐτῷ δεῖξον τὰ τραύματα, καὶ παρ' αὐτοῦ τὰ φάρμακα αἴτησον, δεῖξον τῷ μὴ ὀνειδίζοντι, ἀλλὰ θεραπεύοντι. κἂν γὰρ σιγήσῃς οἶδεν ἐκεῖνος ἅπαντα. εἰπὲ τοίνυν, ἵνα κερδάνῃς, εἰπὲ ἵνα ἐνταῦθα ἀποθέμενος ἀπέλθῃς ἐκεῖ καθαρὸς, καὶ τῆς ἀφορήτου δημοσιεύσεως ἐκείνης ἀπαλλαγῇς. *Quamobrē vos hortor, & rogo, & oro, Fratres carissimi, crebrius & assiduè Deo cōfiteamini. Neq; enim te in theatrum duco cōservorum tuorū; non hominibus detegere peccato cogo. Conscientiam coram Deo explica, & ipsi ostende vulnera, & ab eo pete medicamenta; Ostende ei, qui non exprobrat, sed curat, licet enim taceas, ille novit omnia. Dic ergo, ut lucreris. Dic ut hic deposito* onere *abeas illuc purus, & immunis, & intolerabili illa publicatione libereris.* Neque hic aliud à peccatore exigit, nisi ut *Deo confiteatur, conscientiam coràm eo expandat, vulneraque ipsi nudet*, veluti fidissimo medico, & *morbos nostros* ita *curanti*, ut *minime exprobret*.

T. 5. hom. 30. quæ est 5. de incompreh. D nat p. 249. d. e.

III. Tertius succedat jam alibi à nobis supra descriptus locus; in quo de Pauli præcepto, *Probet se homo, & sic de pane illo comedat*, hæc habet: οὐκ ἀπεκάλυψε τὸ ἕλκος (inquit) οὐκ εἰς κοινὸν θέατρον ἤγαγε τὴν κατηγορίαν. οὐ προέστησε μάρτυρας τῶν πλημμελημάτων. ἔνδον ἐν τῷ συνειδότι μηδενὸς παρόντος πλὴν τοῦ πάντα ὁρῶντος Θεοῦ ποιοῦ τὴν κρίσιν, καὶ τὴν ἁμαρτημάτων ἐξέτασιν. *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit. Intus in conscientia adstante nemine præter eum, qui cuncta videt Deum, institue judicium, & peccatorum examen, atque inquisitionem*, & cætera, de quibus nos supra uberius.

T. 1. hom. 56. quæ est 8. de pœn. p. 622. d.

IV. Illa verò ejusdem in homilia sequenti quàm dulcia, quàm egregia sunt! ὁσάκις ἐὰν πέσῃς εἰς τὴν ἀγορὰν, τοσαυτάκις ἐγείρῃ. οὕτως ὁσάκις ἂν ἁμαρτήσῃς, μετανόησον ἐπὶ τῇ ἁμαρτίᾳ. μὴ σαυτοῦ ἀπογνῷς. κἂν δεύτερον ἁμάρτῃς, δεύτερον μετανόησον. μὴ διὰ ῥαθυμίας τέλεον ἐκπέσῃς τῆς τῶν προκειμένων ἀγαθῶν ἐλπίδος. κἂν ἐν ἐσχάτῃ πολιᾷ ᾖς καὶ ἁμάρτῃς, εἴσελθε, μετανόησον. ἰατρεῖον γὰρ ἐστὶν ἐνταῦθα, οὐ δικαστήριον, οὐκ εὐθύνας ἁμαρτημάτων ἀπαιτοῦν, ἀλλὰ συγχώρησιν ἁμαρτημάτων παρέχον. Θεῷ μόνῳ εἰπὲ τὴν ἁμαρτίαν σου. σοὶ μόνῳ ἥμαρτον, καὶ τὸ πονηρὸν ἐνώπιόν σου ἐποίησα. καὶ συγχωρεῖταί σου ἡ ἁμαρτία.

Ibid. hom. 59. quæ 9. est de pœnit. p. 630. b.

Cap. xxv. *Quoties cecideris in foro toties exurgis: sic quoties peccaveris, peccati pœniteat, neque desperes. Tametsi secundò peccaveris, secundò pœniteat, nè propter ignaviam a spe propositorum bonorum excidas. Etiamsi in ultima senectute sis, si peccaveris, ingredere: pœnitentiam age. Medicinæ hic locus est, non judicij: in quo peccatorum, non pœna exigitur, sed remissio tribuitur. Deo SOLI dic peccatum tuum:* Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, *& dimittitur tibi peccatum tuum.* Vni ut vides, Deo confitendum statuit, nullius sacerdotis conscientiam in hoc negotio requirit.

Homil. 20. in gen in c. 4. T. 2. p 194. b. c.

V. Eadem viri mens est in his, quæ alibi apud eum leguntur; ἀλλ' ὁ ταῦτα εἰργασμένος (peccata etiam gravissima, de quibus paulò antè dixerat) ἐὰν βουληθῇ εἰς δέον χρήσασθαι τῇ ἀπὸ τοῦ συνειδότος βοηθείᾳ, καὶ ἐπὶ τὴν ἐξομολόγησιν τῶν πεπραγμένων ἐπειχθῆναι, καὶ τῷ ἰατρῷ δεῖξαι τὸ ἕλκος τῷ θεραπεύοντι, καὶ μὴ ὀνειδίζοντι, καὶ τὰ παρ' ἐκείνου φάρμακα δέξασθαι. καὶ μόνος αὐτῷ διαλεχθῆναι μηδενὸς εἰδότος, καὶ πάντα εἰπεῖν μετ' ἀκριβείας, ταχεῖαν ποιήσει τὴν διόρθωσιν τῶν ἐπταισμένων. ἡ γὰρ ὁμολογία τῶν ἡμαρτημένων ἀφανισμός ἐστι τῶν πλημμελημάτων. εἰ γὰρ δὴ ὁ Λάμεχ οὗτος ταῖς ἑαυτοῦ γυναιξὶ τοὺς παρ' αὐτοῦ γενομένους φόνους ἐξαγορεῦσαι οὐ παρῃτήσατο, ποίας ἂν εἴημεν συγγνώμης ἄξιοι τῷ πάντα μετ' ἀκριβείας εἰδότι τὰ ἡμέτερα πλημμελήματα μὴ βουλόμενοι ἐξαγορεύειν τὰ ἡμαρτημένα, μὴ γὰρ ἐπειδὴ ἀγνοεῖ μαθεῖν βούλεται, οὐκ ἐπειδὴ ἀγνοεῖ τὴν παρ' ἡμῶν ὁμολογίαν ἐπιζητεῖ ὁ πάντα εἰδὼς πρὶν γενέσεως αὐτῶν, ἀλλὰ βουλόμενος ἡμᾶς ὁμοῦ καὶ αἴσθησιν λαβεῖν τῶν πλημμελημάτων διὰ τῆς ὁμολογίας, καὶ τὴν εὐγνωμοσύνην τὴν παρ' ἑαυτῶν ἐπιδείξασθαι. *Attamen qui hac fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, & ad confessionem facinorum festinare, & medico ostendere ulcus, qui curat, & non exprobrat, atque ab illo remedia accipere, & SOLI ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata tua emendabit. Confessio enim peccatorum abolitio est delictorum. Quod si Lamech ille suis uxoribus cædes a se commissas detegere, & confiteri non refugit; quali erimus venia digni, si ei qui omnia nostra accuratè novit delicta confiteri peccata nolumus? Num enim quia ignorat, discere vult? Nequaquam quia ignorat, confessionem à nobis requirit, qui omnia scit antequam fiant, sed volens per confessionem nos quoque peccatorum habere sensum, & gratitudinem erga se ostendere.* Hic quoque vides nihil eum ad *peccata nostra emendanda, ulceraque sananda,* aliud requirere, nisi ut ea medico *omnia, antequam fiant, scienti,* id est, ut quivis videt, Deo, *ostendamus*, ac confiteamur, eique soli *loquamur, nullo alio conscio.* Vnde patet, quanta fuerit Gregorij Valentiani inverecundia, qui huncipsum locum, quô vix alius est contra istorum confessionalem necessitatem disertior, pro ea afferre, quod suprà diximus, non dubitavit. Eodemque pertinent, quæ in illa ipsa homilia paulò post leguntur; πῶς ἡμεῖς δυνησόμεθα ἀπολογίας τινὸς τυχεῖν μὴ μετὰ πάσης σπουδῆς τὰ ἡμέτερα τραύματα ἐπιδεικνύντες τῷ δεσπότῃ, καὶ παρ' αὐτοῦ τὴν τούτων ἰατρείαν δεχόμενοι, *Quomodo aliquam defensionem nos habere poterimus, uulnera non omni diligentia Domino ostendentes, neque ab eo medicinam eorum suscipientes?*

ab. supr. p. 395. c.

VI. Idem

VI. Idem quoque docet homilia in Psalmum quinquagesimum altera τὰ δὲ ἁμαρτήματά σου (inquit) σὺ λέγε, ἵνα ἐξαλείψῃς αὐτά. ἀλλ' αἰσχύνῃ εἰπεῖν, διότι ἥμαρτες. λέγε αὐτὰ καθ' ἡμέραν ἐν τῇ εὐχῇ σου. καὶ τί, μὴ γὰρ λέγω, εἰπὲ τῷ συνδούλῳ τῷ ὀνειδίζοντί σε, εἰπὲ τῷ Θεῷ τῷ θεραπεύοντι αὐτά. οὐ γὰρ ἐὰν μὴ εἴπῃς ἀγνοεῖ αὐτὰ ὁ Θεός. μὴ γὰρ παρά σου βούλεται αὐτὰ μαθεῖν, ὅτε ἔπραττες αὐτά, παρῆν. ὅτε εἰργάζου αὐτά, παρεστὼς, ἠπίστατο. εἰργάζου καὶ οὐκ ᾐσχύνου, τὰ πράγματα τὰ καταισχύνοντά σε οὐκ ᾐσχύνθης, καὶ τὰ ῥήματα τὰ δικαιοῦντά σε αἰσχύνῃ, εἰπὲ ὧδε, ἵνα μὴ ἐκεῖ εἴπῃς. εἰπὲ καὶ δάκρυσον. ἐν βιβλίῳ γέγραπται τὰ ἁμαρτήματά σου. δάκρυσον καὶ ἐξαλείφονται. δάκρυσον, καὶ εὑρίσκεται καθαρὸν ἐκεῖ τὸ βιβλίον. μέγας σπόγγος τὰ δάκρυα τῶν ἁμαρτιῶν. *Peccata tua dicito, ut ea deleas. At pudes dicere te peccasse. Dic ea quotidiè in oratione. Num enim dico, ut ea conservo dicas, qui tibi exprobret? Dic Deo, qui ijs medetur. Neque enim ea, si non dixeris, nescit Deus. Numquid enim ea à te discere vult? Cùm ea faceres, aderat: cùm ea admitteres, astabat, sciebat. Perpetrabas ea, nec pudore commovebaris. Res, quæ te probrosum efficiebant, non erubuisti. Nunc verba, quæ te justificant, erubescis. Hic dicito, ne illic dicas. Dic, & lacrymare. Peccata tua in libro scripta sunt. Spongiæ instar sunt lacrymæ. Lacrymas funde: & obliterantur. Lacrymas funde: & illic purus liber invenitur. Magna peccatorum spongia sunt lacrymæ.* Tum paulò post: ὅταν δὲ ἐπὶ τὴν εὐνὴν ἔλθῃς, (inquit) ἐπὶ τὸν λιμένα τὸν ἀκύμαντον, καὶ μηδεὶς σοι διενοχλῇ, εἰπὲ τῇ καρδίᾳ τῇ σῇ, καὶ τῇ ψυχῇ, ἀνηλώσαμεν τὴν ἡμέραν σήμερον, ὦ ψυχή, τί ἀγαθὸν εἰργασάμεθα, ἢ τί πονηρὸν ἐπράξαμεν, καὶ μνήσθητι τῆς γεέννης, ἵνα τῷ φόβῳ προσθῇς τῷ ἀγαθῷ, καὶ τὸ πονηρὸν ἀνέλῃς. ἐὰν ᾖς ἐν τῇ κλίνῃ καὶ ἀναμνησθῇς σου τὰ ἁμαρτήματα, δάκρυσον καὶ δυνάσαι ἐν τῇ κλίνῃ ἐξαλεῖψαι αὐτά. παρακάλεσον τὸν Θεόν σου, καὶ οὕτω παράπεμψον τὴν ψυχήν σου τῷ ὕπνῳ, μαρτυράμενος τὰ ἁμαρτήματα. *Cùm autem in lectum, hoc est, ad tranquillum portum te conjecisti, nec ullus est, qui tibi molestiam exhibeat, dic cordi tuo, atque animæ tuæ: Exegimus hodiernum diem, ô anima. Quid boni fecimus? aut quid mali admisimus? ac gehennæ recordare, ut metu affectus bonum augeas, malum autem de medio tollas. Si in lecto sis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collacryma; atque ea hac ratione delere potes. Deum tuum roga, atque obsecra, sicque corpus somno trade, postcaquàm prius peccata tua confessus fueris.* Peccata Deo confiteri jubet: conservo, ut confitearis, non urget; *lacrymis* etiam ea peccata, quæ hominibus prodere veremur, *deleri* ait, & quidem in *lectulo* apud unum Deum fusis. Quid à confessionalibus Innocentij hypothesibus magis alienum dici potuit?

Cap. xxv.
Hom. 2. in Psal. 50. T. 5 p. 871. e. 872 a.
Ibid. e. & p. 873. a.

VII. Sed non minus clara sunt, imò etiam aliquantò luculentiora, quæ ex aliis ejusdem viri scriptis petita sequuntur. Qualia illa sunt ex homilia in Lazarum quarta planè divina; οὐδὲν οὕτως ὀλέθριον τῇ ἁμαρτίᾳ (inquit) ὡς κατηγορία καὶ κατάγνωσις σὺν μετανοίᾳ καὶ δάκρυσι. κατέγνως σου τὴν ἁμαρτίαν, ἀπέθου τὸ φορτίον. καὶ τίς ταῦτά φησιν, αὐτὸς ὁ δικάζων Θεός. λέγε σὺ τὰς ἁμαρτίας σου πρῶτος, ἵνα δικαιωθῇς. τίνος γὰρ ἕνεκεν αἰσχύνῃ καὶ ἐρυθριᾷς, εἰπέ μοι, τὰ ἁμαρτήματα εἰπεῖν, μὴ γὰρ ἀνθρώπῳ λέγεις, ἵνα ὀνειδίσῃ σε, μὴ γὰρ τῷ

Hom. 4. de Laz. T. 5 p. 80 e. 81. a.

CAP. XXV. συνδέλῳ ὁμολογῆς, ἵνα ἐκπομπεύσῃ, τῷ δεσπότῃ, τῷ κηδεμόνι, τῷ φιλανθρώπῳ, τῷ ἰατρῷ, τὸ τραῦμα ἐπιδεικνύεις. μὴ γὰρ, κἂν σὺ μὴ εἴπῃς, ἐκεῖνος οὐκ οἶδεν, ὅς γε καὶ πρὸ τοῦ πραχθῆναι ἠπίστατο, τίνος οὖν ἕνεκεν οὐ λέγεις, μὴ γὰρ ἐκ τοῦ τῆς κατηγορίας φορτικώτερον γίνεται τὸ ἁμάρτημα: ἡμερώτερον μὲν οὖν καὶ κουφότερον. καὶ διὰ τοῦτο βούλεταί σε εἰπεῖν οὐχ ἵνα κολάσῃ, ἀλλ' ἵνα συγχωρήσῃ. οὐχ ἵνα αὐτὸς μάθῃ τὴν ἁμαρτίαν. πῶς γὰρ ὁ εἰδώς, ἀλλ' ἵνα σὺ μάθῃς, πόσον σοι συγχωρεῖ χρέος. βούλεται δέ σε μαθεῖν τῆς χάριτος τὸ μέγεθος, ἵνα εὐχαριστῶν διατελῇς, ἵνα ὀκνηρότερος πρὸς ἁμαρτίαν ᾖς, ἵνα προθυμότερος εἰς ἀρετήν. ἂν μὴ εἴπῃς τοῦ χρέους τὸ μέγεθος, οὐκ ἂν ἐπιγινώσκεις τῆς χάριτος τὴν ὑπερβολήν. οὐκ ἀναγκάζω φησὶν εἰς μέσον ἐλθεῖν τὸ θέατρον, καὶ μάρτυρας περιστῆσαι πολλούς. ἐμοὶ τὸ ἁμάρτημα εἰπὲ μόνῳ κατ' ἰδίαν, ἵνα θεραπεύσω τὸ ἕλκος, καὶ ἀπαλλάξω τῆς ὀδύνης. διὰ τοῦτο τὸ συνειδὸς ἡμῖν ἐγκατέθηκε ἢ πατρὸς φιλοστοργότερον. πατὴρ μὲν γὰρ ἅπαξ, ἢ δεύτερον, ἢ καὶ τρίτον ἢ δεκάκις ἐπιτιμήσας τῷ παιδὶ, ἐπειδὰν ἴδῃ μένοντα ἀδιόρθωτον, ἀπαγορεύσας ἀποκηρύττει, ἢ τῆς οἰκίας ἐκβάλλει, ἢ τῆς συγγενείας διακόπτει. ἀλλὰ οὐ τὸ συνειδός. *Nihil tam exitiale peccato, quàm peccati accusatio, condemnatioque cum pœnitudine, lacrymisque conjuncta. Condemnasti tuum peccatum? Deposuisti sarcinam. Quis hæc dicit? Ipse judex Deus.* Dic tu peccata tua prior, ut justificeris. *Cur igitur te quæso, pudescis, & erubescis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat? Imò verò ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera. Neque enim ignorat, etiamsi tu non dixeris, qui sciebat etiam antequàm perpetrares. Quid igitur est caussæ, quò minus dicas? Num enim ex accusatione tua gravius fit peccatum? Imò verò mitius fit, ac levius. Et ob hoc ipsum Deus vult te dicere, non ut puniat, sed ut condonet, non ut ipse sciat peccatum (cur enim id postulat, qui jam scit?) Sed ut tu intelligas, quantum tibi debitum remittatur. Ideò verò vult te scire debiti magnitudinem, ut perpetuò gratias agas; ut segnior fias ad peccandum, ut ad virtutem promptior. Nisi dixeris debiti magnitudinem, non agnosces gratiæ eminentiam. Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi SOLI dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberem. Ideò nobis insevit conscientiam, eamque quovis patre amantiorem. Nam pater ubi semel, iterum, ac tertiò, deciesve filium increpaverit; si viderit incorrigibilem manere, desperans abdicat, expellit è familia, à cognatione resecat. At non sic conscientia.* Ergo iste, ut vides, peccatorem se ipsum *condemnantem statim sarcina* levat, non *homini*, non *conservo*, sed *uni Deo confessum* evestigio absolvit, ad Innocentianos judices nequaquam dimittit.

hom. quod peccata non sint evulg quæ est 17. T. 5. p. 664 d.

VIII. Alibi quàm non urgeret suos ad peccata detegenda, sed arcanis eorum vulneribus publica prædicatione furtim & occultè mederetur, ita testatur; οὐ γὰρ εἰς μέσον ἄγοντες τοὺς ἡμαρτηκότας, οὕτω δημοσιεύομεν αὐτῶν τὰ ἁμαρτήματα. ἀλλὰ κοινὴν ἅπασι προθέντες τὴν διδασκαλίαν τοῖς τῶν ἀκροωμένων συνειδόσι καταλιμπάνομεν, ὥστε ἕκαστον τὸ κατάλληλον φάρμακον τῷ οἰκείῳ τραύματι ἐκ τῶν λεγομένων ἐπισπάσασθαι. *Neque enim in medium adductis*

ductis peccatoribus eorum peccata sic divulgamus: sed communi omnibus doctrina proposita conscientiæ relinquimus auditorum, ut convenientem suo vulneri ex eis, quæ dicta sunt, eliciant medicinam. Eamque ex publica prædicatione medicinam mox ait interdum auditorum morbos extemplò curare. πρόεισι μὲν οὖν (inquit) φανερῶς ὁ λόγος, εἰς δὲ τὸ ἑκάστου συνειδὸς ἐγκαθιζόμενος λανθανόντως καὶ τὴν παρ' ἑαυτοῦ θεραπείαν παρέχει, καὶ πρὶν ἢ δημοσιευθῆναι τὸ νόσημα τὴν ὑγίειαν πολλάκις ἐπήγαγεν. *Procedit igitur apertè, oratio & cujusque conscientiæ insidens latenter suam adhibet medicinam, & priusquam evulgetur, vel foras efferatur morbus, sæpe restituit sanitatem.* Istorũ quidem ut patet, peccata sinè confessionali mysterio sanari, credidit. CAP. XXV. p. 663. a.

IX. Sed audi, ut confessionis apud homines necessitatem etiam clarius alibi evertat, ubi multis auditores ad maturam pœnitentiam cohortatus, ἀλλ' αἰσχύνῃ (inquit) καὶ ἐρυθριᾷς τὰ ἁμαρτήματα ἐξειπεῖν; μάλιστα μὲν εἰ καὶ εἰς ἀνθρώπους ἔδει ταῦτα λέγειν καὶ ἐκπομπεύειν, οὐδὲ οὕτως αἰσχύνεσθαι ἔδει (αἰσχύνη γὰρ τὸ ἁμαρτάνειν, οὐ τὸ ὁμολογῆσαι τὰ ἁμαρτηθέντα) νυνὶ δὲ οὐδὲ ἀνάγκη παρόντων μαρτύρων ἐξομολογεῖσθαι. ἐν τοῖς λογισμοῖς τοῦ συνειδότος γινέσθω τῶν πεπλημμελημένων ἡ ἐξέτασις. ἀμάρτυρον ἔστω τὸ δικαστήριον. ὁ θεὸς ὁράτω σε μόνος ἐξομολογούμενον, ὁ θεὸς ὁ μὴ ὀνειδίζων τὰ ἁμαρτήματα, ἀλλὰ λύων τὰ ἁμαρτήματα ἀπὸ τῆς ἐξομολογήσεως. ἀλλὰ καὶ οὕτως ὀκνεῖς, καὶ ἀναδύῃ; οἶδα κἀγὼ ὅτι οὐκ ἀνέχεται τὸ συνειδὸς τῆς μνήμης τῶν οἰκείων πλημμελημάτων. ἂν γὰρ ἔλθωμεν μόνον εἰς ἀνάμνησιν τῶν πεπλημμελημένων ἡμῖν, καθάπερ πῶλός τις ἀδάμαστος καὶ δυσήνιος, σκιρτᾷ ἡ διάνοια, ἀλλὰ κάτεχε, χαλίνωσον, καταψήχε τῇ χειρί, ἥμερον αὐτὴν ποίησον, πεῖσον ὅτι ἂν μὴ νῦν ἐξομολογήσηται, ἐκεῖ ἐξομολογήσεται, ὅπου πλείων ἡ κόλασις, ὅπου μείζων ὁ παραδειγματισμός: ἐνταῦθα ἀμάρτυρον ἐστὶ τὸ δικαστήριον, καὶ σὺ σαυτῷ δικάζεις ὁ ἡμαρτηκώς· ἐκεῖ δὲ εἰς μέσον τὸ θέατρον τῆς οἰκουμένης ἅπαντα παραχθήσεται, ἂν μὴ προλαβόντες ἐνταῦθα αὐτὰ ἀπαλείψωμεν. *At verecundaris, & erubescis enuntiare peccata? Sanè etiamsi coram hominibus ea dicenda essent, & evulganda, ne sic quidem verecundari oporteret. (pudor enim & ignominia est peccare, non quæ peccaveris confiteri): Iam verò neque necessarium est præsentibus testibus confiteri. Apud conscientiæ rationes fiat disquisitio delictorum; sinè teste sit judicium. Deus te confitentem solus videat, Deus qui peccata non exprobrat, sed ex cõfeßione peccata delet. Sed hoc pacto etiã cunctaris, & detrectas? Scio equidem conscientiam suorum delictorum memoriam minimè ferre. Nam si tantùm subeat animum eorum, quæ deliquimus, recordatio, tanquàm pullus quidã indomitus, ac frænatu difficilis mens resilit. Sed tu coerce illã, ac refræna, demulce manu, cicurẽ eam redde. Persuade fore, ut nisi nunc cõfiteatur illic confiteatur, ubi major pœna, ubi diffamatio major. Hic judiciũ est sine teste, ac qui peccasti in te ipse judiciũ exerces; At illic in mediũ orbis totius theatrũ cuncta producentur, nisi priùs fuerint à nobis deleta.* Illustris locus; quiq; unus satis est ad evertendũ omne istorũ Innocentianũ mysteriũ, disertè negans quod affirmant adversarij, *necessarium esse coràm aliquo teste confiteri*, disertè affirmans, quod iidem præfractè negant, *Deum peccata etiam*

hom non esse ad gratiam concionand. quæ est 58. T. 5. p. 660. c d e. Latini fere Inscribunt de pœnit. & confess. & sic citatur à Bell. l. 3. de pœnit. c. 15 §. At inquies. & ab aliis passim.

apud

Cap. xxv. *apud se solum confitentibus dimittere, ac delere.*

hom de pœn. & mœst. reg s Ach. quæ est 6a T.5. p 818. a.b.

X. Neque verò obscuriùs id docet in aliô locô; quô fidelem alloquens lapsum in aliquod peccatum; ἁμαρτωλὸς εἶ; (inquit) μὴ ἀπογνῷς, ἀλλ' εἴσελθε μετάνοιαν προβαλλόμενος. ἥμαρτες; εἰπὲ τῷ Θεῷ ὅτι ἡμάρτηκα, ποῖος κάματος οὗτος, ποία περίοδος; ποία στενοχωρία λόγον εἰπεῖν, ὅτι ἥμαρτον, μὴ γὰρ σὺ σαυτὸν ἐὰν μὴ εἴπῃς ἁμαρτωλὸν, οὐκ ἔχεις κατήγορον τὸν διάβολον, πρόλαβε, καὶ ἅρπασον αὐτοῦ τὸ ἀξίωμα, τὸ κατηγορεῖν. τί οὖν οὐ προλαμβάνεις αὐτὸν, καὶ λέγεις τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ἐξαλείφεις τὸ ἁμάρτημα, εἰδὼς ὅτι τοιοῦτον κατήγορον ἔχεις σιγῆσαι μὴ δυνάμενον; ἥμαρτες, εἴσελθε εἰς τὴν ἐκκλησίαν, εἰπὲ τῷ Θεῷ ὅτι ἥμαρτον. οὐδέν σε ἄλλο ἀπαιτῶ, ἢ τοῦτο μόνον. ἡ γὰρ θεία γραφή φησι, λέγε σὺ τὰς ἀνομίας σου πρῶτος, ἵνα δικαιωθῇς. εἰπὲ τὴν ἁμαρτίαν, ἵνα λύσῃς τὴν ἁμαρτίαν. *Peccator es? Ne despondeas animum, sed ingredere, ac pœnitentiam obtende. Peccasti. Dic Deo, peccavi. Quis hic labor est? quis circuitus? quæ fatigatio? quæ angustiæ verbum hoc proferre, Peccavi? Num enim tu, nisi te ipsum dixeris peccatorem, à Diabolo non accusaberis? Praeoccupa, & eripe illi suam dignitatem accusatoris. Cur igitur illum non prævenis, & peccatum dicis, & crimen purgas, cùm probe scias talem accusatorem tibi, qui tacere nequeat, imminere? Peccasti? in Ecclesiam ingredere. Dic Deo, Pec-*
Is 43.26, apud 70. *cavi. Nihil aliud abs te, nisi solum istud exigo. Ait enim Scriptura sacra;* Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris. *Dic peccatum, ut solvas peccatum.* Negat disertè se aliud à peccatore requirere, nisi hoc tantum ut Deo peccatum dicat, id est confiteatur. Non ergo id exigit, quod Innocentiani, ut insuper id ipsum sacerdoti dicat.

hom. 20. (gr. 19.) in Matth. c 6. p 244. d e.

XI. Eandem quoque doctrinam habet in Matthæum, orationem Dominicam interpretans; ἐπειδὴ συμβαίνει (inquit) καὶ μετὰ τὸ λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας ἁμαρτάνειν, πολλὴν καὶ ἐνταῦθα τὴν φιλανθρωπίαν αὐτοῦ ἐπιδεικνύμενος (Dominus scilicet) κελεύει περὶ τῆς τῶν ἁμαρτημάτων τούτων ἀφέσεως προσιέναι τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ καὶ λέγειν οὕτως. ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. εἶδες φιλανθρωπίας ὑπερβολήν; μετὰ τοσούτων κακῶν ἀναίρεσιν, καὶ δωρεᾶς μέγεθος ἄφατον, πάλιν ἁμαρτάνοντας ἀξιοῖ συγγνώμης. *Quià contingit, ut etiam post regenerationis lavacrum delinquamus, plurimùm hic quoque miserationis ostendens, etiam pro horum peccatorum remißione ad misericordem Deum accedere jubet, ac sic dicere;* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Vidisti misericordiæ cumulum? Post tantorum quippe abolitionem malorum, & ineffabilem gratiæ largitatem, iterum peccantibus dignatur ignoscere.* Neque hîc aliud ad consequendam delictorum *remißionem, ac veniam* exigit vir sanctus, nisi ut eam à Domino confitentes petamus.

hom. 28. in 1. Cor. (c.11.) p. 301.c.

XII. Huc quoque pertinet locus ejus, quem suprà ex homiliâ de pœnitentia exhibuimus, geminus in Paulum; διὰ τοῦτό φησι (inquit) δοκιμαζέτω δὲ ἑαυτὸν ἕκαστος, καὶ τότε προσίτω. καὶ οὐχ ἕτερον ἑτέρῳ κελεύει δοκιμάζειν, ἀλλ' αὐτὸν ἑαυτοῦ, ἀδημοσίευτον ποιῶν τὸ δικαστήριον, ἀμάρτυρον τὸν ἔλεγχον. *Propterea dicit,* Probet autem se ipsum unusquisque & tunc accedat.

Neque

Neque jussit alteri alterum probare, sed se quemque ipsum, faciens secretum ac minimè publicum judicium, & probationem sine teste. Non potuit disertiùs perversam Tridentinorum in Paulinum hoc præceptum glossam refutare; probationem illam de singulorum apud sacerdotem confessione ridiculè interpretantium. CAP. XXVI.

XIII. Denique eadem in ultimô, quod ejus extat in Scripturas opere, constanter docet, scilicet Commentariô in Epistolam ad Hebræos; πείσωμεν ἑαυτοὺς (inquit) ὅτι ἡμάρτομεν. μὴ τῇ γλώττῃ λέγωμεν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ διανοίᾳ. μὴ ἁμαρτωλοὺς καλῶμεν ἑαυτοὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ ἁμαρτήματα ἀναλογιζώμεθα κατ' εἶδος ἕκαστον ἀναλέγοντες. οὐ λέγω σοι, ἐκπόμπευσον σαυτὸν, οὐδὲ παρὰ τοῖς ἄλλοις κατηγόρησον· ἀλλὰ πείθεσθαι συμβουλεύω τῷ προφήτῃ λέγοντι, ἀποκάλυψον πρὸς Κύριον τὴν ὁδόν σου. ἐπὶ τοῦ Θεοῦ ταῦτα ὁμολόγησον. ἐπὶ τοῦ δικαστοῦ ὁμολόγει τὰ ἁμαρτήματα. εὐχόμενος, εἰ καὶ μὴ τῇ γλώττῃ, ἀλλὰ τῇ μνήμῃ, καὶ οὕτως ἀξίου ἐλεηθῆναι. *Persuadeamus nobis ipsis, quod peccavimus. Non linguâ solùm dicamus, sed etiam mente ac cogitatione. Ne nos dicamus peccatores tantum, sed etiam peccata cogitemus, unumquodque speciatim percensentes. Non tibi dico, ut ea tanquàm pompam in publicum efferas, neque ut apud alios accuses. Sed suadeo, ut pareas Prophetæ dicenti,* Revela Domino viam tuam. *Apud Deum ea confitere; apud judicem confitere peccata tua, orans, si non linguâ, saltem memoriâ: & sic misericordiam impetra.* Peccatori, ut vides, Domini *misericordiam* pollicetur apud unum Dominum, vel solâ mente ac *memoriâ* confitenti, & precanti. hom. 31. in ep. ad Hebr. (c. 12.) p. 764.

CAPUT XXVI.

Refelluntur Bellarmini, ac Perronij ad superiora Chrysostomi loca evasiones, ac cavillationes. Ac primò utriusque, & cæterorum pœnè omnium adversariorum commentum confutatur, delirantium Chrysostomum hæc Constantinopoli ob reverentiam in antecessorem Nectarium docuisse; & hoc somnium suis cavillationibus præstruentium; cujus vanitas ex eò apertissimè arguitur, quod pleraque ex quibus desumpta sunt superiora loca, Antiochiæ, presbyter scripsit Chrysostomus, non autem Constantinopoli Episcopus.

ATQUE hæc sunt, quæ ex Chrysostomo describenda putavimus. Homiliam de publicanô ad caput 18 Lucæ à Bellarminô memoratam, in nostris exemplaribus nacti non sumus, & suspicamur opus esse ex Chrysostomi dictis consarcinatum ab aliquô ejus studioso; qualia non pauca inter ea, quæ in Latinis hujus scriptoris editionibus circumferuntur, & à Frontone Ducæo *, & ab ipso Bellarminô †, & ab a- ub supr §. 1. item in hom. 4. *Not in hom. ad pop. Ant. † de script. Eccl. in Chrys. ad ; tom.

CAP. XXVI. liis eruditis deprehensa sunt. Certè quæ indè à Bellarminô allata sunt, *Admoneo te, ut assiduè confitearis. Neque enim te ad theatrum duco conservorum tuorum*, illa inquam, totidem verbis expressa habentur in secundô locô suprà à nobis ex quintâ homiliâ *de incomprehensibili Dei naturâ*, descriptô. Iam ex his tam multis Chrysostomi, tamque disertis, ac facundis testimoniis meridianô Sole clariùs apparet, hanc constantem, perpetuamque fuisse ejus sententiam, Deum hoc unum à fidelibus in peccatum aliquod lapsis ad obtinendam ejus remissionem requirere, ut apud se solum, non autem apud ullum hominem, de admisso delicto, deque suâ pœnitentiâ confiteantur; ad veniam adeo impetrandam nihil necesse esse apud sacerdotem, qui homo sit, confiteri; quod adversariorum de confessione dogmati tota (quod aiunt) diametro oppositum esse nemo non videt. Quid ergo illi tantæ luci obiiciunt? quâ arte Innocentianam confessionis machinam à tam multis Chrysostomi fulminibus tuentur? Profectò, si verum licet dicere, non aliis artibus hic se tuentur, quàm audaciâ, atque inverecundia, claro meridie lucere præfracte negantes, & Soli inanes frigidarum cavillatiuncularum nubeculas obtendentes, quas dissipare non erit difficile. Illi ergo fere omnes clamant *Chrysostomum, qui Nectarij successorem se agnoscebat, diligenter, ut par erat, judicium prædecessoris sui defendere voluisse; eámque confessionem, quam Nectarius abrogaverat, ipsum pariter sustulisse, ac reprehendisse, publicam scilicet, non autem privatam.* Perronius * noster inprimis, ut erat singulari confidentia, rem velut ex veris, certisque documentis compertam narrat. *Chrysostomum, cùm in sedem Constantinopolitanam evectus, sublatam se adhuc Antiochiæ in presbyterij gradu constituto ab antecessore Nectario publicè confitendi consuetudinem offendisset, in ejus, cui ipse successerat, sententia stetisse, & in abrogatum ab eo Pœnitentiarij sacerdotis munus, publicaque confessionis officium consensisse, eoque docuisse tum quidem satis esse apud Deum confiteri, scilicet quod pertinet ad satisfactoriam, non autem & ad judiciariam confessionem.* Itaque in hunc sensum superiora omnia Chrysostomi loca torquent; quasi scilicet ea confessionem tantùm publicam impugnent, qualis stante pœnitentiarij tribunali fieri coram tota Ecclesia Constantinopoli solebat, non autem privatam, qualis nunc apud eos apud unum sacerdotem in arcano editur. Sed in his istorum effugiis nihil est sani; omnia inepta, & absurdissima sunt, in quæ eos cæcum caussæ pessimæ, ac desperatæ studium necessariò impegit. Primò quod statuunt Chrysostomum in hanc sententiam aliqua Nectarij, antecessoris in sede Constantinopolitana sui, reverentia adductum fuisse, id & temerè, & falsò ab illis dicitur. Temerè quidem. Nam id, quæso, unde habent? Ipse sane Chrysostomus in tam multis, ut liquet, locis ne minimo quidem verbo vel Nectarij, vel abrogati ab eô pœnitentiarij meminit; neque usquam se antecessoris, vel alterius cujusquam hominis auctoritate tuetur; sed ea, quæ ubique affirmatissimè, constantissime-

Baron a. D. 56. § 32. Bell. l. 3. de pœn. c. 15. §. Respondeo Chrysost. Est. in 4 d. 17. §. 7. Greg. de Val. in 3. Thom. tom. 4. disp. 7 q. 9. puncto 1. resp. ad obj. alij passim.

* Repl. p. 518. 519.

que in hoc argumento docet, Scripturæ folius testimoniis, rectæque rationis judiciis, defendit; prorsus eodem modo, quo alias caussas tractare, ac confirmare solet. Magna ergo est adversariorum temeritas, qui nulla ratione, nullo testimonio, nulla veterum auctoritate subnixi id Chrysostomo tribuere audent ex sola sua libidine, quia scilicet præsenti id caussæ expedire judicant. Verùm id non modò *temerè*, sed etiam quod dixi, *falsò ab istis dici* clarum est. Nam Chrysostomus ea in quibus nunc versamur, docuit, non modò, quod isti volunt, postquam Constantinopolitanus Episcopus factus est, sed etiam multis annis ante quàm ad id fastigium esset evectus. Attulimus suprà insignem ex homilia vicesima prima εἰς Ἀνδριάντας locum, in quô, ut liquet, hanc de confessione doctrinam ita apertè, diserteque tradit, ut nusquam apertius, aut disertiùs. Atqui nemo est eruditorum, qui illas unam, & viginti homilias Antiochiæ à Chrysostomo adhuc diacono, vel certe presbytero habitas fuisse nesciat, eo ipso anno, quo per seditionem eversæ in illa urbe fuerant Placillæ, Theodosij uxoris, statuæ; hoc est annis decem, antequam Chrysostomus Constantinopolim ad Episcopatum esset evocatus; siquidem constant Baronianæ rationes. Sed & certum est quartam de Lazarô homiliam, ex quâ locum in hanc sententiam cæterorum omnium longè luculentissimum adduximus, à Chrysostomo Antiochiæ habitam fuisse; cùm adhuc esset illius Ecclesiæ presbyter, aliquo antequàm Constantinopolim accerseretur tempore. Nam in ipso statim limine testatur se propridiè antequam hanc orationem haberet, Babylæ καὶ τὸ ξυνωρίδος τῶν ἁγίων μαρτύρων τῶν μετ' ἐκεῖνον κατορθώματα, *& bigæ sanctorum Martyrum, qui post illum occurrerant, præclare facta laudasse.* Clarè significat homilias duas etiamnum extantes; quarum altera est in S. Babylam; altera in Iuventinum, & Maximum; ut optimè coniicit Fronto. Iam verò apparet ex eâ, quæ de Babylâ est, Chrysostomum tunc cùm eas habuit, Antiochiæ fuisse; sub Flaviano Episcopo presbyterum. Sic enim istic initio homiliæ de Babylâ loquitur; ὅπως μὲν οὖν (inquit) τῆς ἐκκλησίας προέστη τῆς παρ' ἡμῖν, καὶ τὴν ἱερὰν ταύτην διέσωσε ναῦν ἐν χειμῶσι, καὶ κλύδωσι, καὶ κύμασι, &c. ταῦτα, καὶ τὰ τοιαῦτα τοῖς πρεσβυτέροις τῶν διδασκάλων, καὶ τῷ κοινῷ πατρὶ τῷ ἡμῶν ἀφήσομεν εἰπεῖν. *Enimverò quo pacto præfectus huic Ecclesiæ nostræ fuerit, & in medio procellis, tempestatibus, fluctibusque sacram hanc navim servarit, &c. hæc & alia ejusmodi senioribus doctoribus, communique Patri nostro commemoranda relinquemus.* Tum; ὅσα δὲ (inquit) νεωστὶ γέγονε, καὶ τῆς ἡλικίας τῆς ἡμετέρας ταῦτα ὁ νέος ἐγὼ πρὸς ὑμᾶς διηγήσομαι. *Quæ verò non ita pridem ac nostra ætate sunt gesta, vobis juvenis ego narrabo.* Ex his liquet; primò Chrysostomum hanc orationem in eâ Ecclesiâ habuisse, cujus Babylas Episcopus fuerat, quamque in gravissima tempestate gubernârat. Babylam autem Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum fuisse constat; Ne ergo dubitaveris apud Antiochenos habitam à Chrysostomo hanc de Babyla orationem. Sed & ex eodem loco apparet Chryso-

Cap. XXVI.

a. Chr. 388. Chrysost. accitus Const. a. 398. mense Febr. Bar. a. 388 §. 2. & a. 397 §. 66.

hom. 4 de Laz. in T. 5. p. 74 a.

Not. ad Chrysost. 1 tom.

hom de S. Babyl. quæ est 18. T. 1. p. 641. d e.

Vbi sup. ad p. 541.

Cap. xxvi. ſoſtomum tum preſbyterum duntaxat fuiſſe ſub Flaviano, quem hic *κοινὸν πατέρα communem Patrem* appellari & obſervat Fronto, & verum eſt. Tertiò denique hinc conſtat, Chryſoſtomum, quô tempore hanc orationem habuit, adhuc fuiſſe *νέον juvenem*; quod ipſe diſertiſſimè dicit. Ergo cùm orationem de Lazaro quartam quod nuper docui biduo non ampliùs poſt hanc de Babyla dictam, & apud eoſde n habuerit, certo certius eſt quæ in ea leguntur non Cònſtantinopoli, ſed Antiochiæ, non Epiſcopum, ſed preſbyterum, non denique ætate provectum, ſed juvenem pronuntiaſſe Chryſoſtomum, adeoque multis annis antequam epiſcopatum Conſtantinopolitanum nactus eſſet, quô jam maturus ævi evectus eſt, annum ſcilicet vitæ ſuæ 50. jam egreſſus. Prætereà homilias *de incompr. henſibili Dei naturâ*, ex quibus inſignem item locum pro eadem hac ſententia adduximus, Chryſoſtomum ſcripſiſſe, atque habuiſſe cùm adhuc eſſet Diaconus, omnes veteres tradunt, hoc eſt annis minimum tredecim antequàm fieret Epiſcopus. Quin & homilias tum in Matthæum, tum in priorem ad Corinthios, ex quibus nos itidem loca non ſpernenda adduximus, Antiochiæ ab eô adhuc preſbytero ſcriptas eſſe iidem teſtantur. Certe Bellarminus ipſe alibi diſertè fatetur homilias in Matthæum habitas fuiſſe à Chryſoſtomo preſbytero Antiochiæ. Factus eſt autem à Flaviano preſbyter anno Domin. 385. Cætera, ex quibus teſtimonia contra vocalis confeſſionis neceſſitatem attulimus, plæraque (ſi commentarium in epiſtolam ad Hebræos exceperis) à Ioanne noſtro nondum Epiſcopo; ſcripta fuiſſe, tametſi non ſit certa fides, veri tamen ſimillimum videtur; cùm veteres tradant plurima ex iis quæ extant ejus operibus ipſum tredecim illis annis ſcripſiſſe, quibus preſbyteri munus ab anno Chriſti 385. Antiochiæ exercuit ad annum 398. quô demum epiſcopum factum eum fuiſſe conſtat. Atque ex his liquet, quanta ſit Perronij, & cæterorum temeritas, ac (ne quid gravius dicam) vanitas, qui pro certo affirmant Chryſoſtomum ea, quæ contrà confeſſionis neceſſitatem ſcripſit, ideò dixiſſe, ſecutumque eſſe, quod Nectarij, cui ſucceſſerat, de pœnitentiario Conſtantinopoli abrogando decretum, probandum, ac retinendum putaret, cùm ipſi quidem ullum ex iis libris, in quibus de hoc argumento ſic loquitur, ab eô demum Epiſcopo ſcriptum fuiſſe non demonſtrent, neque ſane demonſtrare poſſint; nos verò unum ex iis, ſcilicet *de incomprehenſibili Dei natura*, etiã antè preſbyteratum; quatuor verò alios ſcilicet de Lazaro, ſtatuas, in Matthæum, & in priorem ad Corinthios ante epiſcopatum ſcriptos fuiſſe veris, certiſque documentis firmemus, reliquos octo (excepto commentario in epiſtolâ ad Hebræos) etiamſi non certo, certe probabiliter, & ipſos quoque antequàm Ioannes Conſtantinopolim veniret, elucubratos ac editos fuiſſe oſtendamus. Annon ergo egregie ſomniant Perronius, & Bellarminus, dum nobis narrant in his Chryſoſtomum *Nectarij prædeceſſoris ſui judicium defendere voluiſſe*; quæ ab ipſo multis annis ante

Phot. Cod 96. ex Georg A- lex.

de Script Eccleſ in Gratiano. obſerv. ult.

Marcellin. Chron. non. & Eutych. coſs.

ante scripta fuisse constat, quàm vel Nectario successisset; vel ipse fortasse Nectarius hoc de abrogando pœnitentiario decretum fecisset? Chrysostomus vero ô boni, non Episcopus, sed vel Diaconus, vel presbyter, non Constantinopoli in Thraciâ, sed Antiochiæ in Syriâ erat, dum istorum plæraque scriberet; neque tunc vel de Nectario, vel de Nectarij decreto, vel de suain ejus locum futuraolim promotione magis, quàm de Franciscanorum cucullis, vel de Iesuitarum fibulis cogitasse videtur. Hanc ille doctrinam non à Nectario habuit, quô longè doctior fuit; non a bullo in quemquam obsequio, aut studio, hausit; à quô vir optimus semper alienissimus fuit; sed ab Ecclesia. in quà educatus fuerat, acceptam, & è sacris litteris, quas laudat, expressam clarissimè, constantissimeque in omni loco, in omni ætate ac dignitate sua docuit, & juvenis, & senex, & diaconus, & presbyter, & Episcopus, & Antiochiæ, & Constantinopoli. Ca.xxvii.

Caput XXVII.

Refelluntur cætera Bellarmini & Perronij somnia, opinantium Chrysostomum publicam confessionem, non privatam excludere, & judicialem Confessionem & satisfactoria frustra distinguentium.

Atque ita everso, disjectoque primo hoc fundamento, in quo Bellarminus & Perronius tam suaviter exsultabant, cætera, tametsi ea jam sponte sua corruant, videamus. Ergò & illi & Baronius secundò substruebant Chrysostomum in allatis locis *confessionem publicam*, eandem illam scilicet, quam à Nectario sublatam volunt, *carpere, ac reprehendere*; *de privata*, quam ipsi docent, nusquam intelligere. Quô loco Perronius duas sibi fabricatur confessiones; quarum unam *judicialem* vocat, alteram *satisfactoriam*, *illam, quæ apud sacerdotem in arcano fieret*; hanc, *quæ in publico apud totam Ecclesiam*; *illam, qua sacerdos à reo discebat quod esset ejus delictum, vt ex eô pœnitentiæ modum, tempusque præscriberet*; *hanc, quæ satisfactionis pars, imò sigillum esset*. Hanc denique non autem illam reprobasse, ac impugnasse Chrysostomum; Et sunt istorum gemina, quæ Bellarminus quoque paulò post de hac *satisfactoria* scilicet *confessione* effutit. Sed hæc ejusdem omninò, cujus superiora, furfuris sunt, vana & inania ab istis caussæ studentibus somniata. Primò, quod *judicialem confessionem* à *satisfactoria* distinguunt, velut oppositam speciem, quasi & ipsa judicialis non sit *satisfactoria*, eô inquam & scholæ suæ, & suis ipsorum placitis adversantur. *Scholæ*, inquam; cujus princeps Thomas hanc ipsam *judicialem confessionem*, quæ sola apud istos in

a. D 16.§.32.

Repl. p.119.

Vbi supr. §. Respondeo Chrysost.

CAP. XXVII. 3 q. 6[?]. art. 6. l. 3 de pœnit. c 12. §. Ad Eccles.

usu est, *pœnosam* esse ait *propter verecundiam confitentis deoque satisfactoriam*; *Suis* vero: Nam Bellarminum memini suprà scribere *confitentis ruborem partem quandam esse satisfactionis.* Ergo & *sacramentalis* istorum *confessio satisfactoria* ipsa quoque est; nisi fortè isti in novam Petavij opinionem concedant, qui suos nuper confitentes vel *nulla, vel* certe *levi verecundia affici* docebat. Sin antiquum tenere, & *suam confessionem satisfactoriam* esse unà cum Thomâ malint; ergo qui *satisfactoriam* à Chrysostomo *reprehensam, ac impugnatam* statuunt, eos necesse est & suam quoque ab illo reprehensam ac impugnatam fuisse confiteri, quæ scilicet & ipsa satisfactoria est. Sed & aliud est multò gravius. Nam illa ipsa solennis scilicet apud veteres *satisfactoria confessio*, magnæ Bellarmini, Perronijq; deliciæ, illa inquam *confessio* merũ istorũ figmentũ, ac somnium est;. Ea neque apud veteres, neq; apud recentiores unquàm extitit; nunquã in rerum natura fuit; Ea in solis istorũ cerebris, chartisque invenitur. Proferant, si possint, aliquem veterũ, qui publicè pœnitentes eò ab Ecclesiæ ministris adactos fuisse testetur, ut sua sigillatim delicta palam apud totam Ecclesiam vel confiterentur ipsi vel alios ea recitantes audirent. Fateor fuisse sed post Chrysostomi tempora, in Campaniæ angulo, qui aliquid hujusmodi tentarent. Sed &

Ep. 80. eos à Leone graviter objurgatos, eorumque *præsumptionem velut ab Apostolica regula alienam* statim *submotam* fuisse scio. Quod verò Bellarmi-

Vb. supr. §. I. tem homil. nus ex historiæ Tripartitæ libro nono, cap. 35. affert *visum esse antiquis Pontificibus ut velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta panderentur*, id inquam, summã hominis vel insciitiã, vel certè fraudẽ prodit.

ad Epiphan. p 242. Illa enim tripartitæ historiæ verba *veri sensus*, inquit Petavius, *sunt inanissima, ac non solum a Sozomeni* (è quo hanc narrationem expressit Epiphanius tripartitæ historiæ auctor) *Græcis verbis abhorrent; sed & pugnant*

L 7. c. 16. *ipsa secum.* Sozomenus certè plane his contraria scripsit; φορτικὸν (inquit) ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν, ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν. *Durum & intolerandum initio Sacerdotes esse judicarunt, sic tamquam in theatro, pro Ecclesiæ cœtu, ac concione peccata pronuntiare.* Hic, ut vides, disertè ait *sacerdotibus* priscis φορτικὸν *durum, ac intolerandum* visum esse, quod historia tripartita *ijs placuisse* affirmat. *Quare* (inquit Petavius) *haud vana suspicio est librariorum culpa vocem aliquam excidisse atque ita restituendum esse*, Propterea visum est mole-

a D. 56. §. 24. stum antiquis Pontificibus. &c. Baronius quoque diu ante Petavium monuerat *perperam habere hanc lectionem Sozomeni* apud Cassiodorum in Tripartita. Bellarmini, si hæc nescivit, inscitia crassa fuit; fraus, si scivit, non ferenda; qui ad firmandum publicæ suæ confessionis figmen-

ad Epiphan. p 245. tum eum locum attulit, quô illa clarissimè, ut liquet, evertitur. Sed

de la freq. comm. part 2. ch. 31 p. 241. 242. nihil me necesse est in iis confutandis immorari, quæ à Petavio Iesuita jamdudum (ut alibi dixi.) confossa, ac jugulata sunt, & quidem approbante Sorbonæ Doctore Arnaldo, viro istarum partium eruditissimo.

Ergo

Ergo his etiam judicibus, necesse est & Bellarminum, & Perronium & cæteros fateri, neque à Nectario abrogatam, neque à Chrysostomo impetitam fuisse *publicam* illam *peccatorum* confessionem; nisi eos adversus tragelaphos, & chimeras pugnasse statuant cum publica illa *confessio* neque tum usquàm esset, ac ne postea quidem unquam in Ecclesiæ usu fuerit; sed à recentioribus conficta in sola eorum imaginatione, librisque, non autem alibi, extet. Neque verò putes Chrysostomum cùm ait locô nonô à nobis suprà citato, *Nunc autem neque necessarium est præsentibus testibus cõfiteri*, significare, (quod vult Bellarminus, *fuisse aliquando tempus, cum necessarium esset coram testibus confiteri*. Particula νυνὶ δὲ *nunc verò* sive (ut habet Parisiensis editionis Latina interpretatio) *jam verò* non est hîc adverbium temporis, ut Grammatici loquuntur, sed conjunctio, quâ in ratiocinando uti solemus, idemque valet, quod *autem* vel *atqui*. *Etiamsi* (inquit Chrysostomus) *coram hominibus peccata dicenda essent & vulganda, ne sic quidem verecundari oporteret.* νυνὶ δὲ οὐδὲ ἀναγκαῖον παρόντων μαρτύρων ἐξομολογεῖσθαι. *Nunc autem*, id est *jam verò*, vel *Atqui ne illud quidem necessarium est, præsentibus testibus confiteri*; idque ita omnium sermone tritum est, ut mirum sit Bellarminum in re usque adeo obvia hæsisse. Vasques sanè itidem, ut Bellarminus Iesuita, id optimè vidit, ac explicavit; *Nunc autem, &c. quasi dicat*, (inquit) *in eô, quod ego suadeo, non est necessarium coram testibus confiteri. Solùm enim postulo Deo fieri quotidianam hanc confessionem.* Neque postremò quicquam est apud Chrysostomum, quod contrà manifestam rerum ipsarum fidem, & contrà disertam Petavij, atque Arnaldi confessionem, persuadere nobis debeat aliquando in usu Ecclesiæ fuisse, ut peccata publicè pœnitentium sigiliatim apud plebem vel ab ipsis, vel ab aliis recitari juberentur. Perronius illa urget οὐδὲ γὰρ εἰς θέατρόν σε ἄγω. *Neque enim te in theatrum deduco*; Bellarminus etiam ista ἐκπομπεύειν, δημοσιεύεσθαι *in publicum efferre, traducere, publicare*; item, *Non dico tibi, ut te prodas in publicum*; & cætera, ejusdem generis quæ multa in locis suprà descriptis occurrunt. Sed frustrà hæc urgentur. Negat (fateor) Chrysostomus ista necessario à peccatore requiri, quô delictorum veniam ab optimo Deo consequatur. Sed nusquàm ait ista vel olim, vel paulò ante à peccatoribus requisivisse Ecclesiæ ministros, quò possent à Deo delictorum remissionem impetrare. Quorsum ergo (inquis) ista commemorat? Nimirum, ut ostendat quanta sit, hinc quidem Dei in peccatores bonitas, atque indulgentia, qui tam facilem veniam iis ultrò proponat; illinc verò peccatorum duritics, atque improbitas, qui tantam oblatam gratiam respuant. Ergo omnis hæc *publicatio, atque infamatio*, quam Chrysostomus commemorat, non tam mihi videtur à publicè pœnitentium in veteri Ecclesia statu desumpta, quàm à criminum capitalium apud Magistratuum tribunalia reis confessis, convictisque. Duplex enim est eorum qui à sæculi magistratibus judicantur, discrimen; prius famæ, alterum

Cap. XXVII. Vb sup. § 1. idem. Chrysost. hom 18. T. 5.

In 1 Thom. tom. 5. q. 90. 1. dub 3. num. 38.

hom. 5 de in compr. D. nat.

hom. 11. in Hebr.

CA. XXVII. terum capitis. Nam ij si crimen, cujus rei aguntur, confiteantur, non tantùm à judicibus vel capite, vel fortunis multantur; sed etiam publicè denotantur. Traducuntur ante vulgi ora; spectandique omnibus in loco publico exhibentur, velut in theatro, diebus ut plurimum solennibus, quibus fieri solet magnus hominum in civitatem concursus. Tum quale sit crimen, quæque sententiæ ratio publicè ipsis audientibus recitatur; idque sæpe ipsi de geniculis ore proprio enuntiare, ac confiteri coguntur; Quin etiam interdum eorum scelera vel ære incisa, vel marmore insculpta loco aliquo edito defigi, prostareque ad exemplum ante omnium oculos posita jubentur. Demùm miseri his aliisque ignominiis perfusi ultimis pœnis, quæ iis constitutæ sunt, afficiuntur. Chrysostomus peccatoribus nihil hujusmodi metuendum esse docet, etiamsi sua apud Deum peccata confessi fuerint: Neque pœnam scilicet, neq; infamiã, aut ignominiã ullã. Sed quid dico mihi videri hanc fuisse viri mentem? Ipse fuisse clarissime nos docet: Nonne enim hæc diserte habet? *Atqui*
hom. 31. ad pop. Ant. *siquis ex sæcularibus judicibus alicui captorum latronũ, vel eorum, qui sepulcra effodiunt, diceret, ut peccata confiteretur, & à pœna dimitteretur, omni certè promptitudine hoc susciperent salutis cupiditate pudorem contemnentes. Hic verò non hoc est; verum & peccata dimittit, nec cogit præsentibus quibusdam ea ἐκπομπεύειν efferre*; ut scilicet solent judices sæculi. Ergo ab iis,
hom. 5. de incompreh. D. nat. T. 1. non ab aliis sumpsit & verbum ἐκπομπεύειν, quô & hic & alibi usus est; & illa quæ alibi posuit, εἰς θέατρον ἄγειν, *in theatrum deducere*, & ἐκκαλύπτειν τὰ ἁμαρτήματα τοῖς ἀνθρώποις *peccata hominibus detegere*; & illa item
hom. 8. de pœnit. εἰς κοινὸν θέατρον ἄγειν κατηγορίαν, καὶ μάρτυρας περιστῆσαι *accusationem in commune theatrum producere, & delictorum testes statuere*; Atque id quidem res ipsa necessariò poscit. Etsi enim reorum in Ecclesia pœnitentia publice, ac velut in quodam theatro fieret; non sic tamen *accusatio*, quæ nusquàm nisi in sæcularibus iudiciis, publice instituitur. Neque
homil. 9. de pœn. alio nos ducunt, quæ in sequenti loco addit Ecclesiam ἰατρεῖον ἐστι, οὐ δικαστήριον, *medicinæ locum, non judicij tribunal esse*. Itaque à nostra pœnitentia, quæ *judicij* sunt meritò removet, pœnam scilicet, & infamiam. Ergo & cæterorum eadem quoque est ratio, in quibus non ad publicæ in Ecclesia pœnitentiæ, sed ad sæcularium judiciorum ordinem, ac (ut vulgo loquuntur *processum* respicere, atque alludere censendus est, quod etiam indicat nomen δικαστηρίου *judicij*, quô aliquoties in hoc argumento utitur, quodque sæcularibus judiciis proprie convenire nemo nescit.
hom. 58. T 5. non esse concion ad gr. Idem clarissime testatur, cum hanc ipsam imaginem diserte adhibet; ἐπὶ τῶν ἔξω δικαστηρίων (inquit) μετὰ τὴν ὁμολογίαν κόλασις, *In externis quidem tribunalibus post confessionem sequitur pœna*, hic verò contrà Deum idcircò
ibid. p. 682. b. *confiteri nos velle, ut ignoscat*. Ergo ex his quidem si forte concluseris in judiciis sæcularibus, quibuscum hoc Dei erga peccatores negotium compárat, reos interdum cogi delicta ipsos sua publice confiteri, quod verum est: in ulla Ecclesiæ, sive sui sæculi, sive anterioris pœnitentia, coactos

ctos fuisse pœnitentes peccata ipsos sua apud plebem recitare, & enuntiare, nulla hinc arte confici potest; neque sanè, vel Petavio judice, verum est. Itaque publica peccatorum in veteri pœnitentia confessio, cum nullum habeat in Chrysostomo magis, quàm in aliis fundamentum, facessere, atque explodi; penitusque velut incredibile figmentum, abiici debet. CAP. XXV.

Iam ea si (ut par est) hinc facessat, plana erunt in Chrysostomo omnia, in quibus sola illius falsò, temereque animis præcepta imago homines, non adversarios modò, sed & nostrorum nonnullos caligare coëgit. Ita enim primò clarissimè ex illis Chrysostomi locis conficitur, quod nos nunc contrà adversarios defendimus, nullam scilicet olim fuisse peccata apud hominem confitendi necessitatem ad eorum veniam à Domino impetrandam. Nam cùm Chrysostomus alicujus apud homines cõfessionis necessitatem apertissimè, manifestissimeque excludat, nulla autem ne animo quidem fingi possit alia apud homines confessio, vel publica, vel privata, id est *satisfactoria*, vel judicialis, (ut loquuntur adversarij) si illa utpote quæ nulla unquam in Ecclesia fuit, à Chrysostomi sensu removeatur (ut necessario removeri debet) profectò consequens est, ut eum *privatæ*, sive *judicialis* apud homines confessionis necessitatem exclusisse dicamus. Neque video, quâ arte, qui *publicam* illam *confessionem* apud veteres in usu fuisse negant, & quidem verè, ut Petavius, & Arnaldus, hinc elabi possint. Sic enim ago. Chrysostomus peccatorum apud homines confitendorum & enuntiandorum necessitatem excludit. Non potest autem alia hæc, de quâ loquitur apud homines confessio accipi, nisi vel publica, vel privata; De publica autem intellexisse videri non potest, quod ea nusquàm apud veteres fuit; Ergo de privata intellexit; ejusque adeò necessitatem negavit. Privata autem est vestra (ut vocatis) sacramentalis; Ergo & vestræ necessitatem, quod nos volumus, negavit.

Sed & hoc ipsum multò etiam magis demonstrant ipsa Chrysostomi verba; quæ ad publicam confessionem, etiam si ea locum apud veteres habuisset, restringi nulla ratione possunt; ut eorum impudentiam, qui contra pugnant, satis equidem non possim demirari. Quid enim est, pro Dei, atque hominum fidem! istis clarius, aut apertius? *Deus* (in hom. 11. ad
quit) αὐτῷ μόνῳ ἀπολογήσασθαι κελεύει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐξομολογήσασθαι. *Sibi* pop Antioch.
SOLI rationem reddere jubet, & SIBI confiteri? Item *SOLO testimonio nostro contentus est; id SOLUM exigit, ut qui remissione fruitur, doni magnitudinem intelligat? Et, Non hominibus detegere peccata cogo, conscien-* hom. 5. de in-
tiam coram Deo explica, & ipsi ostende vulnera; tum, *intus in conscientia* compr. D. nat.
NEMINE præsente præter eum, qui cuncta videt Deum institue judicium. hom 8 de pœnit.
rursum. *Deo SOLI dic peccatum tuum, tibi soli peccavi, & condonatur* hom. 9. de
tibi peccatum? Quid illa dicam Sole clariora, *si volueris ei* (Deo scilicet) pœnit
SOLI loqui nullo alio conscio, & omnia accurate dicere, facile peccata tua hom. 10. in Gen.

CAP.XXVII. *emendabit?* Quid illa quæ Bellarminum ipsum commoverunt, *Dic quotidie peccata in oratione tua. Numquid dico, ut conservo exprobraturo dicas? Dic Deo ea curanti*, &c. *Lacrymare, & delentur peccata*, &c. *Si in lecto sis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collacryma; atque ea hac ratione delere potes.* Illa verò quam præclara sunt, quæ Deum apud peccatorem loquentem inducit; *Mihi SOLI dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberem.* Et hæc, *Iam verò neque NECESSARIUM est præsentibus testibus confiteri. Apud CONSCIENTIÆ ratiocines fiat disquisitio delictorum. Esto judicium ἀμάρτυρον sine ullo teste. Deus te confitentem SOLUS videat.* Hæc ne ipsis quidem Solis radiis clariùs scribi poterant. Neque verò obscuriora sunt, quæ sequuntur; *Dic Deo, Peccavi. Nihil aliud abs te nisi solum istud exigo. Ait enim Scriptura sacra*, Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris. *Dic peccatum, ut solvas peccatum.* Ac ne illa quidem minus diserta sunt, *Non jubet Paulus alteri alterum probare, sed se quemque ipsum, faciens judicium secretum, ac minimè publicum, ἀμάρτυρον ἔλεγχον, & sine ullo teste probationem;* Quò denique illa accedunt ex ultimo viri opere; *Apud Deum peccata confitere; apud judicem confitere peccata tua, orans, si non lingua, saltem memoria; & sic misericordiam impetra.* Profectò vel mentem habet plumbeam, vel frontem certe ferream, qui his confessionem apud homines publicam tantùm, non autem, & apud hominem unum privatam, excludi aut putaverit, aut contenderit. Nam judicibus, quos removet, in publico sedentibus, non unum quod adversariorum postulabat hypothesis, in arcano audientem sacerdotem, sed Deum, & quidem solum; neque magnæ, quam facessere jubet, testium ac consciorum multitudini, unius hominis aures, sed Dei solius omnia, etiam si nihil confessus fueris, cognituri oculos, atque mentem; neque publicæ prætorii tribunalis, quam excludit, pompæ, sacerdotalis tribunalis mysterium, sed tuæ unius cōscientiæ arcanum, neque publicæ reorum in aperto supplicationi secretam uno conscio sacrificulo deprecationem, sed solius peccatoris, etiam in lecto decumbentis, apud Deum lacrymas; & mutas, solaque animâ, ac memoriâ expressas orationes; neque postremò confessioni apud frequentem senatum, vel etiam apud circumfusam multitudinem editæ, auricularem apud unum hominem peccatorum in arcano ἐξαγόρευσιν, sive declarationem, sed secretissimam apud unum Deum confessionem, conscientiæque nostræ procul omni arbitro, testeque, denudationem, constanter, ut vides, perpetuoque opponit. Ergo non illam tantùm, quæ apud plures, & in aperto fit, delictorum confessionem non requirit, sed ne eam quidem quæ apud unum hominē in angulo quantumvis semoto, mussitatur. Non enim *soli Deo* rationem reddit, qui *reddit sacerdoti*; neque *nemo præter Deum* ejus *interest judicio*, qui non aliter absolvitur, quàm agnoscente, & judicante sacerdote; neque *Deo soli peccatum dicit*, vel *ei soli nullo alio conscio loquitur*, qui quæcumque Deo, eadem etiam sacerdoti

clarè,

Margin notes: Conc. 2. in Ps. 50. — Homil. 4. de Lazar. — Hom. non esse ad grat. conc. 38. T. 5. — Homil. de mœst. & pœnit. reg. Achab. — Hom. 28. in 1. Cor. — Hom. 31. in Ep. ad Heb.

clarè, distinctèque in aurem loquitur ac recenset; neque ejus judicium est ἀμάρτυρον, qui testem, conscium, arbitrum, ac judicem omnium habet sacerdotem; neque eum confitentem Deus solus videt, quem & videt & audit sacerdos; neque à peccatore nihil aliud *exigunt*, *nisi ut Deo dicat*, *peccavi*, qui eum sub æternæ mortis pœna sacerdoti omnia sua delicta sigillatim enumerare jubent; multo profectò morosius, atque enucleatius, quàm Chrysostomus Deo. Neque ii concedunt, ut se quisque ipsum probet, sed quemque ab aliò probari jubent, qui omnes ad sactam mensam venturos à sacerdote excuti, dijudicarique præcipiunt; neque postremò ii satis habent ut vel *mente & memoria Deum oremus*, qui etiam *lingua sacerdoti confitendum* necessario docent ad misericordiã impetrandam. Itaq; cùm hæc omnia, quæ Chrysostomus clare, diserteq; ad obtinendam peccatorum remissionem necessaria esse negat, in privatâ adversariorum confessione insint, evidentissimè conficitur non putasse Chrysostomum eam ad remissionem peccatorum esse necessariam. Ca. xxvii.

Caput XXVIII.

Exploditur Gregorij Val. deliramentum fingentis à Chrysostomo excludi confessionem apud cæteros homines; non autem eam, quæ apud sacerdotem Dei ministrum fit; confutaturque tum ex ipsius Chrysostomi verbis, tum ex Bellarmini, & Vasquis testimoniis.

Sed illi, quibus invicta est contrà verum pertinacia, recalcitrant; &, quod omnium fatum est, qui apertæ veritati adversantur, diversis strophis inter se discordes verba facundissimi scriptoris invertere, ac eludere conantur. Præcipua est Gregorij Valentiani audacia; qui contendit per *hanc apud Deum confessionem*, quam confessioni apud homines perpetuo opponit Chrysostomus, intelligendam *eam*, *quæ sub sigillo secreti fit sacerdoti*, *non ut homini & conservo*, *sed ut vicario Dei*, *atque adeò*, *quæ ita fit Deo*; *ut.is repræsentatur à suo vicario & ministro*. Sed istam Gregorij expositionem jam confutavimus. Ostendimus enim nuperrimè multis ex ipsis Chrysostomi verbis petitis argumentis eum confessionis eius necessitatem reiicere, atque excludere, non modò quæ apud plures homines, sed etiam quæ apud hominem unum fit; statuere verò eam sufficere, quæ apud solum Deum nullo penitus homine conscio fit. Cùm ergo sacramentalis illa confessio, quam nobis obtrudit Gregorius, apud hominem fiat, fieri non potest, ut illa eadem sit quam statuit Chrysostomus nobis ad remissionem peccatorum obtinendam ub. supr.

Ca.xxviii. sufficere. Nam sacerdos, apud quem illa in arcano fit; utut fingatur Dei esse *vicarius*, homo tamen quin sit negari nequit; quin adeò apud hominem facta sit, quæcumque apud eum facta est confessio. Imò etiamsi sacerdotem Deum esse finxerit Gregorius, ne sic quidem apud eum necessario confitendum esse ex Chrysostomo confecerit. Is enim Deus apud quem nos confiteri satis habet Chrysostomus, hujusmodi Deus est, qui arcana mentium humanarum novit, quique peccata nostra etiamsi minimè apud eum confessi fuerimus, novit ac pervidet, imò etiam ea scit antequam fiant; quæ uni Domino, summo Deo ac Creatori conveniunt; sacerdotibus, qualescumque sint de cætero, minimè conveniunt. Ergo apud hos confiteri ex Chrysostomo nihil necesse est; apud illum solum & necesse & satis est. Sed & Bellarminus, & Vasques Gregorianam illam Chrysostomi expositionem repudiant. Ille enim admittit *Chrysostomum excludere omnem confessionem quæ fit hominibus, sive publicam, sive privatam; confessionique publicæ opponere confessionem quæ fit soli Deo in conscientiâ sine sono verborum*, qualis profectò nō est sacramentalis istorū confessio. Vasques vero multo etiam fortiùs ac disertiùs. Quandam enim locorum Chrysostomi solutioné à Petro Soto allatam (quæ eadem revera est cum illa Gregoriana nuper à nobis cōmemorata) repudians, sic disputat. *Verumtamen* (inquit) *ex aliquibus locis citatis Chrysostomi aperte constat solum homines hortari ad confessionem interiorem cum solo Deo, non etiam cum sacerdote in occulto. Sic enim tomo quinto sermone illo de pœnitentia & confessione dixit:* Nunc autem neque necessarium est præsentibus testibus confiteri. Cogitatione fiat delictorum exquisitio. Absque teste sit hoc judicium. *Et rursus ibidem.:* Hic absque teste judicium, & tu qui peccasti, condemnas. *Non ergo loquitur adhuc de confessione secretâ facienda confessori. Et homilia illa quarta de Lazaro.* Neque enim conservo est confitendum, qui in publicum proferat, sed Domino: *ubi meo judicio apertè loquitur de confessione interiori soli Deo factâ; Et ita homilia 2. in Psal. 50. inquit,* Dicito ea (*scilicet peccata*) in anima tua. Atque hæc hactenus Vasques, quibus, & aliis permultis paulò antè à me observatis, satis demonstratur Gregorianæ expositionis ineptia, & absurditas.

L. 3 de pœn. cap. 10. §. At inquies. §. Respondeo Chrysost.

in 3. Thom. T. 4. q. 90. art. 1. dub. 3. num. 34.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Altera Bellarmini ad quatuor quædam Chrysostomi loca responsio, concedentis etiam eam, quæ soli fit sacerdoti, confessionem in iis excludi, sed quatenus ea ad satisfactionem, non autem ad absolutionem ordinatur. Id commentum fuse & valide ex ipso Chrysostomo confutatur.

NUNC Bellarmini, & Vasquis ipsius evasiones spectemus. Bellarminus quidem mirificè hoc loco philosophatur. *Respondeo* (inquit) *Chrysostomum in his locis opponere confessioni publicæ confessionem, quæ fit soli Deo in conscientia sine sono verborum, quia non loquitur de confessione, ut ordinatur ad absolutionem sacerdotalem, quæ propriè pars est sacramenti pœnitentiæ essentialis. sed de confessione, ut ordinatur ad confusionem, & erubescentiam; quæ pars dici potest satisfactionis.* Tum paucis de confessione à Nectario sublata, quæ nos suprà refutavimus, interjectis; *Chrysostomus* (inquit) *rectè monet non esse necessarium ob ejusmodi finem obtinendum, publicè vel etiam privatim confiteri hominibus; sed satis esse cum dolore, & lacrymis, confiteri Deo, & sic satisfacere, adjunctis precibus, eleemosynis, jejuniis, aliisque piis, & laboriosis operibus.* Hæc ille; qui quid sibi, cùm hæc scriberet, vellet, vix ipse videtur satis habuisse constitutum. Primò enim quorsum nobis concedit *Chrysostomum non loqui de confessione, ut ordinatur ad absolutionem sacerdotalem?* Quasi verò quisquam nostrum sit, qui ita deliret, ut *confessionẽ* illam à Chrysostomo ad *absolutionẽ sacerdotalem ordinari putet?* Ille verò omnem hominem, adeoque & *sacerdotem* (qui profectò homo est) hinc facessere apertissimè jubet; Deoque soli confitendum, ab eo solo veniam, pacem, absolutionem petendam, & exspectandã docet. Ergo ea de quâ loquitur, confessio, non ad sacerdotis absolutionẽ fateor ordinatur, ordinatur tamen ad Dei absolutionẽ, quod ex omnibus Chrysostomi locis clarum est. Ille enim ubique ideò nos apud Deum peccata confiteri vult, ut eorum remissionem, atque absolutionem à Domino consequamur. Mitto cætera, quæ sunt omnia in hanc sententiam apertissima. Id ipsum ex iis locis liquet, ad quæ nunc propriè respicit Bellarminus. Primò enim in Psalmum 50. post hæc verba, quæ Bellarminus describit, *Si confunderis dicere alicui, quia peccasti, dicito ea quotidiè in anima tua*, vel (ut habent nostri codices) *in oratione tua*; post illa inquam, verba, hæc continuò addit, *Num enim dico, ut ea conservo dicas, qui tibi exprobret? Dic Deo, qui iis medetur.* Ergo hæc, quam præcipit, ad Deum confessio eò spectat, ut peccatis nostris Deus *medeatur*; ea autem, quibus medetur, remittit; itaque & hæc apud unum Deum confessio ordinatur ad remissionem, sive absolutionem

ubi supra

Hom. 2 in Psal. 50.

Cap. xxix. non quidem à sacerdote, sed tamen à Deo obtinendam. Tum statim ea verba, quibus nos Deo soli peccata confitemur, vocat *justificantia*, stulte & absurde, nisi ea illorum vis sit, quam *justificatio*, sive *absolutio* consequatur. *Res*, (inquit) *quæ te probrosum efficiebant, non erubuisti. Nunc verba, quæ te justificant, erubescis!* Tertiò. *Lacrymas* (inquit) *funde; & obliterantur*, peccata tua, scilicet. Ergo & hæ, quæ apud Deum solum *funduntur lacrymæ* ad obliteranda peccata & spectant, & valent; id est ad remissionem, sive absolutionem. Denique *si in lecto* (inquit) *fis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collacryma, atque ea hac ratione delere potes.* Iam quæ *delentur peccata* ea remittuntur. Ergo & ad remissionem spectat arcana illa *in lecto* procul à sacerdote facta exomologesis; Quin & ad eam satis est, ut ad eam obtinendam sacerdotem adhiberi nihil necesse sit. Idem docet alter à Bellarmino ex homilia *de pœnitentia & confessione* allatus locus, qui nobis fuit nonus: *Iam verò neque necesse est testibus præsentibus confiteri. Cogitatione fiat delictorum exquisitio. Absque teste sit hoc judicium. Deus te solus confitentem videat.* Quæris quorsum ille fieri velit arcanam hanc in pectoris secreto apud Deum solum confessionem? an ad absolutionem? an verò ad solam sine absolutione satisfactionem? Ille verò hæc quærenti statim satisfacit. *Deus te solus confitentem videat, Deus* (inquit) *qui peccata non exprobrat, sed peccata solvit* λύων *ex confessione.* Ergo vides hanc ipsam secretissimam confessionem ad peccatorum absolutionem, non quidem *à sacerdote*, sed tamen *à Deo* obtinendam spectare, eamque re vera impetrare. Tum paulò post peccata, si ita nunc confessi fuerimus, docet nos minimè coactum iri in ultimo judicio *confiteri*; quia scilicet jam nunc ea *delebuntur*, opponitque *judicio* ultimo, ubi *pœna erit & diffamatio, & totius orbis theatrum, judicium, quod hic fit sine teste, & in quo qui peccavit in se ipse judicium exercet*; confessionemque adeò, quæ in hoc fit, confessioni quæ in illo fiet. Ergo & confessioni, quæ hic sine ullo teste, in sola peccatoris conscientia fit, remissionem & ab omni futuri judicij infamia ac pœna absolutionem certissimè paratam esse statuit.

Sive ea homil. non esse ad gratiam concionandum.

Tertius Bellarmini locus, nobis supra tertiusdecimus, ita habet; *Ante Deum confitere peccata tua, apud verum judicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria*; Sed & hic, postquàm ista dixit, illud quoque, quod prætermittendum non fuit, statim adiicit; καὶ οὕτως ἀξίου ἱλασθῆναι, *& sic misericordiam impetra.* Ergò & *qui apud Deum non linguæ, sed conscientiæ suæ memoria peccata confitetur & pronunciat, is misericordiam impetrat*: adeoque absolutionem. Scio interpretem postrema illa verba paulò aliter accepisse, atque ita convertisse. *& ita roga.* (Deum scilicet) *ut tui misereatur.* Sed præterquàm quod Græca omninò id videntur, quod nos exhibuimus, significare, ex hac ipsa interpretis versione liquet secretissimam illam apud Deum solum confessionem ad absolutionem à Deo impetrandam spectare, quæ misericordiam

Hom. 31 in Ep. ad Hebr.

diam scilicet à Deo petit. Vltimus à Bellarmino descriptus locus, qui nobis suprà tertius fuit, idem quoque confirmat. *Intus* (inquit) *in conscientia, nemine præsente præter eum, qui cuncta videt, Deum, fac judicium & delictorum inquisitionem, vitamque omnem recogitans in mentis judicium age, sive adducito peccata, reforma quod deliquisti, atque sic pura conscientia sacram attinge mensam, & sancti sacrificij particeps fias.* Iam adversarij nolunt cuiquam jus esse ad sacram mensam accedere, nisi qui mortalium culparum absolutionē acceperit. Cùm ergo per privatū hoc in solâ conscientia, omni procul teste atque arbitro, judicium, in eô constitui peccatorem affirmet Chrysostomus, ut *purâ conscientiâ sacram mensam attingere* possit: adversarij necessariò confiteri coguntur privatum illud, & sine sacerdotis conscientia factum judicium ad delictorum absolutionem spectare, atque ordinari à Chrysostomo: quin & eo satis esse, ut peccatorum, etiam eorum quæ isti letalia censent, remissionem, atque absolutionem à Domino impetremus. Quæ cum ita se habeant, nemo nunc nō videt, quàm futilis & inepta sit Bellarminiana *confessionis* distinctio quatenus ea vel *ad absolutionem sacerdotalem, vel ad satisfactionē ordinatur.* Liquet enim ex istis sensisse Chrysostomum *absolutionem* istam *sacerdotalem* non esse necessariam, ac sine eâ peccatorum veniam fideles à Deo ipso impetrare, quoties cum vera pœnitentia ei soli peccata sua confitentur. Itaque nugas magnas agit Bellarminus, dum nobis narrat Chrysostomum non *loqui de confessione, ut ordinatur ad absolutionem sacerdotalem.* Ille verò ne istam quidem sacerdotis, quam tu memoras *absolutionem*, necessariam putavit, nedum, ut ad eam ordinarit confessionem, quam urget, quamque unam satis esse statuit. Hanc ille, de qua loquitur confessionem ut clarùm est, ad absolutionem quidem ordinat; verùm ad eam, quam non sacerdos, sed Deus tribuit: Ac ut soli Deo nos confiteri vult, ita & ab eô solo absolutionem quærere, & exspectare sacerdotis, ut aures, ita neque linguam necessariam nobis putat, hoc est neque apud eum confiteri neque ab eô absolutionem expetere nos cogit.

Cap. XXIX. Hom. 8. de pœn.

Secundò, respondeo etiam laborare, quæ in altero distinctionis suæ membro posuit Bellarminus. Ait illam apud Deum solum confessionem, quę à Chrysostomo satis esse putatur, *ad confusionem, & erubescentiā ordinari, satisfactionisque partem esse,* eamq; opponit *publicæ* illi *peccatorum confessioni*, quam à Nectario sublatam, pariterque à Chrysostomo prædecessorem sequente rejectam somniat. Ista verò omnia quàm vana sint, pluribus suprà demonstravimus. Nam neque illa publica peccatorum apud plebem confessio pœnitentibus unquam à veteribus imposita, vel ipso judice Petavio, fuit; neque adeò à Nectario, quæ nulla erat, abrogata: neque Chrysostomus, dum hæc, quæ supra attulimus, scriberet, ad prædecessoris judicium respexit, qui scilicet pleraque scripsit, antequàm Nectario suffectus esset, & fortasse ante etiam quàm

Cap xxx. Nectarius publicum pœnitentiarium abrogaret. Vnde liquet, quam absurdè fingat Bellarminus Chrysostomum, dum privatam apud unum Deum confessionem satis esse tam multis locis docet, hoc tantùm voluisse, nihil necesse esse, ut quis Deo satisfaciat, apud plebem peccata sua confiteri. Atqui neque tum, neque antea quisquam ex veteribus existimabat necesse esse pœnitentem peccata sua sigillatim apud plebem recitare, ad hoc ut de iis digne confunderetur atque erubesceret. Quid ergo opus erat in eô refutando, atque amoliendo tam sæpè, tamque vehementer laborare Chrysostomum, quod nemini tum in mentem venire potuisse videtur? Facessant ergo ista omnia tam absurdè, stulteque, quàm audacter, & inverecunde istis somniata, & Chrysostomi mentem, quæ fuit, simpliciter eam fuisse agnoscamus: hanc nimirum, ut fidelis eorum, quorum sibi conscius est, peccatorum veniam, ac remissionem consequatur, satis esse si ea apud solum Deum, procul omni arbitro, testeque, ex animo confiteatur. Quô sensu si *confessionem* à Chrysostomo commendatam *satisfactionem* vocari patitur Bellarminus, id est quæ optimo, clementissimoque Domino satis est, ut omnia nobis peccata condonet, equidem de voce non pugnabo, quam scio priscis Latinis, etiam *Ecclesiæ, scriptoribus in ea significatione passim in usu esse.*

Capvt XXX.

Vasquis solutio confutatur; & ex ipso Chrysostomo demonstratur, eam, quam commendat interiorem apud solum Deum confessionem ad obtinendam peccatorum remissionem satis esse.

Nvnc explosâ Bellarmini cavillatione ad Vasquem veniamus. Ille verò, ut simpliciter dicam, quod sentio, mirus homo est, & cùm omnia nobis concedat, quæ sunt ad hanc profligandam caussam necessaria, postremò tamen negat quicquam hinc adversus ipsos confici posse. Sed eum præstat ipsum audire ita sententiam suam explicantem; *Veram ego existimo* (inquit) *interpretationem esse, ut solum Chrysostomus loquatur de confessione interiori, quæ fiat soli Deo, non sacerdoti.* Vides, ut Gregorij sententiam penitùs abiiciat, nostram planè ac disertè constituat? Quid ergo est inquam, quo minus fateatur nostrum esse Chrysostomum eumque exteriorem illam adversariorum sacramentalem confessionem minime necessariam esse existimasse? Audi verò magnam hominis Iesuitæ vafritiem; *Sed* (inquit) *in omnibus illis locis non loquitur de confessione, quæ debeat fieri ex præcepto statutis temporibus, aut in necessitate extremâ; sed exhortatur ad quotidianam confessionem, & quotidianum examen conscientiæ, ne patiamur peccatum in nobis demorari. Hanc verò planum est non debere* fieri

Vbi supra num 15.

fieri etiam coràm sacerdote, sed satis esse, si soli Deo fiat cogitatione, etiam in lectô, & ut liberius, & vehementius exhortaretur ad eam quotidianam confessionem, & examen quô a Deô postularemus veniam, ostendit ejus facilitatem, & removet omnem, quæ in confessione exteriori cum sacerdote solet esse, difficultatem; & ita homil. illa 2. in Psal. 50. inquit, Peccata tua dicito, ut deleas illa. Si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in animâ tuâ, &c. *quasi dicat, Non tibi suadeo rem grandem, neque modo suadeo, ut dicas sacerdoti, qui exprobret illa, aut te increpando, ut fieri solet in confessione, aut manifestando illa populo: sed secretam admodum tibi modò suadeo confessionem cum solô Deô: unde non est cur graveris confiteri quotidie.* Tum aliquot alia Chrysostomi loca, ex oratione *quartâ de Lazarô*, ex homilia *de confessione & pœnitentia*, & ex Commentariô in Epistolam ad Hebræos ad eundem modum explicat. Ego verò isti hactenus quidem vehementer assentior, gratiamque habeo, qui tam apertè verum Chrysostomi in his sensum exposuit. Nam & quod principio negat eum *loqui de confessione, quæ debet fieri ex præcepto statutis temporibus, aut in necessitate extrema*, ego minimè omnium refutaverim; qui scio illam *ex præcepto statutis temporibus, aut in extremis, necessariam confessionem*, vix octô post Chrysostomum sæculis inventam, ac promulgatam fuisse. Tum quod subiicit eundem omnibus istis locis loqui *de quotidiana confessione* quam nihil necesse est *coram sacerdote fieri*, satisque est *si soli Deo fiat*, id inquam planè probo, atque exosculor. Sed quod ille ád extremum concludit *nihil inde ex ejus sententia probari posse*, non possum non mirari, ibid num 19.
& optassem, ut ille quid hoc tandem sit, quod monstri simile mihi quidem videtur, paulò uberius explicasset. Nam his semel concessis, quæ nobis Vasques concedit, quæque sanè verissima sunt, de tota hac adversariorum caussa actum est. Chrysostomus enim per eam, quam commendat, apud Deum confessionem docet peccatorum remissionem obtineri; idque nos nuper contrà Bellarminum ex quatuor insignibus ab ipso adductis locis demonstravimus. Sed & reliqua pœnè omnia à nobis descripta loca idem clarissimè confirmant. In primò ait Deum *sic nobis peccata dimittere, ut ipsa non revelet, nec manifesta faciat aut conspicua, nec cogat in medium procedentes quæ peccavimus enuntiare; sed sibi soli* hom 11. ad pop. Antioch.
rationem reddere jubet, & sibi confiteri. Nemo non videt hanc esse Chrysostomi mentem; *Deum nobis peccata sibi soli confessis statim remittere.* Mox ibidem subiicit Deum ἀρκεῖσθαι τῇ παρ' ἡμῶν μαρτυρίᾳ μόνῃ *solo testimonio nostro contentum esse in hoc suô erga nos beneficio* (intelligit autem remissionem peccatorum.) Iam Deo testimonium nostrum τὸ παρ' ἡμῶν solum non esset satis, si nostræ remissionis alium præter nos, testem, imò & iudicem esse vellet, nimirum sacerdotem. Ergo necessario statuendum est, Chrysostomum sentire ad hoc accipiendum à Deo veniæ, sive remissionis beneficium satis unicuique nostrum esse, si peccata soli Deo confessi fuerimus; idque si fecerimus, Deum illico suum hoc nobis beneficium in arcano ita impertiturum, ut ejus accepti nemo

Cap. xxx. alius testis, nemo nobis conscius sit. Secundus quoque locus idem conficit; in quô jubet *nos conscientiam coràm Deo explicare, & vulnera ipsi nostra ostendere, & ab eo remedia petere, ostende* (inquit) *non exprobranti, sed sananti*: Ergo intelligit Deum vulnera nostra, quæ ei soli ostenderimus, *curaturum*; hoc est, ut omnes intelligunt, peccata quæ confessi fuerimus dimissurum. Quod & sequentia docent: *Dic* (inquit) *ut lucreris, dic, ut hic deposito onere abeas illuc purus*. At cui peccatum nô dimittitur is neque *lucratur* quicquam, neque *onus deponit*, neque *purus abit*. Ergo qui peccatum dicit apud Deum, ei peccatum dimittitur. Sed nihil iis disertius dici potest, quæ in quarto loco leguntur, *Deo soli dic peccatum tuum*: Tibi soli peccavi, & malum coràm te feci, *& dimittitur tibi peccatum tuum*. Ergo ex Chrysostomo etiam ei peccatum dimittitur, qui id soli Deo dicit. Similia sunt quæ habet loco quinto, etiam magnorum peccatorum reum *si voluerit uti conscientiæ adjumento, & medico* (*Deum autem intelligit*) *ostendere ulcus, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, peccata sua facilè emendaturum*: *confessio enim* (inquit) *peccatorum abolitio est delictorum*. Vides, ut iste apud Deum solum confitenti eadem promittat, quæ adversarij apud sacerdotem confitentibus? Mox venia indignos fore ait, *qui vulnera Domino minime ostenderint, neque ab eo medicinam eorum susceperint*. Ergo peccatorum medicinam, id est remissionem suscipiunt, qui ea Domino ostendunt. Sed omnem pertinaciam expugnant, quæ habentur in loco septimo: *Nihil* (inquit) *tam peccato exitiale, quam peccati accusatio, condemnatioque cum pœnitudine lacrymisque conjuncta. Condemnasti peccatum tuum? deposuisti sarcinam. Quis hæc dicit? Ipse judex Deus. Dic tu peccata tua prior, ut justificeris.* Mox, *Ob hoc ipsum Deus te vult dicere, non ut puniat, sed ut condonet.* Tum Deum ita nos alloquentem inducit, *Mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberem.* Vasques disertè scribit Chrysostomum *hic apertè loqui de confessione interiori soli Deo factâ*: nullo conscio sacerdote. Ergo & qui ita confitetur, is *sarcinam quoque deponit, & justificatur, & sanatur, & dolore liberatur*; & ei postremò *condonatur*. Idem ex decimô locô patet; ubi ait *peccatum eum delere*, & solvere *qui dicit*, Deo scilicet, quorsum illud ex Isaia iterum inculcat, *Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris*. Sic & in loco undecimo, cùm dixisset Christum jussisse, ut ea peccata, quæ etiam post baptismum admittimus, nobis remitti à patre cœlesti in quotidianâ prece petamus, adiicit, *Vidisti miseri ordiæ cumulum?* &c. *Iterum peccantibus dignatur ignoscere.* Ergo & iis, qui privatim in oratione quotidiana Deo confitentur peccata, & ejus misericordiam implorant, *ignoscitur*. Ex his constat Chrysostomum putasse fidelem peccatorum remissionem impetrare, etiam per solam interiorem, nullo adhibito sacerdote, apud unum Deum confessionem. Unde evidentissimè consequitur minime eum existimasse confessionem apud ministros necessariam ad hoc esse, ut peccatorum quisque

hom. 5. de incompr. D. nat.

homil. 9. de pœn

hom. 20. in Gen.

hom. 4. de Laz.

Vbi supra num 14.

Homil. de mæst & pœn reg Ach. II. 43. 16. apud 50.

hom. 10. (gr. 19.) in Matth.

quisque remissionem consequatur neque enim ad id necessariam putavit, sine quâ id ipsum haberi posse, tam constanter, tam perspicuè, tam sæpe dicit.) Atque id ipsum est, de quô quærimus; num scilicet Patres confessionem istam apud ministros, sacramentalem, ac necessariam esse putaverint. Videat jam Vasques, *an nihil ex Chrysostomi sententia contra se probari possit*. Secundò. Inde etiam constat Chrysostomum unâ apud Deum *interiori* confessione ita fuisse contentum, ut alteram apud sacerdotem non desideraret, quod fidelem illa probe defunctum ad sacram mensam admittat; *postquàm intus in conscientia, nemine præsente præter eum, qui cuncta videt, Deum, judicium & delictorum inquisitionem fecerit, vitamque omnem recogitans peccata in mentis judicium adduxerit, & quod deliquerat, reformaverit*; *Sic* (inquit) *pura conscientia, sacram attinge mensam*. Sic etiam alibi ut ad communionem accedamus quemque, non *ab altero probari* jubet, sed à se ipso, in secreto judicio, in ἀμάρτυρω *convictione sive probatione sine teste*. Ergo & satis esse putabat interiorem apud Deum confessionem, neque adeo exteriorẽ apud ministrũ necessariã esse censebat: quod an *nihil* sit (ut ait Vasques) lectori cordato judicandum relinquo. Deinde idem etiam ex ipsis Chrysostomi verbis liquet, qualia sunt ista, exempli caussa; *Num enim dico, ut peccata conservo dicas, qui tibi exprobret? Dic Deo, qui ea medetur*. Vasques per *conservum* sacerdotem intelligit; Rectè, eodemque modo accipit, quæ alibi habentur, *Num enim homini dicis, ut tibi exprobret? Num conservo confiteris, ut in publicum proferat? Imò verò Domino confiteris, qui tui curam gerit*, &c. Denique (nihil enim necesse est omnia repetere) in eundem quoque sensum capit illa egregia: *Jam verò neque necessarium est præsentibus testibus confiteri. Apud conscientiæ rationes, sive cogitationes fiat disquisitio delictorum, sine teste sit judicium. Deus te confitentem solus videat, quasi dicat* (inquit Vasques) *in eo quod ego suadeo non est necessarium coram testibus confiteri. Solum enim postulo Deo fieri quotidianam hanc confessionem*. In his ergo & cæteris quæ sunt ejusdem generis concedit, imò pugnat Chrysostomum quam summovet, confessionem, eam etiam intelligere, quæ fit apud unum sacerdotem; quam commendat, eam significare, quæ quotidiè fit apud solum Deum, omni homine, etiam sacerdote, secluso. Quæso te nonne mirabile est, qui hæc ita constituit, eundem quoque dicere Chrysostomum *docere confessionis in aurem sacerdotis necessitatem*, neque quicquam in istis inesse, quod illi auricularis confessionis necessitati adversetur? Qui negat se jubere, *ut conservo*, id est, teste Vasque *sacerdoti* confitearis: Qui non aliud urget, nisi ut *Deo peccata dicas*, is ne quæso, statuit *necessarium* esse sub æternæ mortis pœna conservo confiteri? Sed quid est argumentis opus? Chrysostomus disertissimè negavit *necessarium esse præsentibus testibus confiteri*, hoc solùm postulavit *Deo fieri hanc confessionem*. An, ne hoc quidem pugnat cum ejus confessionis necessitate, quæ non *apud solum Deum*, sed etiam *præsente* aliquo *teste* fit?

Cap. xxx.

hom. 8. de pœnit.

hom. 28 in 1. ad Cor.

hom. 2. in Ps. 50.

hom. 4. de Lazaro.

Orat. non esse ad gratiam concion sive de pœnit. & confess.

Vbi supra num. 38.

CAP. XXX

hom. de incompreh. D. nat.

Quid illa referam, quorum idem omninò sensus est? *non cogo te* (inquit) *hominibus detegere peccata tua. Conscientiam coram Deo explica.* Idem de Paulo; *non revelavit ulcus; non in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit, intus in conscientia nemine præter Deum adstante, judicium instituit.* Et illa: *Dic Deo, Peccavi. Nihil aliud abs te nisi solum istud exigo.* Fidem tuam, Vasques; Iste ne eadem, quæ vos, de auricularis confessionis necessitate, sensit? Pervelim aliquem ex vestris hominibus ita loquentem audire. Cur non faciunt, si eadem, quod tu vis, cum Chrysostomo sentiunt? Cur non interdum negant se Christianos *cogere hominibus detegere peccata sua*? Cur non interdum jubent eos *conscientiam coram solo Deo explicare*? Cur non suos interdum monent ad sacram mensam accessuros, non esse *quod ulcus revelent*; satis esse, si *intus in conscientia nemine præter Deum adstante judicium instituant*? Denique cur nemo eorum umquam auditus est dicere; *Nihil aliud à peccatore exigimus, nisi hoc solum, ut Deo dicat, Peccavi?* Cur inquam, numquam isti sic loquuntur? Quia nimirum mentirentur, si cùm planè aliud sentiant, ista vel pronuntiarent, vel scriberent. Commendant suis illud interius conscientiæ examen: sed numquàm ita ut, id se unum ab illis exigere dicant. Contritionem, & (quod idem ferè est) confessionem apud Deum interiorem laudant; sed ita semper ut exteriorem cōfessionem apud ministrum necessariò requirant; *Nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedat*; Ac ne ipsis quidem sacerdotibus aliter sacra peragere concedunt. Ergo concludendum est Chrysostomum, qui sic, ut diximus, loquitur, planè contrà, quàm istos, sensisse; solamque interiorem apud Deum contritionem ac confessionem à fidelibus exegisse, quô vel peccatorum absolutionem impetrarent, vel ad sacram mensam dignè accederent; omnem istam mysticam in unius sacrificuli aures, quæ tanti nunc fit, Innocentij confessionem planè, penitusque ignorasse. Quod ipsum postremò inde probatur, quod quàm ab auditoribus solam requirit confessionis disciplinam, eam omni labore ac difficultate carere affirmat; *Quis hic labor est?* (inquit) *quis circuitus? quæ fatigatio? quæ angustiæ verbū hoc proferre, Peccavi?* Stulte, imo impudenter hoc interrogat, si quod vult Vasques, id sensit. Fateor (dixisset aliquis) tenuis est labor apud Deum dicere, *Peccavi*; neque nos adeò levem, adeò justam atque æquam legem subterfugeremus, si nihil aliud à nobis postulares. Nunc cùm præter illam interiorem apud Deum confessionem nos etiam vel nunc, vel brevi ad hominis pedes procumbere, eique omnes vitæ, quantumvis arcanas, labes, nudare cogas, ridiculus es qui cum tam molestum, tamque grave onus nobis imponas, quæris, quis sit labor hoc verbum proferre, *Peccavi*, quasi videlicet nihil aliud à nobis, quàm hoc ipsum postules. Ex his nemo non videt absurdam & ridiculam futuram fuisse, hanc Chrysostomi de facilitate suæ disciplinæ orationem,

hom. 8 de pœnit.

homil. de mœst. & pœnit. reg. Achab.

Conc. Trid. Sess. 13. cap 7.

Ibid.

homil. de mœst. & pœnit. reg. Achab

tionem, si is (quod nobis Vasques persuasum vult) sensisset auricularem quoque *confessionem esse necessariam*, qua *isti quicquam in Ecclesia sua* (ut loqui solent) *Catholica gravius, difficilius, molestius, ac onerosius* esse negant. Cùm igitur constet Chrysostomum, non absurdè, aut ridiculè; sed sapientissimè ac facundissimè omnia eloqui, postremò confitendum est eum, quicquid teclamet Vasques, non aliam nobis ad absolutionem à Deô impetrandam, confessionem necessariam esse putavisse, quàm quæ facillima est, nullumque *laborem, nullos circuitus nullam angustiam habet*, qualis est non istorum *molestissima* ac *onerosissima*, ut ipsi narrant, confessio, sed sola interior apud unum Deum animæ pœnitentis contritio, atque exomologesis. Atque hic Gregorio, & Vasqui quod alibi quoque sæpe, accidit ut veri partem unam aliquam uterque viderit, neuter totum confiteri caussæ studio præpeditus, potuerit. Verum enim est, quod Gregorius frustrà repugnante Vasque ponit Chrysostomum *nullam aliam peccatori confessionem necessariam* putasse, præter eam, quam in allatis locis commendat. Verum quoque est, quod Vasques vicissim, Gregorio nequicquam adversante, demonstravit, Chrysostomum non aliam in locis illis confessionem commendasse, quàm quæ apud Deum solum, in conscientiæ arcanô fit, non autem eam, quæ exterius apud sacerdotem. Itaque si quod ambo seorsim verum habent, tenueris, quod alter in alterius sententiâ meritò reiiciunt, ac refutant, seposueris, verum Chrysostomi sensum habebis totum, ac integrum; quem nos hactenus constituimus; nimirum non aliam ab eô confessionem necessariam censeri, quàm quæ apud Deum solum, extrà cujusquam hominis conscientiam fit.

Cap. xxxi. Bell. l. 3 de pœnit. c. 11. §. Secunda ratio.

Caput XXXI.

Exploditur Latinij & Petavij ad Chrysostomum non solutio, sed desperatio, Illius, hæc ejus opera vel vera, vel sincera esse negantis; Hujus, orationem Chrysostomi veri sensus inanem esse non obscure calumniantis.

Quam cum Latinus Latinius, & Dionysius Petavius viderent veram esse Chrysostomeæ orationis mentem, neque eam aliò cum aliqua probabilitatis specie detorqueri posse; aliter sibi ex his angustiis evadendum esse statuerunt; vetusq; Alexandri in re simili consilium imitandũ putarunt; quẽ fama est eum nodũ, quem arte explicari, ac dissolvi nulla spes erat, gladio dissecuisse. Ita isti has ex Chrysostomo objectas difficultates, cum inextricabiles & inexplicabiles esse intelligerent, au-

Cap. xxxi. daci facinore amoliendas potius censuerunt, quàm tempus in iis dissolvendis frustra cum sodalibus suis perdendum. Ac Latinius quidem omnia, ex quibus loca superiora descripsimus, opuscula vel Chrysostomi esse negat, vel certè à Novatianis corrupta fuisse asserit. Facinus audax, inquis. Audax fateor; sed Romanâ generositate planè dignum, quæ numquam locum deserit, neque veris, quantumvis manifestis, cedit, Patrumque & Scripturæ ipsius monumenta de mediô potius tolli consentiet, quàm ut vel latum pilum à suis dogmatis discedat. Ne tamen exspectes, ut cum hoc gigante congrediar, & quæ opera omnis antiquitas vere Chrysostomi esse testatur quæque loca in omnibus codicibus & manuscriptis, & typis excusis, Græcis, Latinisque, integra ac incorrupta leguntur, ea ego (quod sane facillimum est) contra unius hominis impudentiam defendam. Hoc me labore cæteri levant; quorum nemo ad hanc diem fuit, qui Latinij audaciam probaret. Hoc illius commentum Vasques, qui commemorat, idem confutavit, & nôstris sannis, omniumque ludibriô dignum esse judicavit; cujus hîc verba recitare satis est. *Sed ne* (inquit) *ridendi, & gloriandi ansam prabeamus Lutheranis, existimo neutrum ullâ ratione admittendum esse: Non primùm; quia negare opera adeò recepta, maximè commentaria in Epistolam ad Hebræos, ubi eandem doctrinam Chrysostomus repetit, sine fundamento alio, quàm quod nesciamus ejus sententiæ, respondere, & verbo, frivolum est. Non secundum, quia sic de omnibus sanctorum testimoniis, aut in quibus errarunt ipsi, aut quæ difficilia videntur, ab illius secta hæreticis corrupta esse, quod sine alio fundamento, quàm ne Patribus tribuamus aliquem errorem, quem docere potuisse non est dubitandum, asserere, videtur etiam omninò frivolum, & ridiculum, ut ad hanc communem, velut ad sacram anchoram, confugiamus.* Hactenus Vasques de impudentissimo illo Latini Latinii commento.

Vbi supra num. 51.

Petavij verò etiam multò in Patres contumeliosior vox est. Is enim cùm diffideret illud suorum de publica pœnitentia κρυφρῷ..., quod nos suprà satis confutavimus, omnibus Chrysostomi locis convenire posse; postquàm id commemoravit, objectionem, quam ex aliis institui posse intelligebat, occupans, *Quanquam* (inquit) *multa sunt à sanctissimis Patribus, præsertimque à Chrysostomo in homiliis aspersa, quæ si ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris, boni sensus inania videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad imperitam ferè multitudinem exaggerandi caussâ, & subito quodam impetu dicendi, ac calore profusa feruntur plærumque licentius.* Virum vides fortem profectò, ac generosum; illaque in quâ consenuit, Patrum Iesuitarum disciplinâ dignissimum; ipsis etiam *Divis* maledicere, si Romæ caussa id postulet, paratum. Sed sunto quidem, postquàm illi sic lubet, Patrum; ac Chrysostomi inprimis loca *boni sensus inania*. Nihil hoc ad nos; qui nunc non quid *verum sit*, (id enim ex Dei litteris jam suprà constituimus) sed quid Patribus visum sit, quærimus. Ergo nobis satis est, quod Chrysostomi oratio licet *boni* (id est

ad Epiphan. p. 244.

Iesui-

Iesuitici, & Romani *sensu inanis, sui* tamen, id est veteris ac Chrysostomei plena est. Vter vero sensus verior sit vetusne ac Chrysostomeus; an novus Iesuiticus, ac Romanus; non hic jam est disputandi locus. Ipsa rei utriusque nomina, quid sit sequendum, satis docent. Quô loco antequam progrediar, duo sunt obiter observanda; quorum illud prius est, quàm clara sint pro nobis Chrysostomi testimonia, quæ isti non aliis declinare posse sibi visi sunt, quàm his tam inhonestis, tamque pudendis artibus. Planè redactos ad incitas fuisse oportuit, qui eò confugerunt. Vltimam caussæ desperationem fatetur ipsa illa, quam hic coacti sunt sequi, disputandi ratio. Alterum verò hic animadvertendum est, quàm securè isti, quamque proterve & nobis, & omni hominum generi illudant, qui Patres, quos semper in ore habent, quosque omnium de religione controversiarum judices nobis ferunt, tam indignè, ac contumeliosè habent; eorum vel opera inficiantes, aut corrupta fuisse caussantes, vel orationem *boni sensus inanem* esse jactantes. Ita non *Patribus*, sed *istis solis* judicium omnium tribui palam est; qui scilicet soli, ubi ad rem ventum est, jus sumunt, tum de Patrum operibus, tum de eorum sensu pronuntiandi. Quantò simplicius erat, mistis tot ambagibus, à principio illud idem constituere, quô tandem devoluti sumus; scilicet non Chrysostomum, non aliquem de veterum illorum, ac cascorum hominum grege, sed Dionysium Petavium, vel alium quemvis de florentissima illa beatulorum Patrum societate Dictatorem, judicem sedere in omni hac caussa debere?

Cap. xxxii

Capvt XXXII.

Solvitur quædam in superiora objectio; & ostenditur Chrysostomum publicam pœnitentiam in criminibus manifestis minime abjecisse, sed eam & indixisse ipsum, & eam exercentes probasse. Conciliantur ejus dicta & inter se & cum aliis Patribus.

Sed, ut ad institutum redeam, confutatis adversariorum omnibus ad Chrysostomi dicta cavillationibus, superest, ut veram eorum, quam attulimus, expositionem à quadam, quæ non sine nonnulla specie obiicitur, difficultate vindicemus. Ait enim Bellarminus si Chrysostomus omnem omninò coram hominibus, sive homine, confessionem exclusisse intelligatur, fore ut is non tantùm cum ipsis, sed etiam nobiscum pugnet. *Adversarij enim* (inquit) *confessionem saltem aliquorum gravium delictorum coram Ministro utilissimam, vel etiam necessariam esse censent. Chrysostomus autem confessionem coram hominibus non solùm dicit non esse necessariam; sed etiam apertè damnat, ac reiicit. Sic enim loquitur ho-*

L. 3. de pœn. c. 11. §. Adde, quod.

CAP. XXXII. *tur homil. 4. de Lazaro*, Cave ne homini dixeris, ne tibi exprobret; *& homil. 8. de pœnitentia*. Non reveles ulcus, non peccatorum testes statuas. Hæc ille. Ego de nobis priùs; mox de Chrysostomo. Nos igitur, ut statim initiô hujus disputationis præfati sumus, confessionis apud Pastores faciendæ necessitatem quidem, ac legem, tum & rationem, ut omnia delicta quivis recensere cogantur, reiicimus, ac velut jugum solâ hominum libidine conscientiis fidelium impositum aspernamur. Confessionem verò ipsam non simpliciter damnamus. Nam peccatorum, quæ cum scandalo conjuncta sunt, confessionem apud antistites, pœnitentiam sive apud presbyterium, sive, si res exigat, etiam apud totam Ecclesiam, necessariam esse existimamus; cæterorum, quæ occulta sunt, liberam, non necessariam esse debere putamus; ita ut siquis sit, qui conscientiæ æstum non facilè per se explicare, ac componere possit, ei hoc remedium utile esse censeamus; ac non modo nostros non deterreamus ab eô usurpando, sed etiam hortemur & suadeamus, ut quoties opus est, id prudenter adhibeant. Hæc nostra est de confessione apud Pastores sententia, de quâ pluribus nihil opus est hîc docere, quod eam fuse alibi explicavimus. Quid ergo Chrysostomus? Pulsat-ne aliquam nostræ hujus doctrinæ partem? Nihil minus. Falsum enim est, quod ait Bellarminus, *eum confessionem coram hominibus non solùm dicere non esse necessariam, sed etiam apertè damnare, ac reiicere.* Ejus necessitatem (fateor) ubique tollit, ac evertit, usum, nusquàm damnat. Diserta sunt ejus verba; *Non cogit* (Deus) *in medium procedentes, quæ peccavimus, enunciare, sed sibi soli rationem reddere jubet.* Item; *Neque enim te in theatrum duco conservorum tuorum; non hominibus detegere peccata* COGO ἀναγκάζω; quô verbô & in præcedente locô usus erat. Quæ vero adversarius contra affert ex homilia quarta de Lazaro, *Cave ne homini dixeris, ne tibi exprobret*, ea in Græcis Chrysostomi non comparent, quod jampridem monuit Baronius,* sed hæc tantùm; τίνος γὰρ ἕνεκεν αἰσχύνῃ καὶ ἐρυθριᾷς εἰπέ μοι, τὰ ἁμαρτήματα εἰπεῖν, μὴ γὰρ ἀνθρώπῳ λέγεις, ἵνα ὀνειδίσῃ σε, μὴ γὰρ τῷ συνδούλῳ ὁμολογεῖς, ἵνα ἐκπομπεύσῃ; Quæ in ultima editione Parisiensi Latinè sic legũtur, *Cur igitur te quæso pudescis & erubescis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut probro afficiat? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat?* Eo, ut vides erubescentiæ & pravi pudoris metum istis adimit, quod nulla sit peccati apud homines & conservos, fortasse id exprobraturos; confitendi necessitas. Si quis etiam istis confiteri ultrò, ac sponte velit, ne minimo quidem verbo prohibet. Ergo verbum illud *cave*, quod Bellarmino imposuit, est à mala imperiti interpretis manu; non est à Chrysostomo; qui & in ipso hoc loco Deum inducit, itidem ut in præcedentibus, solam confessionis apud homines faciendæ necessitatem sic excludentem; οὐκ ἀναγκάζω φησὶν, εἰς μέσον ἐλθεῖν σε θέατρον, καὶ μάρτυρας περιστῆσαι πολλούς. *Non inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi soli dic peccatum*

hom. 11. ad pop. Ant.

hom. 5. de incompreh. D. natura.

*a. D. 56 §. 12.

tum privatim, ut ſanem ulcus, & te dolore libirabo. Neque alia eſt alterius loci ratio, in quô Bellarminus ſuæ oſcitantiæ pœnas dedit. Si enim ipſum auctoris fontem adiiſſet, neque malo, in quem incidit, interpreti nimium confiſus eſſet, alia, quàm quæ ipſum in errorem induxerunt, reperiſſet; Nam pro iſtis, *Non reveles ulcus; non delictorum teſtes ſtatuas,* quæ ſunt à mente Chryſoſtomi planè aliena, hæc eô loco habentur, ὐκ ἀπεκάλυψε (Paulus ſcilicet) τὸ ἕλκος, &c. ὐ κατέϛησε μάρτυρας τῶν πλημμελημάτων. *Non revelavit ulcus; non in commune theatrum accuſationem produxit, non delictorum teſtes ſtatuit;* ut habet Latina interpretatio in ultima Chryſoſtomi editione. Significat ſcilicet Paulum in verbis illis, quæ iſtic explicat, *Probet autem ſe ipſum unuſquiſque,* nemini fidelium hanc legem ſtatuere ut ulcera ſua aliis nudet, & coràm teſtibus ſua ipſe delicta pandat; ſed ſatis habere, ut (quod ſtatim adiicit *intus in conſcientia, adſtante nemine præter eum, qui cuncta videt. Deum, judicium* de nobis ipſis *inſtituamus.* Quæ (ut quivis intelligit) neceſſitatem ſolam confeſſionis apud hominem, ſive apud homines faciendæ tollunt; nemini libertatem eripiunt peccata apud Paſtorem, ſi ita velit, confitendi. Atque hæc quidem ad ſolvendam Bellarmini objectionem *ſatis ſunt.* Sed quæret fortaſſe aliquis, quomodò hæc Chryſoſtomi, quibus non privatę modò apud unum hominẽ, ſed multò magis publicæ apud totam Eccleſiã pœnitentiæ neceſſitatem ſolvi, atque excludi diximus, conveniant tum cum noſtrâ, tum cum veterum ſententiâ, qui etſi privatam apud unum ſacerdotem de quotidianis delictis pœnitentiam liberam eſſe debere cum Patribus ſentiamus, publicam certe capitalium & cum ſcandalo conjunctorum criminum neceſſariam eſſe confitemur? Id enim & ex ea noſtræ ſententiæ declaratione, quam ſupra aliquoties poſuimus, & ex veterum, maxime Tertulliani, Cypriani, Auguſtini, & Leonis deſcriptis in priori parte locis ità clarum, ac manifeſtum eſt, ut negari citra impudentiam non poſſit. Nam ut cætera mittam, nota ſunt illa Auguſtini, *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, Occulte ago; apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago,* & cætera, quæ ſupra ſuo loco recitata ſunt. In his publicam, ut vides, pœnitentiam non ſingulorum arbitrio permittit, ſed neceſſariò à quibuſdam, quos alloquitur, exigit. Neque minus diſerta ſunt illa Leonis à nobis quoque in ſuperioribus explicata: *Sic divinæ bonitatis præſidia ordinata ſunt, ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum, nequeat obtineri.* Denique ne plura repetam, nemo in veterum Patrum, ac Conciliorum monumentis verſatus negaverit veriſſima eſſe, quæ nos alibi à Petavio adverſus Perronium ſcripta retulimus, *Vetera omnia Concilia omneſque canonum conditores ita publicam lapſis pœnitentiam præſcribere, ac tempus, rationemque definire; ita porrò Tertullianum, Cyprianum, Pacianum, antiquos ad unum omnes eoſdem illos hortando, comminando, objurgando, vel invitos urgere, & impellere, ut minimè hoc illis integrum*

Cap. xxxii.

Orat. 8. de pœnit. T. 1. p. 521 d.

hom. 49. c. 3.

Ep. 91. c. 1.

ad Epiph p. 181.

Cap. xxxii. *fuisse significent.* Quid ergo? Dicemus ne cum eodem Petavio, quô tempore Chrysostomus superiora illa, quæ ex eô attulimus, scribebat, vel pronuntiabat, *pœnitentiæ publicæ usum jam intercidisse, & peccata coram hominibus publicari desiisse, hoc est externo illo squalore, ac sordibus, cilicio, volutatione, reliqua omni mœroris, ac luctus significatione detegi?* Certè videtur hæc communis multorum esse sententia, ex illo supià memorato Nectarij facto orta. Putant enim simulatque Pœnitentiarii munus Constantinopoli à Nectario abrogatum fuit, statim per totum Orientem desiisse una quoque antiquatam omnem publicæ pœnitentiæ disciplinam. Id verò nos multa deterrent ne verum esse existimemus ac illud inprimis, quod etiam post Nectarij tempora multa passim non modo in Oriente, sed etiam in ipsa Constantinopolitana Ecclesia veteris disciplinæ non modò vestigia, sed etiam certissima documenta cernuntur. Certè vel unus Trullanæ Synodi canon, suprà à nobis expositus, ostendit publicam pœnitentiam Constantinopoli, & in omni Orientis Ecclesia, non secus ac antea, in usu fuisse. Tum nihil nos cogit credere omnem omninò publicæ pœnitentiæ disciplinam à Nectario fuisse abrogatam, ut ex iis apparet, quæ de hoc eius decreto supra loco suo diximus. Et si eam planè penitusque à Nectario sublatam fuisse constaret, (quod profectò non constat) id ejus decretum Constantinopoli obtinuisset; ut Antiochiæ quoque, Orientis metropoli, & in Ecclesiis ejusdem diœceseos, quæ & plurimæ erant, & florentissimæ, receptum & approbatum fuerit non fit verisimile Neque enim ea tum adhuc erat Constantinopolitani Episcopi in Oriente auctoritas, quæ postea fuit; ut credibile sit solo ejus nutu in omnes illas Ecclesias, præsertim in Antiochenam, cujus si non major, certè non minor; quam Constantinopolitanæ Nectarij temporibus, dignitas fuisse videtur, statim irreperet, & in usum reciperetur tam absurdum, tamque & ab Evangelica & ab universali omnium retrò Christianorum disciplina alienum decretum. Atqui ipsam illam orationem *de Incomprehensibili* quintam, ad quam illa de publicæ pœnitentiæ abrogatione Petavius scripsit, Chrysostomus, non Constantinopoli, sed Antiochiæ habuit, & plærasque alias, (ut supra demonstravimus) in quibus publicam pœnitentiam tollere putatur. Ergo cum non sit verisimile Antiochiæ receptum fuisse illud Nectarij decretum, omninò videntur perperam, ac præter rem illa de publicæ pœnitentiæ abrogatione afferri ad mitigandam eorum, quæ Chrysostomus Antiochiæ contra eam dixit, invidiam. Quid? quod fieri potuit, ut illam ipsam *de incomprehensibili* orationem habuerit Antiochiæ, antequàm Nectarius Constantinopoli esset ordinatus Episcopus? Certè veteres testantur præclaras illas περὶ ἀκαταλήπτου homilias ab eo adhuc Diacono dictas fuisse; Diaconum autem eum fuisse constat antequam Nectarius fieret episcopus. Ille enim à Meletio Diaconus Antiochiæ ordinatus est anno Christi 380. hic verò in sedem Constantinopolitanam evectus

ad Ep'p p. 244.

Socrat Pallad Ianot. Marcel. lyn.

evectus anno 381. Syagrio, & Eucherio coss. Mitto quod incertum est quô Episcopatus sui tempore pœnitentiarium abrogaverit Nectarius. Annos enim complures, ac fere septemdecim, sedit. Ex quibus apparet, quàm temerè, ac inconsideratè illa Chrysostomi contra publicam pœnitentiam dicta ad Nectarij factum, vel ad eam, quam ex eô sequutam volunt veteris pœnitentiæ abrogationem, referantur. Hanccine igitur dicemus privatam ac singularem fuisse Chrysostomi opinionem? qui, quam cæteri omnes illius temporis Theologi, quam ipsi Antiochiæ Episcopi Meletius, & Flavianus, sub quibus vixit, quam omnes ejusdem diœceseos Ecclesiæ probabant, atque in usu habebant, publicæ pœnitentiæ disciplinam unus contempserit, abjecerit, atque exploserit? Absit, ut tantam proterviam in sanctissimi viri moribus locum ullum habuisse existimemus; de quo quanta fuerit omnium illius sæculi bonorum, ac Christianorum opinio satis ex eô patet, quod mortuo Nectario, in sedem Constantinopolitanam, nequicquam adversante Theophilo, vocatus, ac pœne raptus est. Sed quid opus est argumentis, cum ipse (quod etiam Baronius & animadvertit, & confirmavit plurimis locis disertissimè testetur & fuisse in Ecclesiis, vbi vixit, homines publicè pœnitentes, & seipsum publicam illam pœnitentiam peccantibus interdum inflixisse? πολλοὺς οἶμαι (inquit in ipso cujusdam ad populum homiliæ limine) τὴν προτέραν καταλιπόντων ὑμᾶς, καὶ πρὸς τὰ θέατρα παρανομίας αὐτομολησάντων παρεῖναι τήμερον. καὶ ἐβουλόμην εἰδέναι τούτους σαφῶς ὥστε αὐτοὺς τῶν ἱερῶν ἐκβαλεῖν προθύρων, οὐχ ἵνα μένωσιν ἔξω διηνεκῶς, ἀλλ' ἵνα διορθωθέντες ἐπανέλθωσι πάλιν. *Equidem arbitror multos ex his, qui heri nos destituerant, & ad iniquitatis spectacula discesserant, hodie præsentes esse. Optarim autem istos, qui sint, palàm nosse, ut eos à sacris vestibulis arceam, non ut perpetuò foris maneant, sed ut correcti denuò redeant.* Mox eosdem, licet ignotos, compellans, monet, ut sponte exeant; docens, eum solum intus, sive in Ecclesia esse, qui animum eâ conversatione dignum habet, quæ in Ecclesia esse debet; *Qui verò* (inquit) *corrupte vivens hujus congregationis particeps est, etiamsi corpore hic astiterit, rejectus est*, καὶ τῶν ἀποκεκλεισμένων ἔξω καὶ μηδέπω δυναμένων τῆς ἱερᾶς μετέχειν τραπέζης μᾶλλον ἀπελήλαται, *verius submotus, quàm hi, qui foras exclusi sunt, nec dum sacræ mensæ participes esse possunt.* Tum, utrosque comparans; ἐκεῖνοι μὲν γὰρ (inquit) οἱ κατὰ τοὺς τοῦ θεοῦ νόμους ἐκβληθέντες, καὶ μένοντες ἔξω, τέως χρηστὰς ἔχουσι τὰς ἐλπίδας. κἂν γὰρ ἐθέλωσι διορθώσασθαι τὰ πλημμελήματα, δι' ἃ τῆς ἐκκλησίας ἐξεώσθησαν, δυνήσονται μετὰ καθαροῦ τοῦ συνειδότος πάλιν ἐπανελθεῖν. *Siquidem illi secundùm DIVINAS leges expulsi, forisque manentes, hactenus spei bonæ sunt. Nam si modò velint corrigere delicta sua, ob quæ ex Ecclesia ejecti sunt, possunt denuò cum pura conscientia reverti. At qui se ipsos contaminant, & admoniti ne priùs introeant, donec maculam è sceleribus contractam repurgarint, impudenter inde se gerunt; ultus animi reddunt acerbius ac majus. Neque enim tam grave est delinquere quàm post delictum impudenter se gerere, nec parcere*

Margin notes: CAP. XXXII. — ad a. D. 56. §. μ. — hom. 3 de Saul. & Dav. T. 2 p. 864. d. e. — Ibid. 865. b.

Cap. xxxii *sacerdotibus talia jubentibus. Et quid hic (inquiunt) adeò magni sceleris commissum est, ut ab istis sacris cancellis arcendi sint? Imò quod delictum hoc gravius quæris, cùm isti postquam se ipsos perfectos adulteros exhibuerunt, impudenter, veluti rabidi canes, ad sacram hanc mensam irruunt?* Tum probat, qui huiusmodi spectaculis intersunt, eos adulterij verè esse ex Christi disciplina reos; non adeò tutò posse ad sacram mensam accedere, antequam contractam ex spectaculis impuritatem pœnitentia eluerint,

Ibid. p. 866. c. *οἱ γὰρ τῆς* (inquit) *τῆς μοιχείας ἐγκλημάτων οὐκ ἀπηλλαγμένοι, πῶς δυνήσονται χωρὶς μετανοίας τῶν ἁγίων τούτων ἐπιβῆναι προθύρων, καὶ τοῦ καλοῦ τούτου μετασχεῖν συλλόγου; Qui verò non sunt ab adulterij crimine liberi, quomodo poterunt absque pœnitentia sacra hæc vestibula ingredi, hujusque præclari conventus esse participes?* Hactenus Chrysostomus; unde vides primò in ejus Ecclesia fuisse publice pœnitentes, *expulsos, forisque manentes, quibusque nefas erat intrà sacrum vestibulum consistere, nisi correctis priùs suis delictis*; secundò, *adulteros* nominatim pœnitentiam illam necessariò fecisse, neque aliter potuisse Ecclesiastici conventus esse participes; Tertiò; Chrysostomum hanc ipsam disciplinam adeo non improbasse, ut & leges, ex quibus ea exercebatur pro *Dei legibus habuerit*, & eas ipse severissimè exercuerit; qui scilicet publicæ pœnitentiæ eos subiicit, nō tantùm qui corpus adulterio reapse commisso polluerunt, sed etiam qui vel inhonestis & profanis spectaculis interfuerunt. Vnde quartò, quamquam obiter, observandum est, quàm immerito de nostro rigore conquerantur, qui non ferunt quod apud nos Ecclesiasticæ disciplinæ canonibus ii pœnitentiæ subiiciuntur, qui choreis, & saltationibus sæculi, & hujus generis spectaculis dant operam. Atqui Chrysostomi, quem omnes maxime facilem, ac lenem in peccatores putant, idem, ut patet, fuit de istis judicium. Iam & ex alio loco apparet, quàm non abjecerit publicæ illius pœnitentiæ disciplinam, in quô postquàm auditorum ignaviam vehementer, ut solet, castigavit, minatur se iis si perseveraverint in iisdem vitiis, sacra communione interdicturum, *κἂν ἐπιμένοντας*

hom. 17. in Matth extr. p. 229. c. *ἴδω* (inquit) *ἀπαγορεύσω λοιπὸν ὑμῖν τῶν ἱερῶν τούτων ἐπιβῆναι προθύρων, καὶ τῶν ἀθανάτων μετασχεῖν μυστηρίων, ὥσπερ τοῖς πορνεύουσι καὶ μοιχεύουσι, καὶ τοῖς ἐπὶ φόνοις ἐγκαλουμένοις. καὶ γὰρ βέλτιον μετὰ δύο καὶ τριῶν τῶν τοῦ Θεοῦ φυλαττόντων νόμους τὰς συνήθεις ἀναφέρειν εὐχὰς, ἢ πλῆθος ἐπισύρεσθαι παρανομούντων, καὶ τοὺς ἄλλους διαφθειρόντων. Si videro vos in eisdem manentes, etiam interdicam omninò vobis sacri istius ingressionem vestibuli, & cælestis participationem mysterij sicut fornicatoribus, & adulteris, & his, qui de homicidiis arguuntur. Melius namque est cum duobus ac tribus, divinæ legis præcepta servantibus orationes Deo offerre solitas, quàm inique agentium, cæterosque corrumpentium multitudinem congregare.* Ergo & Chrysostomus pœnitentiæ publicæ disciplinam accuratè servabat, atque tuebatur; & in ejus Ecclesia homicidis, fornicatoribus, & adulteris, & aliis *παρανόμοις*, qui labem suam cæteris Christianis affricabant, secundùm veteres Canones sacrorum usus, templique

plique ipsius vestibulum interdicebatur. Huc etiam pertinet, quod alibi memorat; solitum Diaconum, antequàm Eucharistia perageretur, publicè in Ecclesia sua jubere exire pœnitentes, quod & in Liturgia, quæ ejus nomen præfert, disertè legitur; ἀκούεις ἑστῶτος τοῦ κήρυκος (inquit) καὶ λέγοντος ὅσοι ἐν μετανοίᾳ, ἀπέλθετε πάντες. *Audis præconem stantem, & dicentem, Quicumque estis in pœnitentia, abite.* Profectò non alij exire à Diacono jubebantur, quàm quorum erat publica pœnitentia; Nam eò ipso quod ad hanc ejus vocem discedebant, palam testabantur se pœnitentes esse. Ergo & in Chrysostomi Ecclesia erant publicè pœnitentes. Nam si nulli fuissent; quorsum eos exire jussisset Diaconus? Hujusmodi etiam est, quod ille statim addit Diaconum quoque dixisse, ἀπέλθετε οἱ μὴ δυνάμενοι δεηθῆναι, *Abite, qui non potestis precari*; quibus verbis significatur tertius ordo pœnitentium; ut prioribus fortasse designabatur quartus. Atque ex his satis, superque patet Chrysostomum publicæ pœnitentiæ solennem in veteri Ecclesia disciplinam ipsum quoque probasse, ac in gregibus, quibus præfuit, exercendam curasse; frustrà adeò, ac falsò adversarios non modo Perronium, Bellarminum, ac Valentianum, sed & Petavium, eum hac in parte à cæteris Patribus divellere, ac separare, quasi ille aliud quàm hi, senserit. Magna est, ut ex his liquet, utrorumque in hoc argumento consensio. Cur ergo (inquit) in tredecim illis suprà à nobis allatis locis aliter loquitur? & velut à cæteris, & à se ipso discedens, quam hîc admittit publicam pœnitentiam, tam apertè, tamq; sæpe dispungit, ac rejicit, minimeque necessariam esse docet? Nulla inquam, est istorum; si ea dextrè, atque ex auctoris mente accipiantur, inter se pugna. Nam & nos, qui publicæ pœnitentiæ in Ecclesia usum, imò & necessitatem, ut suprà dixi, admittimus, ac docemus, sæpe tamen sic loquimur, ut cum Chrysostomo dicamus satis esse peccata apud Deum confiteri, interioremque illam apud eum unum confessionem ad obtinendam peccatorum remissionem sufficere; neque quisquam ideò nobis contradictionis, vel inconstantiæ & à nobis ipsis dissensionis dicam jure scripserit. Quid ergo est? Nimirum peccatum eò propriè, ac per se censetur, quod Dei legem, ac majestatem læsit, atque violavit; itaque per se, ac propriè à Deo quoque expungitur, ejus debitum ac reatum omnem ex misericordia clementer dimittente; qui cùm omni vere & ex animo pœnitenti peccata se remissurum sanctissimè in verbo suo promiserit, apparet ad hoc ut peccator veniam admissorum à Deo consequatur, propriè ac per se, satis esse, ut apud Deum pœnitentiam vere & ex animo agat; atque ita culpas præteritas ei confiteatur, sibique dimitti postulet, ut earum seriò pertæsus, ad meliorem frugem redeat. Nihil aliud propriè ac per se Deus à fidelibus lapsis, peccati nomine exigit, nisi ut interiori hac pœnitentia sedulò apud ipsum fungantur; idque quàm verum sit, vel ex eô patet, quòd sine ea nemo veniam à Domino consequitur, etiamsi sexcenties apud universam Ecclesiam exomologesin fecerit.

Ca. xxxii.

hom 3. in Ep. ad Ephes. T. 5. in Nov. Test. p 837. d.

Ibid.

CAP. XXXII. cerit, sexcentiesque ab Episcopo absolutus fuerit. Hoc omnino est rei ipsius ingenium, quod & Chrysostomus in illis tredecim locis, & nos quoque respicimus, dum unà cum eô dicimus satis esse apud unum Deum peccata confiteri, neque ea apud homines necessario edenda, aut confitenda. Cæterum accidit interdum, ut peccata Ecclesiam quoque lædant; cùm scilicet manifesta sunt, & cum proximorum scandalo conjuncta. Nam qui sic peccat, ille aut verbis & ipsa professione ut in apostasia, aut certè factis, ut in mœchia, homicidio, & aliis hujusmodi, Evangelium, Christumque abnegat, palamque, & clara (ut sic dicam) voce testatur se Domini disciplinam, ac doctrinam falsam, mendacemque censere; quô se ipse quodammodo à piorum cœtu, atque Ecclesia abrumpit, ac dividit. Iam cùm hujus generis sunt lapsorū peccata, nemo non videt eos Ecclesiæ satisfacere necessario debere, datumque scandalum sua apud eam pœnitentiæ significatione obliterare; non quod contractum apud Deum crimen aliter, quàm interiori confessione, pœnitentiaque expungatur, sine quâ (ut nuper diximus) cassa & inutilis est omnis exterior sive confessio, sive pœnitentia; sed quod fratrum eodem facinore quæsita, ac conciliata offensio, & alienatio tollenda est; qui quod interiorem animi tui motum, conversionem, ac in melius mutationem non aliter, quàm ex dictis, factisque tuis intelligere queant, idcircò apud eos necessariò tibi aliqua hujusmodi pœnitentiæ confessio edenda est; Vndè & denique, ut cùm quæ sunt hujus generis non aliter, quàm Pastorum opera præscriptoque, & ordine administrari queant, omninò hac in parte requiratur eorum ministerium. Quæ omnia Augustinus breviter, ac perspicuè alicubi complexus est; *In actione autem pœnitentiæ,* (inquit) *ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit, à Christi etiam corpore* (id est, ut patet, ab Ecclesia) *separetur, non tam considerandа est mensura temporis, quàm doloris.* Cor enim contritum, & humiliatum Deus non spernit. *Verum quià plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia signa procedit, cùm sit coràm illo cui dicitur,* gemitus meus à te non est absconditus; *rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in quâ remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur.* Neque hìc mihi quisquam objiciat & hunc, & cæteros Patres passim affirmare Deo quoque ipsi publica illa pœnitentia *satisfieri,* id est (sic enim illi hoc verbum intelligunt) id fieri, quod ejus clementiæ ac misericordiæ satis est ad hoc, ut nobis peccata ex mera sua gratia dimittat. Nemo inquam id mihi hoc loco objiciat. Fateor enim & ipsi Deo publicè pœnitentem hoc sensu *satisfacere,* si modo vera sit ejus pœnitentia, & exterioribus interiora congruant. Hoc tantùm volo, quod publicè apud homines peccator Deo *satisfacere,* hoc est ejus veniam ac misericordiam humili prece exambire cogitur, ideò fieri, non quod obtinendæ Dei misericordiæ satis non sit interior confessio, sed quod

Enchirid. ad Laur. c. 65. T. 3.

quod cùm Ecclesiæ quoque sit *satisfaciendum*, id nō aliter assequi possis, quàm tuam ipsi pœnitentiam significando, atque aperiendo. Ecclesiæ enim, cui eò ægrè feceras, quod te à Deo alienum peccatis ostenderas, satis eo ipso facis, quod nunc contra, lacrymis, aliisque externis testaris te verò de admissis suscepto dolore, in Dei gratiam redire velle. Atque ex his, ni fallor, nunc patet vera ratio, quâ Chrysostomus, non modo cum aliis Patribus, sed & secum facilè conciliari possit. Nimirū quoties interiorem apud Deum confessionem satis esse ait; quoties negat, necessarium esse apud hominem confiteri, peccati per se, & propriè, ac in genere remissionem spectat, ad quam obtinendam nihil aliud reverà requiritur, nisi ut fidelem peccatorum vere ac serio apud Deum pœniteat. Cùm & ipse & alij publicam pœnitentiam urgent, tum id quod nonnullis peccatis accidit, scandalum respiciunt, cui cùm non aliter, quàm publica animi nostri testificatione mederi possimus, indè contingit, ut præter illam interiorem pœnitentiam, quâ propriè crimina apud Deum remittuntur, ac (ut loquuntur veteres) *expunguntur*, exterior quoque requiratur apud homines pœnitentiæ significatio. Chrysostomus in illis locis docet quid per se ad peccati remissionē cōsequendam requiratur; in his, quid per accidens ad id interdum accedere debeat. In illis, de quibusvis in genere peccatis; in his de manifestis tantùm & cū scandalo conjunctis intelligit. In illis *fideles*, id est eos qui à Christi corpore non sunt separati; in his *pœnitentes* solos alloquitur, id est eos, qui à Christi corpore separantur. Idem de cæteris Patribus sentiendum; quorum una, eademque omnium est de hoc argumento sententia. Nam & quæ Augustinus, & Leo, aliique de *publicæ pœnitentiæ* necessitate scripserunt, ea de iis tantùm peccatis capienda sunt, quæ manifesta sunt, & *capitalia*, hoc est excommunicatione digna, & in canonibus notata; & vicissim quæ Chrysostomus, & alij de pœnitentiæ apud solum Deum *αὐτάρκεια*, ac (ut sic dicam) *sufficientia* docuerunt, ea cum hac exceptione intelligenda sunt, nisi id sit crimen, quô non modò Deus læsus sit, sed etiam scandalum hominibus objectum; quod adeò nostram apud eos satisfactionem requirat. Hæc omninò vera est Patrum de istis sententia, (quæ & nostra quoque est) quam nisi totam admiseris, frustrà & inutiliter in conciliandis eorum dictis sudabis; quæ nisi his, quæ utraque apud eos clarissima sunt, positis, conciliari inter se non queunt. Sed hæc de Chrysostomo jam satis; in quô nos improbæ adversariorum vitilitigationes diutius immorari coëgerunt, quàm aut rei ipsius, aut instituti nostri ratio ferebat? Nunc quidem, cum demonstratum sit sanctissimum virum docere ad consequendam peccatorum remissionem satis esse apud unum Deum confiteri & pœnitere; nihil necesse esse apud homines vel peccata, vel pœnitentiā significare, aut confiteri (nisi forte ut admonuimus, peccatum manifestum & cum scandalo conjunctum fuerit) omnes (ut spero) clare, liquidoque perspiciunt ignotam ei, cæterisque

Cap. XXXII

CA.XXXIII terisque adeo Patribus, tum vetustioribus, tum paribus (à quorum societate frustra in hoc argumento, ut ostendimus, segregatur) plane ignotam fuisse Innocentianæ confessionis disciplinam, quæ nullum nobis à Deo peccatum remitti vult, quod non apud hominem confessi fuerimus.

CAPUT XXXIII.

Argumentum XX. constans testimoniis Hilarij, Basilij, Ambrosij, Maximi Taurin, & Augustini; qui sola contritione sine oris confessione, peccatorum à Deo remissionem impetrari docent. Refellitur Bellarmini ad Ambrosij dicta cavillatio.

NEQUE verò hanc putes ab uno Chrysostomo expressam, scriptisque ac memoriæ traditam fuisse sententiam. Alij quoque eam satis apertè docuerunt. Hilarius, Chrysostomo haud paulò vetustior, de confessione peccatorum loquens, quæ *in huius sæculi tempore est*, *Confessionis autem causam* (inquit) *addidit* (nimirum David) *dicens*, Quià fecisti, *authorem scilicet universitatis huius Dominum esse confessus*; NULLI *alij docens confitendum, quàm qui fecit, olivam fructiferam spei misericordia in sæculum sæculi. Et quis hic sit, qui fecit ista, demonstrat, dicens*. Et expectabo nomen tuum; quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum; *Expectabit ergo Dei nomen cui confitetur.* Hæc ille; clarissimè constituens, peccata confiteri, non alij, quàm Deo necesse esse.

In Ps. 51. p. 683 f.

Basilius, qui & ipse quoque Chrysostomo aliquanto vetustior fuit, solam apud Deum confessionem ad remissionem consequendam satis esse luculente docet; cùm hæc Davidis verba, *Rugiebam à gemitu cordis mei*, enarrans; οὐ γὰρ ἵνα (inquit) τοῖς πολλοῖς φανερὸς γένωμαι, τοῖς χείλεσιν ἐξομολογοῦμαι. ἔνδον δὲ ἐν αὐτῇ τῇ καρδίᾳ τὸ ὄμμα μύων, σοὶ μόνῳ τῷ βλέποντι τὰ ἐν κρυπτῷ, τοὺς ἐν ἐμαυτῷ στεναγμοὺς ἐπιδεικνύων, ἐν ἐμαυτῷ ὠρυόμενος. οὐδὲ γὰρ μακρῶν μοι λόγων χρεία ἦν πρὸς τὴν ἐξομολόγησιν. ἀπήρκουν γὰρ οἱ στεναγμοὶ τῆς καρδίας μου πρὸς ἐξομολόγησιν, καὶ οἱ ἀπὸ βάθους ψυχῆς πρὸς σὲ τὸν θεὸν ἀναπεμπόμενοι ὀδυρμοί. *Non enim, ut multis, sive vulgò, manifestus fiam, Labiis confiteor; sed intus in ipso corde, clauso oculo, tibi* SOLI *ea quæ in occulto sunt respicienti, meos apud me ipsum gemitus ostendo, mecum ipse rugiens. Non enim multis verbis mihi opus erat ad confessionem, vel ad exomologesim.* SUFFICIEBANT *enim cordis mei gemitus ad confessionem, questusque ex animæ penetralibus ad te Deum meum transmitti.* Hactenus Basilius; qui hoc Davidis exemplo *Deo soli gemitus intus in ipso corde ostendendos*; eosque *ad exomologesim sufficere*, non minùs clare, quàm Chrysostomus, docet.

hom. in Ps. 37. t. T. 1. p. 208. c.

Idem

Idem sensit Ambrosius, Basilii σύγχρονος; *Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt, & verecundiæ. Lacrymæ sine horrore culpam loquuntur; Lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur. Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur* (id est impetrant) Tum, *Bonæ lacrymæ, quæ lavant culpam.* Hæc autem Ambrosius ex occasione lacrymarum Petri, *Petrus* (inquit) *doluit & flevit, quia erravit, ut homo. Non invenio, quid dixerit; invenio quod fleverit. Lacrymas ejus lego; satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest ablui potest.* Ex quibus clare sequitur, quod illinc diserte colligit Decreti Gratianei glossator, *etsi propter pudorem nolit quis confiteri, solas lacrymas delere peccata.* Cui Ambrosij loco alter plane geminus, & ex eo (ut videtur) expressus, Maximi Taurinensis addendus est; *Lavat* (inquit) *lacryma delictum, quod voce pudor est confiteri; Lacrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter, & saluti; nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando.* Ad locum Ambrosij duo respondet Bellarminus; quorum posterius, quia nihil ad rem facit, priori loco recitabo; *Dico* (inquit) *eum loqui de lacrymis, quæ confessionem quandam continent, ut cùm quis erroris convictus ab alio, non voce, sed lacrymis fatetur errorem. Sic enim S. Petrus, cùm sciret Christo notum fuisse crimen suum, non voce sed lacrymis confessus est; id, quod omninò sufficit in confessione, quæ fit Deo, qui omnia novit. Quod autem S. Ambrosius in lacrymis B. Petri confessionem agnoverit, perspicuum est ex illis verbis; Maluit Petrus suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando. Iustus enim in principio accusator est sui. Et ideo flevit. Item ex illis*; Verecundæ lacrymæ sine horrore culpam loquuntur. Hæc Bellarminus; quæ quorsum spectent, non video. Neque enim quisquam negat vel Petrum flendo delictum confessum esse, vel qui peccatum deflet, id lacrymis ipsis, etiamsi non voce, confiteri. Hoc unum nunc urgemus, quando ea peccati confessio, quæ solis lacrymis fit, adeoque vocalis, vel sacramentalis non est, *delictum lavat: veniæque consulit,* (quod Ambrosius & Maximus diserte affirmant) hujusmodi confessionem ad obtinendam peccati remissionem satis esse; non adeo *auricularem*, quam vocant, sive *sacramentalem* esse necessariam. Prius vero quod respondebat Bellarminus, hoc fuit; *eo tempore* (quo Christum scilicet Petrus negavit) *nondum institutam fuisse confessionem sacramentalem, ac per hoc nihil esse mirum, si Petri confessio non legatur.* Atqui inquam ego, ne postea quidem à Christo usquam instituta fuit *sacramentalis* illa, quæ dicitur confessio; quod ex iis satis patet, quæ in priori hujus operis parte ex Scripturis disputavimus. Ergo ne nunc quidem ad impetrandam à Domino peccati veniam magis fidelibus necessaria est, quam tum Petro fuit. Tum non de Petri tantum lacrymis, aut confessione loquitur Ambrosius. In genere, & quidem in præsenti tempore loquitur, *Lavant* (inquit) *lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri*, &c. quæ significant non Petrum solum *delictum suum lacrymis lavisse*; sed & quosvis fi-

Ca. xxxiii. in Luc. l. 10. c. 22. p 1787. a

ibid.

de pœn. d. 1. c. 1. Lacrymæ.

hom. 3. de pœn. Petri p. 61 b.

L. 3. de pœn. c. 10. § Respondeo.

Ca. XXXIII vis fideles, qui nunc ad Petri exemplum de admissis peccatis ex animo dolent, fletu solo vulneribus suis mederi, veniamque à Deo sine ulla apud hominem confessione impetrare. Postremo ipse Ambrosius id sibi mentis fuisse disertissime paucis interjectis, mox docet, *Flevit ergo* (inquit) *amarissime Petrus, flevit, ut lacrymis suum posset lavare delictum. Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam.* Ergo & cujusvis nostrum etiam nunc idem esse, quod Petri tunc fuit, jus aperte constituit; ut scilicet solis lacrymis, sine vocali confessione culpam ad instar Petri diluere possimus. Quæ eius mens ita clara est, ut (quod nuper diximus) ipse juris Papalis glossator hinc concludat, *etsi propter pudorem nolit quis confiteri, solas lacrymas delere peccata.* Idem significant; quæ locum paulò ante à nobis ex Maximo descriptum sequuntur; *Lacrymæ tacitæ quodammodo preces sunt. Veniam non postulant, & merentur* (id est *impetrant*, ut ipse paulò ante loquebatur) *causam non dicunt, & misericordiam consequuntur, nisi quod utiliores lacrymarum preces sunt, quam sermonum; quia sermo in precando forte fallit; lacryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium; Lacryma semper totum prodit affectum.*

Vbi supr. B.

Huc quoque pertinent illa Augustini in hæc Davidis verba, *Dixi pronuntiabo adversum me injustitias meas. Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Dixi* (inquit) *Quid dixisti? Non jam pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum, & ille jam dimittit. Attendite, Fratres. Magna res. Dixit*, Pronuntiabo. *Non dixit, Pronuntiavi, & tu dimisisti. Dixit*, Pronuntiabo & tu dimisisti; *quia eò ipso, quod dixit*, pronuntiabo; *ostendit, quià nondum pronunciaverat, sed corde pronunciaverat. Hoc ipsum dicere*, pronunciabo, *pronunciare est*; ideo & tu remisisti impietatem cordis mei; *confessio verò mea ad os nondum venerat. Dixeram enim* pronunciabo adversum me; *verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat.* Hæc ille; quibus docet Deum corde contritis atque pœnitentibus, etiam ante vocalem confessionem peccata remittere.

In Psal. 31. enarrat. 2. T. 8. p. 79. col. 2. C.

CAPUT

Caput XXXIV.

Argumentum XXI. quo Patres peccata à Deo, etiam sine sacerdotis absolutione remitti, clarissime inde sensisse probatur, quod de relapsorum salute, quibus absolutio sacerdotis negata, non tamen desperabant.

SED & Augustinum & alios Patres sensisse peccata apud Deum solum pœnitentibus absque sacerdotis absolutione & judicio remitti, ex quodam eorum dogmate apertissime, invicto atque ineluctabili argumento conficitur. Illi, ut & nos supra diximus, & adversarij confitentur, publica pœnitentia semel functis, si in aliquod eorum criminum, quæ sunt in canonibus notata, relaberentur, nullam deinceps pœnitentiam dabant, neque eos adeo ullo sacerdotis judicio post id locorum absolvebant. Non publico quidem, ut omnes consentiunt; quia publicum à sacerdote absolutionis judicium nullum fiebat, nisi post peractam publicam pœnitentiam, quæ istis negabatur. Non privato; quia nullum hujusmodi esse concedunt adversarij, nisi post privatam pœnitentiam; quam relapsis olim datam fuisse Perronius quidem temere ac frustra somniaverat, sed Petavius vere jureque negavit; & vero claris, validisque rationibus sententiam suam confirmavit. Si enim relapsis privata pœnitentia data fuit, *necesse erit una fateri*, ut optime disputat Petavius, *feliciorem multo conditionem eorum exstitisse, qui sæpius, quam eorum qui semel in vita deliquissent. Quod quibus tandem* (inquit ille) *persuaderi poterit?* Itaque vel teste & auctore Petavio, constituendum est qui post actam publice pœnitentiam iterum in simile aliquod peccatum relaberentur, eos omni penitus publica, privataque pœnitentia exclusos fuisse, adeoque sine sacerdotali absolutione mortuos. Vnde & evidentissime hoc sequitur Patres æternæ damnationi istos necessario, subjecisse, si (quod nunc tuentur adversarij) in ea sententia fuerunt, ut crederent nemini Deum peccatum ullum mortale condonare, nisi à quo eum sacerdotes post vocalem confessionem absolverint. Atqui primo id de Patribus suspicari nefas est. Quid enim? Si relapsus ille denuo suscepto de admissis vero & qualem Evangelium requirit, dolore vitam emendasset, totamque ad sanctimoniam & pietatem instituisset, (idenim fieri & posse & vero non raro solere omnes vident; neque negant adversarij) putandum-ne est Patres tam male de Dei misericordia sensisse, utne illum quidem veniam ab eo impetrare posse putaverint? Absit, ut rem tam adsurdam, tam incredibilem, tam denique cum Evangelio pugnantem in animum suum induxerint: in quo vel homines fratribus in se septuagies septies peccantibus dimittere tamen, ac condonare jubentur.

ad Epiph. p. 198.

Matth. 18. 22

Ca. xxxiv. tur. Sed quid opus est argumentis? Augustinus disertissime testatur, quæ & sua & aliorum fuerit de istis sententia; *In tantum autem* (inquit) *hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant, & tamen Deus facit etiam super tales oriri* solem suum, *nec minus tribuit, quam ante tribuebat, largissima munera vitæ ac salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur.* Tum alicui ex istis petenti, *utrum sibi aliquid ad vitam futuram profuturum sit, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempserit, si libidinum incitamenta frenaverit,* &c. *Si vixerit melius, si pauperes sustentaverit largius,* &c. Si denique reliquis & pœnitentiæ & pietatis & caritatis operibus diligentius incubuerit; *quis nostrum* (id est Episcoporum) *ita* (inquit Augustinus) *desipit, ut huic homini dicat, Nibil tibi ista proderunt; vade, saltem hujus vitæ suavitate perfruere? Avertat Deus eam immanem, sacrilegamque dementiam. Quamvis ergo cauté salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi quod ait Apostolus,* Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *Aut istis exceptis esse definitum, quod scriptum est,* Beati omnes, qui confidunt in eum? *Aut ad istos non pertinere, quod dicitur,* Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Dominum? Denique ex his continenter concludit *super peccatores tantam esse patientiam, tantam misericordiam Dei, ut in hac temporali vita moribus emendatis non damnentur in æternum.* Ergo ex his liquet & Augustinum, & cæteros Patres ne de eorum quidem salute desperasse, quibus post actam semel pœnitentiam lapsis nulla concedebatur apud sacerdotem pœnitentia, vel absolutio, idque nobiscum ex hoc ipso Augustini loco discrete conclusum scripsit Arnaldus. Itaque nemo jam non videt & Augustinum, & cæteros sensisse etiam absque sacerdotali absolutione peccata lapsis, modo ij vitam emendaverint, à Deo Optimo Maximo clementer dimitti, procul adeo abfuisse ab insana Innocentianæ disciplinæ hypothesi, quæ omnes peccati reos ab omni veniæ spe excludit, nisi confessi apud sacerdotem, & ab eo absoluti fuerint. Idem ex alia quadam lapsorum specie conficitur, qui & ipsi ex hac vita sine percepta sacerdotis ministerio pace & absolutione discedunt; qui scilicet *cum jam animo deficientes pœnitentiam acceperint, ante communionem moriuntur.* De his enim consultus à Rustico Narbonensi Leo Romanus ita respondet: *Horum* (inquit) *causa Deo reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur.* Vides, ut neque de istorum salute penitus desperet, sed rem Dei arbitrio integram reservet? Ergo neque iste absurdum, vel impossibile esse putavit,

Ep. 54. ad Macedon.

Rom. 2. 4.

Ps. 2. 13.

Ps. 30. 25.

Præfac. sur le traitté de la penitence p. 110.

Ep. 92. ad inquis. 8.

tavit, ut Deus peccata peccatori vere pœnitenti sine sacerdotis absolutione indulgeat. Sed & Leo suam de hac quæstione sententiam alibi etiam clarius aperuit, dum hoc statuit *nos misericordiæ Dei nec mensuras posse ponere, nec tempora definire, apud quem* (inquit) *nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam*, Cum conversus ingemueris tunc salvus eris. *Et iterum*, Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio. Ergo ex Leone quicumque lapsus vere convertitur, is statim veniam *sine mora* impetrat, adeoque ante sacerdotalem absolutionem. Neque nodum solvit Bellarminus dum in vera *conversione* includi, continetique respondet confessionis votum. Liquet enim hominis lapsi conversionem esse posse verissimam, etiamsi de confessione auriculari nunquam cogitaverit. Nam vera peccatoris conversio in eo sita est, ut peccata detestetur, ac deserat; non ut ea sacrificulo in aurem immurmuret. Tum etsi demus Bellarmini exceptionem valere, non in aliis peccatis valebit, quam in iis, quibus à veteribus constituta erat canonica pœnitentia, id est (ut demonstravimus) certis tantum quibusdam criminibus, quorum est in canonibus diserte facta mentio, iisque manifestis. Aliorum peccatorum quorum præter hæc & numerus ingens, & quorumdam etiam reatus gravis ac letalis est, remissionem sine ullo confessionis vel actu, vel voto à Domino haberi Leo apertissime docet. Non enim quam à peccatore confessionem non requirebat, ejus votum ad consequendam peccati veniam, necessarium putabat, vel putare poterat. CA. XXXIV. Ep. 91. ad Theod.

Caput XXXV.

Argumentum XXII: ex insigni quodam Cassiani testimonio ductum, idem quod alii supra dixerunt, docentis. Bellar. & Alardi, & aliorum ad id cavillationes refelluntur, ac diluuntur. Chrysostomi & Eligii similia loca.

His postremo accedat insigne Cassiani testimonium; qui de pœnitentiæ *fructibus* disserens, *per quos ad expiationem criminum* (ut ille loquitur) *pervenitur*, recensitis, collocatisque in hoc genere; *caritate, eleemosynis, lacrymis, confessione, afflictione cordis, & corporis, præcipueque emendatione morum*, aliorum fidelium *precibus*, *misericordiæ*, ac *fidei* (ut ait) *meritò*, efficaci Evangelii prædicatione, salubrique *admonitione*, denique *indulgentia* in eos, qui nos læserunt; *Videtis* (inquit) *quantos misericordiæ aditus patefecerit clementia Salvatoris, ut nemo salutem cupiens desperatione frangatur, cum videat se tantis ad vitam remediis invitari. Si enim pro infirmitate carnis, afflictione jejuniorum abolere te peccata non* Collat. 20. c. 8.

Cap. xxxv. *posse caussaris*, &c. *eleemosynarum ea redime largitate. Indigentibus si non habeas, quod impartias*, &c. *certè absque illum morum poteris emendatione purgari. Quod si perfectionem virtutum extinctione vitiorum omnium non potes adipisci, sollicitudinem piam erga utilitatem alienæ salutis impende. Si autem te idoneum huic ministerio non esse conquereris, operire peccata poteris caritatis affectu. In hoc quoque si te fragilem fecerit qualibet mentis ignavia, oratione saltem, atque intercessione sanctorum remedia vulneribus tuis humilitatis affectu submissus implora. Postremò quis est, qui non possit suppliciter dicere*, Peccatum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non operui? *ut per hanc confessionem etiam illud confidenter subjungere mereatur*, & tu remisisti impietatem cordis mei? *Quod si, verecundiâ retrahente revelare coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere*, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper; Tibi soli peccavi, & malum coràm te feci; *qui & absque illius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuevit. Post istud quoque tam promptum, certumque subsidium, aliud quoque adhuc facilius largita est nobis divina dignatio, ipsamque remedij opem nostro commisit arbitrio, ut indulgentiam nostrorum scelerum pro nostro præsumamus affectu, dicentes ei*, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Quisquis igitur ad indulgentiam suorum criminum desiderat pervenire, ipsis semetipsum aptare studeat instrumentis, nec obdurati cordis pervivaciâ à remedio salutari fontem tantæ pietatis avertat; quia etiamsi hæc omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini, clementiaque deleverit, qui cùm religiosi conatus obsequia supplici mente à nobis oblata perspexerit, exiguos, parvosque conatus immensa liberalitate, prosequitur, dicens*, Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum jam non recordabor. Hæc Cassianus; quæ, ut ego quidem suspicor, non tam à Pinuphio Abbate, cui totum hunc sermonem tribuit, quàm à Chrysostomo acceperat, cujus discipulus, ac diaconus fuisse perhibetur. Certè apud Chrysostomum non obscura extant illius doctrinæ vestigia; inprimis in eâ homilia, quæ *nona de pœnitentia* inscribitur, & ex quâ nos jam suprà nonnulla descripsimus. Principio istic ille, ut hic Cassianus ponit ὅτι πολλαὶ καὶ ποικίλαι ὁδοί τῆς μετανοίας, ἵνα εὔκολος ἡμῖν γένηται ἡ σωτηρία, *quod multæ, variæque sunt pœnitentiæ viæ, quibus facilis nobis salus fiat. Nam si unam nobis dedisset* (inquit) *repulissemus eam utique, dicentes, Nequimus hanc ingredi. Salvari nequimus. Nunc ipsam hanc tuam amputans objectionem, non unam tibi, neque alteram, neque tertiam, sed plures ac diversas dedit, quó multitudine tibi ad cœlum facilis ascensus fiat.* Tum nonnullas ex illis pœnitentiæ viis, verè easdèm quas Cassianus, exsequitur; Prima illi via est *ingredi in Ecclesiam, & dicere Peccavi; si dixeris, peccatum* (inquit) *solvisti.* Secunda illi via est τὸ πενθῆσαι ἐπὶ τῇ ἁμαρτίᾳ *lugere de peccato.* Tum tertiam viam profert *pectus apud*

Margin notes: Psal. 50. (beside "catione non desinas"); T. 1. (beside "conus fuisse perhibetur"); p. 624. b. c. (beside "cipio istic ille"); Ibid. d. (beside "cere Peccavi")

apud Deum cum publicano tundere, & iram Domini deprecari. Quartam inde subiicit eleemosynam; & post multa quintam addit jugem & assiduam precationem; singulasque variè exornat, atque illustrat. Ex hoc ergo, ut illuc redeam Cassiani loco clarum est & istum, & à quô hæc habuisse videtur, Chrysostomum, & cæteros adeò quinti sæculi Patres minime existimasse nullam sinè *exteriori*, sive *vocali confessione* peccatorum à Deo remissionem impetrari posse; quæ hodie adversariorum est κυρία δόξα. Primò enim si hoc illi sensissent nunquam confessionem inter multas illas inter se quidem discrepantes, sed tamen unius ejusdemque pœnitentiæ *vias* numerassent, quibus omnibus ad eandem peccatorum remissionem, salutemque pervenitur. Nemo enim usque adeo stultus est, qui præfatus multas esse varias, ac diversas vias, quibus in unum aliquem locum iri, perveniri que possit, posthæc inter illas eam quoque recenseat, quâ omnibus, qui in eum locum contendunt, ita necessariò transeundum sit, ut nisi qui per eam iter fecerit, ad destinatum locum pervenire non possit. Vt si quis dixerit Româ Brundisium iri viâ vel Appij, vel Numici; intelligit haud dubiè etiam qui viâ Appiâ iter non fecerit, Brundisium pervenire posse, si viam Numici terat ac sequatur. Ergo cùm & Cassianus scribat *multos esse pœnitentiæ fructus per quos ad expiationem criminum pervenitur*, & Chrysostomus similiter *multas esse pœnitentiæ vias*, quibus ad remissionem peccatorum itur, & uterque inter multas illas vias *confessionem*, fletum sive corporis afflictionem, &c. numeret; nemo non videt putasse utrumque etiam eum, qui confessus non fuerit, remissionem peccatorum consecuturum, si modò fleverit, vel aliud aliquod ex iis mediis, quæ percensent, secutus fuerit. Ac ut in allatò exemplo viæ Appiæ & Numiciæ duo tantùm sunt omnium qui Româ Brundisium ire volunt communia, nimirum ipsa Roma, unde utraque via ducitur, & Brundisium, quô utraque ducit; cætera diversa; ita & in allatis Cassiani & Chrysostomi viis duo quidem sunt omnium, qui à pœnitentia ad veniam tendunt communia, ipsa scilicet pœnitentia, cujus ista omnia media vel *fructus* sunt, ut habet Cassianus, vel *vias* ut Chrysostomus, & *venia*, in uno *bonitatis, clementiæque divinæ*, ut sic dicam, sinu posita: cætera, alia sunt, quorum quodvis seorsim & à pœnitentia proficiscitur, & ad peccati indulgentiam ducit. Quod verò ait Alardus *singula istorum per se, & seorsim non sufficere ad veniam peccatorum obtinendam*, sed *simul & cum aliis requisitis conjuncta, & adhibita, in quibus* (inquit) *præcipuum locum obtinet sacramenti pœnitentiæ, & absolutionis sacramentalis susceptio, aut ejus votum*; id inquam, frustrà & inutiliter dicitur; & Alardi quidem, cæterorumque ex eadem scholâ opinionem continet; Cassiani sensum non constituit, sed rectà oppugnat & evertit. Nam ut inde incipiam, quod Alardus affirmat præcipuum inter ista media locum obtinere confessionarij sui mysterij susceptionem, eô inquam Cassiano, cujus se interpretem profitetur, palàm contradicit.

Cap. xxxv. p. 619. b.

in loc. Cass. p. 773.

Is enim

Cap. xxxv. Is enim inter ista quæ recenset media disertè affirmat, & quidem meritò, præcipuam esse emendationem morum, *præcipueque* (inquit) *per emendationem morum.* Secundò quod ait ista media *singula per se, & seorsim non sufficere, sed tantùm cum aliis requisitis conjuncta, & adhibita*; id inquam, ambiguè dicitur. Quæro enim quæ, qualiaque sive illa alia *requisita*, quibuscum istorum singula conjungi necesse sit ad obtinendam peccatorum remissionem? Si *requisita* intelligit alterius cujusdam generis, quàm quæ ipsa sint singula: verbi gratia si vult ut quis ad peccatorum indulgentiam perveniat requiri, ut præter confessionis, aut eleemosynæ actus, vero peccati admissi sensu afficiatur, & in Deum credat, & salutem ab eô speret, tum ut Deus *bonitate clementiaque* suâ eum ad se venientem benignè in Christo complectatur, confitebor ista sanè requiri: Cassianum ea ab ullo ex iis, quæ proponit, mediis excludere. negabo. Is enim evidenter ista in singulis includit, dum & omnia quæ affert media, *pœnitentiæ* fructus esse ait, quæ sine peccati admissi sensu, sine fide, sine spe nulla est, vel esse potest, & sermonem concludens disertè negat ista ad *scelerum nostrorum expiationem idonea fore*, non modò singula, sed etiam omnia, ac universa, nisi ea bonitas Domini, clementiaque deleverit. Sin Alardus intelligit *singula istorum mediorum* non aliter fore efficacia, quam si cum aliis ejusdem ordinis & census conjuncta fuerint, ut verbi gratiâ qui ex vera pœnitentia confitetur apud sacerdotem, etiamsi accuratissimè eô officio functus sit, nihil tamen eum veniæ impetraturum, nisi & cætera quoque à Cassiano commemorata vel omnia, vel plæraque, vel saltem aliqua præstiterit, id est nisi & eleemosynas dederit, & jejuniis corpus afflixerit, vel aliquem sive correptione, sive prece sua servaverit; si hoc inquam vult Alardus, (quod nisi vult nihil promovet) manifestè Cassianum non, (quod profitetur) explicat, sed oppugnat: ac pessum dat. Is enim clarissimè intelligit ista quæ recenset, non alia cum aliis conjuncta, sed singula per se ac seorsim peccatorum veniam interdum à Deo impetrare. Primò ipsum totius orationis exordium id necessariò postulat; *Post illam* (inquit) *generalem baptismi gratiam, & illud pretiosissimum martyrij donum, quod sanguinis ablutione conquiritur, multi sunt pœnitentiæ fructus per quos ad expiationem criminum pervenitur.* Dic mihi quæso Alarde, putas-ne ista quæ principio commemorat, & quibus mox alia accenset, baptismum inquam, & martyrium, conjunctim tantum ad peccatorum obtinendam remissionem valere, ita ut nemini peccata condonentur, vel baptizato; nisi martyrium quoque fecerit, vel martyri, nisi baptizatus quoque fuerit? Non puto te adeò desipere, ut hoc dicas. Omnes enim sciunt, duo hæc media singula seorsim, hoc est alterum sine altero ad veniam obtinendam satis esse. Ergo Cassianus & cæterorum, quæ istis duobus accenset, eandem esse rationem putavit, nempe ut alia sine aliis veniam impetrare possint; nisi tu auctorem hunc tuum insanisse vel delirasse dixeris, qui res planè dissimiles,

atque heterogeneas ad unum, eundemque censum stultè revocaverit. Cap. xxxv
Sed nihil argumentis opus est. Cassianus ipse ineptissimam hanc sui interpretis glossam ita diserte amolitur, ut mirum sit huic commentatori tam parùm fuisse vel frontis, vel mentis, ut hæc vel non viderit, vel si vidit, in tam claram lucem suum istud *commentum* verius, quàm *commentarium* extrudere ausus sit. Mitto quod nuper observavi, alioqui ridiculum fore Cassiani sermonem, si cùm ait *multos esse pœnitentiæ fructus per quos ad expiationem criminum pervenitur*, intelligit per unum ex iis eò perveniri aliter non posse, nisi per cæteros quoque iveris; ac si quis Româ Brundisium iri duplici viâ vel Appî, vel Numicî dicens, intelligat tamen, qui viâ Appiâ tendit, Brundisium pervenire non posse, nisi & Numici viâ iter faciat; quod quàm stultum sit omnes vident; Hæc inquam, mitto; Cassianum ipsum loquentem audiamus. Explicatis enim multis illis pœnitentiæ viis, ac semitis, prædicataque Dei misericordia, qui tam-multos nobis aditus ad suam clementiam patefecerit, *tantisque* (id est tam multis ex illius sæculi usu) remediis ad vitam nos invitet, *Si* (inquit) *pro infirmitate carnis afflictione jejuniorum abolere te peccata non posse causaris*, &c. *eleemosynarum ea redime largitate*. Vides, ut *carnis* per jejunia *afflictionem*, quæ una erat ex pœnitentiæ viis, non ita ad peccatorum remissionem obtinendam, necessariam esse statuat, ut sinè eâ pœnitens, adsit modò eleemosynarum copia, eò aspirare non queat? Quid ipsam eleemosynam? Etiam sinè hac veniam iis pollicetur, qui mores egregiè emendaverint. *Indigenti si non habes, quod impartiaris*, &c. (inquit) *certe absque illis morum poteris emendatione purgari*. Quid? etiamne absque hac peccatorum cuiquam remissionem pollicetur, &c. Certè. *Quod si* (inquit) *perfectionem virtutum extinctione vitiorum omnium non potes adipisci, sollicitudinem piam erga alienæ salutis utilitatem impende*. Sed neque hanc viam absolutè putat necessariam. Aliâ enim eodem perveniri posse, hac missa, statim concedit. *Si autem* (inquit) *te idoneum huic ministerio non esse conquereris, operire peccata poteris caritatis affectu*. Sed & præter hanc viam, aliam esse in promptu subjicit; *In hoc quoque* (inquit) *si te fragilem fecerit qualibet mentis ignavia, oratione saltem, atque intercessione Sanctorum remedia vulneribus tuis humilitatis affectu submissus implora*. Sed & absque hoc idem etiam aliter consequi nos posse docet, sincera ac supplici peccatorum confessione. *Postremò quis est, qui non possit*, inquit, *suppliciter dicere*, Peccatum meum cognitum tibi feci? Vides, nullam esse ex istis pœnitentiæ viis, quas nobis ad remissionem peccatorum consequendam proponit, ad hunc finem obtinendum ita necessariam, ut non eâ missa, per alias quoque eodem perveniri possit? Cùm ergo *confessio* una quoque ex istis sit, apparet Cassianum sensisse etiam absque hac, modò cæteras vel omnes, vel unam ex iis aliquam sequamur, posse nos peccatorum indulgentiam à Domino impetrare. Iam tametsi meum non sit omnia Cassiani dicta præstare, satisque sit ostendisse hanc esse

Cap. xxxv. viri mentem, nequis tamen vel Alardo cavillandi, vel lectori dubitandi locus relinquatur, aliqua sunt à nobis breviter ad istum locum planè liquidoque intelligendum observanda. Primò ergo cùm Cassianus *caritatem, fidem, & misericordiam* inter eos pœnitentiæ fructus numerat, quibus ad remissionem peccatorum pervenitur, istis nominibus non ipsi istarum virtutum habitus, sine quibus nemini delictorum veniam à Deo dari certum est, sed certi earum actus intelliguntur, qui non sunt ita ad obtinendam peccatorum remissionem necessarij, ut absque iis non possit ea impetrari; quoties exempli caussâ eorum exercendorum vel occasio, vel facultas deest. Quod ipsum agnovit Alardus, qui pœnitentiæ Vbi supr. fructus à Cassiano memoratos accipit de *operibus externis, ex quibus vera animi pœnitudo cognosci potest, ut sunt*, inquit, *lacrymæ, jejunia, peccatorum confessio, bona opera præteritis peccatis contraria.* Ista autem, ut quivis videt, non ipsos virtutum habitus, sed manantes ab iis externos actus significant. Ergo *fidei* similiter, *& caritatis & misericordiæ* nominibus, non ipsas illas virtutes significat Cassianus, sed earum, ut diximus, actus & opera quædam certa. Quod & ipse satis ostendit, dum non *caritatem, fidem, & misericordiam* simpliciter nominat, sed *caritatis affectum*, qui actus est, *& fidei, misericordiæque meritum.* id est bonum aliquod opus ab iis imperatum, & ex iis editum. Secundò, illud etiam notandum est per *emendationem morum* non simpliciter à Cassiano significari quamlibet in meliùs mutationem, & peccati admissi detestationem ac fugam (sine quibus nulla omnino est vera pœnitentia) sed insignem aliquam, absolutamque emendationem, sine quâ clarum est etiam veram pœnitentiam posse consistere; quod ipse clarissimè docet, dum *illam morum emendationem*, quâ *purgari* pœnitentis peccata dixit, sic describit in sequentibus, *Quod si perfectionem virtutum extinctione vitiorum omnium non potes adipisci, sollicitudinem piam erga utilitatem alienæ salutis, impende*: quibus significat etiam eum, in quô non est illa, de quâ dixit *morum emendatio*, posse tamen veniam peccatorum consequi, si modò *suis monitis, ac prædicatione* aliquos ad fidem *converterit*, atque ita *salvarit.* Ergo illa, quam intelligit *morum emendatio* est non quævis à malo in melius immutatio (sine quâ nemo peccati veniam consequitur) sed quod ipse ait, quædam eximia *virtutum perfectio, omnium vitiorum extinctione* comparata. Denique cùm ait, *in hoc* (*caritatis* scilicet *affectu*) *si te fragilem fecerit qualibet mentis ignavia*, &c. intelligit non omnimodam caritatis privationem, (sine cujus aliquô gradu nemo salutem, nemo adeò peccatorum remissionem adipiscitur) sed præstantis, & singularis cujusdam caritatis absentiam; quô ejus gradu qui carent infirmiores Christiani, venia tamen & salute non carent. His observatis, sine quibus tota hæc Cassiani oratio vera sensus inanis est, facile est videre ita inter se cōparata esse omnia hæc quæ ab eo recensentur pœnitentiæ opera & cōsequendæ remissionis media, ut nullum sit eorum absque quo, qui vel cætera

omnia, vel certè aliquod ex iis, habuerit, non possit delictorum veniam à clementissimo Domino impetrare. Itaque cùm *confessio* unum sit ex iis mediis, necessariò, quod diximus, concludendum est, posse pœnitentem (ex Cassiani quidem sententia) etiam absque confessione, peccatorum remissionem à Deo impetrare; non adeò necessariam esse confessionem, quod nunc volunt adversarij. Obiter quoque moneo (id enim aliò pertinet) *orationem atque intercessionem sanctorum* Cassiano dici fidelium hic nobiscum in ejusdem militantis Ecclesiæ communione viventium fusas pro salute nostra preces; quales olim fieri solebant pro pœnitentibus, ut ex iis, quæ supra diximus, patet. Itaque his verbis, *oratione saltem atque intercessione sanctorum remedia vulneribus tuis humilitatis affectu submissus implora*, omninò videtur publicam veterum pœnitentiam describere, in quâ (ut ex Tertulliano, & aliis notum est) peccatores mos erat *presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, & omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Quare & ista quæ sunt itidem pœnitentium, continuò subtexit Cassianus, *Postremò quis est qui non possit suppliciter dicere*, Peccatum meum cognitum tibi feci? Sed & in Chrysostostomo eadem hæc valent; qui eò ipso, quod confessionem unam censet ex multis illis pœnitentiæ viis, quas designat, clarissimè testatur etiam sinè eâ validam, votique compotem esse posse pœnitentiam. Quin & his quædam ille habet etiam disertiora. *Fletum* enim (ut diximus) inter cæteras pœnitentiæ vias numerat, qualem verò intelligat fletum allato Petri exemplo docet. Iam Petri fletum cùm absque confessione vocali fuisse omnes sciant, necessariò conficitur nobis quoque verô pœnitentiæ fletu, etiam qui sinè confessione vocali fuerit, remissionem peccatorum comparari posse. Chrysostomus disertissimè id docet; εἰ δὲ Πέτρου κλαυθμὸς (inquit) τηλικαύτην ἐξήλειψεν ἁμαρτίαν, σὺ ἐὰν κλαύσῃς πῶς οὐκ ἂν ἀπαλείψεις τὴν ἁμαρτίαν, οὐ γὰρ μικρὸν ἦν ἔγκλημα τὸ ἀρνήσασθαι τὸν ἴδιον δεσπότην, ἀλλὰ μέγα καὶ ἰσχυρόν. ἀλλ' ὅμως τὰ δάκρυα ἐξήλειψεν ἁμάρτημα. κλαῦσον οὖν καὶ σὺ ἐπὶ τῇ ἁμαρτίᾳ. ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ μὴν σχήματος ἀλλὰ κλαῦσον πικρῶς, ὡς ὁ Πέτρος, ἐξ αὐτοῦ τοῦ βάθους πρόσαγαγε τὰς πηγὰς τῶν δακρύων, ἵνα οὕτως σπλαγχνισθεὶς ὁ δεσπότης συγχωρήσῃ σοι τὸ πλημμέλημα. *Quod si Petri fletus tantùm delevit peccatum, qui fieri poterit, ut si fleveris, peccatum non deleas? Non enim parvus fuit reatus proprium Dominum negasse; sed magnus, & fortis; Eum tamen lacrymæ delevere. Defle igitur & ipse super peccatum; neque quoquomodo defle, aut apparenter, sed defle amarè, quemadmodum & Petrus. Ex ipso profundo deduc fontes lacrymarum, ut sic misericordia commotus Dominus peccatum tibi dimittat.* Non potuit clarius peccatum vere flenti, tametsi apud nullum hominem id voce confitenti, Dei misericordiam, delictique remissionem polliceri. Sed ad Cassiani locum redeo, in quo & aliud superest, sane disertissimum, contra vocalis apud hominem confessionis necessitatem testimonium; cum post ea, quæ explicavimus, & quibus confessionem apud homines, velut

Cap. xxxv.

Tertull. de pœn. c. 9.

Vbi supr. p. 610. 611. A.

CAP. XXXV. utilem & ad obtinendam remiſſionem efficacem pœnitentiæ fructum propoſuerat, hæc ille cōtinenter ſubjicit; *Quod ſi verecundia retrahente revelare coram hominibus erubeſcis, illi quē latere non poſſunt, confiteri ea jugi ſupplicatione non deſinas, ac dicere*, Iniquitatem meam cognoſco, & peccatū meum contra me eſt ſemper; Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci; *qui & abſque illius verecundiæ publicatione curare, & ſinè improperio peccata donare conſuevit.* Vides, ut etiam eos, qui hominibus peccata revelare verecundantur, arcana apud unum Deum confeſſione curari, peccatique condonationem accipere ſine ullo verecundiæ detrimento poſſe ſtatuat. Bellarminus, qui ad ſuperius argumentum nihil dixit, huic reſpondet, Caſſiani diſcipuli eandem eſſe rationem, quæ Chryſoſtomi doctoris fuit; *Quod enim ille dicit in numero multitudinis*, ſi revelare coram hominibus erubeſcis, id (inquit) *ad confeſſionem publicam pertinet quæ coram multis fieri ſolebat.* Sed hæc nihil valent. In primis enim Chryſoſtomi eam ſuprà oſtendimus mentem eſſe, quæ etiam ſecretæ apud hominem confeſſionis neceſſitatem tollit, & quæ contra ſunt à Bellarmino allata, ea fusè omnia confutavimus; ut, ſi eadem Caſſiani ſit ratio quæ fuit Chryſoſtomi, (quod nos libenter confitemur) clarum ſit hic quoque ab illo exterioris apud homines confeſſionis neceſſitatem expungi. Secundò; quod Caſſiani verba ad *confeſſionem publicam* torquet Bellarminus id admitti non poteſt; Primò quidem, quia publica illa, quam iſte nobis perpetuò obtrudit, peccatorum ſingulorum confeſſio, etiam fatentibus Petavio Ieſuita, Arnaldoque Sorbonico Doctore, nulla apud veteres fuit, ut ſuprà ſuo loco fuſius demonſtravimus. Itaque cum nulla alia vel animo fingi apud homines poſſit peccatorum cōfeſſio niſi vel publica, vel privata; publicam autem nullam Caſſiani temporibus fuiſſe conſtet; profectò neceſſe eſt, ut quam ille excludit apud homines confeſſionem, ea privata, non publica intelligatur. Sed & cum ipſis Caſſiani verbis, non minùs, quàm cum re ipſa pugnat Bellarmini gloſſa. Si enim ille, quod hic vult, privatam excluſa publica, ponere voluiſſet, *hominibus*, apud quos nobis concedit, ne confiteamur, oppoſuiſſet, non *Deum*, quod fecit, ſed *hominem*, quod non fecit; omninoque ita locutus fuiſſet, *Quod ſi coram hominibus peccata revelare erubeſcis, homini certè uni ſolo Deo conſilio confiteri ea ne deſinas.* Nemo non videt Caſſianum, ſi id ſignificare voluit quod ait Bellarminus, ſic omnino loqui debuiſſe. Atqui planè aliter res habet. Hominibus enim iſtis, quos excludit, Deum quem nihil latet, opponit, *Si relevare coram hominibus erubeſcis, illi, quem latere non poſſunt, confiteri non deſinas.* Is autem (ut conſtat) non ullus homo, ſed ſolus Deus eſt. Ergo peccatorum confeſſio, quam hîc excluſa eâ, quæ apud homines fit, unam ad peccatorum remiſſionem ſatis eſſe docet, ea inquam eſt, quæ fit apud Deum, non autem, quæ apud unum ſacerdotem. Quod ipſum ſecundò ſatis oſtendit ea hujus confeſſionis deſcriptio, quam hîc habet Caſſianus, *confiteri* (inquit)

Pſal. 50.

L. 3. de pœn. c. 10. §. Sed non poteſt.

(inquit) *peccata jugi supplicatione non desinas*; quæ sanè confessioni apud Deum interiori, (quæ & sæpe imo jugiter repeti potest; ac debet, & cum supplicatione fit) liquido conveniunt; à vocali apud sacerdotem confessione aliena sunt, quæ neque repeti consuevit, neque *jugi supplicatione* fit. Quod vero ait Bellarminus verba illa Cassiani, *illi, quem latere non possunt*, id est *Deo, confitendum esse, commodè accipi posse de confessione, quæ fit Deo per sacerdotem*, id inquam fateor Bellarmini commodo factum iri, siquidem fieri possit; fieri autem posse, nego. Nam quicumque, & qualiscumque de cætero sit sacerdos, homo certè est; neque adeô negari potest *hominibus revelari* quicquid isti & aliis similibus revelatur. Tum eum, apud quem confiteri nos vult Cassianus, *peccata nostra latere non possunt*. Sacerdotem, ut notum est, non modo latere possunt, sed etiam reverà latent. Ergo de sacerdote hæc nulla ratione accipi queunt. Sed Bellarminus *confessionem* apud sacerdotem suam minimè hîc à Cassiano pulsari, inde argumentatur, quod confessio hic ab illo notata hujusmodi fuerit, *ex quâ publicatio & improperium sequebantur*, ut ex istis verbis apparet, *Qui & absque verecundiæ publicatione, & absque improperio peccata donare consuevit*; *Duo autem illa* (inquit, scilicet publicatio, & improperium:) *longe absunt à confessione secreta, quæ fit uni soli, ut locum Dei tenet*. - Respondeo Cassianum his verbis confitentium timori occurrere, ac consulere; Illi autem metuebant *publicationem peccati sui, & improperium*; quæ duo ostendit in eâ, quam commendat, apud Deum confessione minimè metuenda esse; quod is scilicet *& absque illius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuevit*. Iam ex eô quod metuebant pœnitentes, sequitur quidem qui peccata apud homines confitebantur, gemino illi periculo fuisse obnoxios; fieri adeò potuisse, ut homo, quod ei confessi erant, delictum & publicaret & exprobraret; Factum semper fuisse, neq; unquàm aliter tum contigisse non sequitur; nisi inter omnes illorũ temporũ homines nullum fuisse sacerdotẽ putemus ἐχέμυθον, & arcanorũ suæ fidei commistorum tenacem. Cùm ergo fieri possit, ut non modo quæ pluribus, sed etiã quæ uni homini revelavimus peccata, ea & publicẽtur, & nobis exprobrẽtur; apparet Cassianum confessionem hîc excludere, non modo eam quæ fit pluribus hominibus, sed eam etiam, quæ fit uni; cum eam omnem excludat, à qua aliquis est *publicationis & improperii* metus; (neque enim mala, quæ reverâ contingent, sola metuimus; sed ea etiam, quæ tametsi nunquam fortasse accident, accidere tamen possunt.) Apparet denique eundem confessionẽ apud solum Deum, nullo homine, sive laïco sive clerico, conscio, factam, cõmendare; à quâ scilicet sola ille pœnitentium metus abest; cùm non modò non fiat, sed ne fieri quidem possit, ut Deus, qui optimus idem est, atque sapientissimus pœnitentium sibi confitentium peccata vel publicet, vel exprobret. Atque ita liquet hæc à Bellarmino allata Cassiani verba id quod ipse cupit, non modò non

Cap. xxxv. conficere, aut confirmare, sed planè evertere ac confutare, nostramque sententiam aperte constituere. Quod ut magis elucescat, observandum est, quod iste ait *publicationem & improperium longè abesse à confessione secreta, quæ fit uni soli, locum Dei tenenti*, id inquam non esse usquequaque verum. Primò enim quàm intuta sit etiam unius hominis in hoc genere fides, vel istorum praxis ostendit; qui sacerdotes suos coacti sunt ab evulgandis confessionarii tribunalis arcanis, ingentibus pœnis deterrere, eorumque animos horribili quadam religione occupare, ac vincire; veluti nullum ab iis crimen, nullum scelus isto atrocius, aut dirius committi possit. Itaque constituerunt nullam vel utilitatem, vel perniciem esse tantam, ut vel illius spe, vel hujus metu arcani confessionarij sigillum resolvi liceat; non si vel ipsius Christi in terris versantis vita, vel totius orbis salus, atque incolumitas agatur. Ergo nunc quidem apud eos, omnium animis, ac linguis dira illa religione, veluti adamantino aliquo vinculo, nexis, atque astrictis, adhæc immanium suppliciorum metu expavefactis, quæ de sacerdotibus in hoc genere peccantibus certo, atque inexorabiliter sumuntur, credo equidem publicationem suorum criminum non admodum metuere, qui ea istorum sacerdotibus confitentur. Olim verò, Cassiani sæculo, nondum constitutis diris illis horrendæ hujus disciplinæ legibus, longè aliter res habebat, neque absurdè, vel falso sibi de publicatione metuebant, qui sua, etiam uni, confitebantur; quod scilicet nullis aliis, quàm communibus caritatis, fidei, ac honestatis rationibus ad servandum arcanum quemquam tum astringi viderent; quæ vincula non usque adeò firma, ac valida sunt, ut iis vel omnes, vel etiam plærosque ab evulgandis arcanis deterreri posse tuto sperare debeamus. Suprà audivimus nobis mulieris flagitium Constantinopoli tametsi uni pœnitentiario revelatum, paulò post publicatum fuisse; non (quod à multis frustra creditum solidè confutavit Petavius) publica mulieris ipsius apud plebem confessione; sed (ut apparet) pœnitentiarij voce, qui rem, quod Diaconus quidam illius flagitij particeps ac reus unà cum muliere esset, ad episcopum deferendam putavit; ne tantum Diaconi crimen inultum maneret. Vndè liquet nondum tunc temporis obtinuisse hodiernam de qua nuper dixi confessionem arcani religionem. Quin & ipse hic Cassianus in alio hujus operis loco refert simile exemplum; *Novimus quemdam* (inquit) *in Syriæ partibus, ut credebatur, præcipuum seniorum, cuidam fratri cogitationes suas simplici confessione prodenti, postmodum quadam indignatione commotum easdem graviter exprobrasse.* Mitto, quod ab ipsa adversariorum confessione, etsi publicationis metus fortasse absit, non abest tamen *impropery* verecundia; Certè Vasques scribit in sacramentali sua confessione *fieri solere ut sacerdos peccata exprobret, confitentem increpando.* Satis est, quod Cassiani temporibus etiam, qui uni soli confitebantur, ut ille monachus seniori, à *publicatione* tamen & *improperio* sibi metuerent, certè

Collat. 2. cap. 13.

In 3. Thom. T. 4. q. 90. art. 1. dub. 5 num. 16.

metuere

metuere non absque ratione possent. Hinc enim clarissimè conficitur confessionem, non solum eam quæ apud plures, sed etiam quæ apud unum hominem fit, excludere Cassianum; qui, ut ex ipsius verbis manifestum est, eam omnem excludit, à quâ vel verecundiæ publicatio, vel aliquod improperium metui tum poterat, ac solebat. Atque hæc de Cassiano satis. Neque enim aliter, quàm Bellarminus, ad hunc ejus locum cæteri ferè adversarij respondent Cuychius *a*, Ciaconus *b*, & alij. Vasquem *c*, & Gregorium Valentianum *d* excipio, qui ad interiorem cum Deo confessionem Cassiani verba verè nobiscum quidem referunt; sed inde quicquam contra suam apud sacerdotem confessionem colligi posse, sanè impudenter, negant. Nam cum, ut ex iis, quæ disputavimus, clarissimè constat, Cassianus hac interiori apud unum Deum, quam hoc loco istis assentientibus commendat, confessione *peccatorum remissionem* à Deo obtineri posse statuat; quis non videt eum non agnovisse exterioris, sive vocalis cum sacerdote confessionis necessitatem, absque quâ scilicet etiam nobis peccata à Deo donari posse docet? Non omiserim bonum Alardum, qui aliorum sententias fere sequitur, nullius ipse judicij est, cum hic duas suorum opiniones diversas, ac discrepantes invenisset, utramque posuisse; ac initio quidem annotationis, quam in hunc Cassiani locum edidit, Bellarmini, Cuychij, & Ciaconi cavillationem sequi, in fine Vasquis, & Gregorij effugium adhibere, neque, quod mireris, ullum inter duas illas sententias discrimen notasse. Sed ambas, velut unam, eandemque, lectoribus propinasse. Nos cum utramque seorsum confutaverimus, non est, quod Alardi ut ego appello, simplicitatem res adeo diversas pro una accipientis, pluribus castigemus.

a Annot. ad Cass. 14. b observat ad Cass. p 949 c sub supr. num. 19. d T 4 in Thom disp 7. q 9. puncto. 1. in Joc. p. 775.

Huic Cassiani loco alium ejus plane geminum, & ex ipso (ut videtur) sumptum, sed scriptoris posterioris, Eligij scilicet Noviomensis Episcopi, subtexere libet; *Denique multiplex* (inquit) *misericordia ejus* (Dei) *ad expiationem criminum multiplices fructus nobis pœnitentiæ contulit. Non enim tantum simplici illo pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur, de quo Apostolus Petrus*, Pœnitemini igitur, ut deleantur peccata vestra; *& Ioannes Baptista*, Pœnitentiam agite. Appropinquavit enim regnum cœlorum: *Sed etiam fit absolutio peccatorum per caritatis affectum; per eleemosynarum fructum, per profusionem lacrymarum, per confessionem criminum; per cordis & corporis afflictionem, præcipueque per morum emendationem: interdum etiam per sanctorum intercessionem, per indulgentiam quoque, ad remissionem nostram, quâ peccantibus in nos dimittimus; quibus omnibus modis aboleri posse peccata, divina testis est Scriptura. Cum ergo indulgentiæ aditus nobis salutares Dei nostri ineffabilis potentia patefecerit, quis miser misericordiam, & salutem desiderans desperatione aliquâ frangatur, cum ad veniam etiam multiplicibus remediis invitetur?* Hæc Eligius. Eadem sequitur Theodulfus Aurelianensis in Capitulari quod Sirmondus ad a. D. 797. re-

hom. 4 de eo quod Christus lavit pedes discip. T. 2. bibl. p p. 92. d.

CA. XXXVI.
c. 16. T. 2. Conc. Gall. p. 291.
Psal. 31. al. 32. 2. & 1.
Dan. 4.24.
Luc. 6 17.
Iac. 5.19.
1 Petr. 4.8.
Psal. 31. 4.

797. retulit; *Septem* (inquit) *modis peccata dimitti Scripturæ sanctæ demonstrant. Primò in baptismate, qui propter remissionem peccatorum datus est, secundò per martyrium, juxta illud, quod ait Psalmista*, Beatus cui non imputaverit Dominus peccatũ; *quia juxta ejusdem David sententiã*, Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. *Remittuntur peccata per baptismũ, teguntur per pœnitentiã, nõ imputantur per martyriũ. Tertiò per eleemosynã juxta Danielẽ*, &c. *Quartò si remittat quis peccanti in se peccata sua, juxta illud*, Dimittite & dimittetur vobis, &c. *Quintò si per prædicationẽ quis & per bonorum exercitium alios ab errore suo convertat, juxta illud, quod ait Apostolus* Iacobus, &c. *Sextò per caritatẽ, juxta illud*, Caritas Dei cooperit multitudinẽ peccatorum per Iesum Christum Dominum nostrum. *Septimò per pœnitentiam, juxta illud quod ait David*, Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Atque hæc illi hactenus; in quibus, quod eadem quæ in Cassiani dictis observavimus, & defendimus, occurrant diutius immorari nihil necesse est.

CAPUT XXXVI.

Argumentum XXIII. ex Iuliani Pomerij disertissimo testimonio ductum; quod explicatur, & ab inanibus Estij cavillationibus vindicatur.

Not. ad can. 19. Conc. Aquisgr. T. 2. Conc. Gall. p. 681.
de vit cont. l. 1. c. 7.

NUNC ergo ad Prosperum, sive potius Iulianum Pomerium veniamus; Nam Iuliani hujus esse tres illos de vita contemplativa libros, qui vulgo sub Prosperi nomine circumferuntur & laudantur, ita clare solideque demonstravit Iesuitarum eruditissimus Sirmondus, ut nullam dubitandi causam reliquerit. Sic ergo Iulianus, postquàm de iis dixit, quorum crimina, vel ex ipsorum confessione, vel aliunde nobis innotuerint; *Porrò illi* (inquit) *quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, cùm si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum Deo retribuente supplicium? Quod si ipsi sibi judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores hîc in se voluntariã pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutaverunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia.* Hæc ibi Prosper, sive potius Iulianus, jam supra à nobis libata; planè cum Cassiano constituens, peccatorum remissionem à Domino non modo *confessione*, sed etiam *emendatione* sine confessione factâ, obtineri. Neque enim ultionem Dei aliis occultorum criminum reis denuntiat, nisi qui ea vel non confessi fuerint, vel non emendaverint. Si qui ergo ex iis peccata, tametsi minimè confessi, *emendaverint*,

(quod

(quod fieri posse nemo negat) hujusmodi pœnitentes Iulianus divinæ ultionis metu liberat, adeoque peccatorum remissione donat, sine quâ ultio certa, ac inevitabilis est. Quod si ille, ut nunc adversarij, sensisset nullum hujusmodi delictorum sine confessione vocali, cuiquam remitti; simpliciter dixisset istos, *si ea confiteri noluerint, Deum ultorem habituros.* Nunc cum interjecta copula disjunctivâ duo ista posuerit, *si ea confiteri, aut emendare noluerint,* nemo non videt eum duas pœnitentiæ, & salutis vias istis proponere; quarum illa prior est, ut peccata ministris confessi eorum opera remissionem, & medicinam quærant; hæc posterior, ut ipsi sibi propriæ mentis judicio, nullius alterius adhibita manu, consulant, vitamque ac mores emendent. Quod & verba sequentia docent, in quibus nullam facit sacerdotis, aut cujusquam alterius mentionem; hoc unum ab istis requirit, *ut ipsi sibi judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant.* Atqui neque *sibi ipse judex est,* qui apud sacerdotis tribunal reus consistit, cujusque caussa ab illius examine, ac sententia omnis pendet; neque *voluntaria pœna* dicenda est, quam nos non propria voluntate sumptam, sed nobis alterius judicio constitutam necessariò subimus. Ex quibus liquet, quàm absurda, quamque insulsa sit Estij cavillatio hæc Iuliani *ad publicam pœnitentiam* nulla ratione, ex sola sua libidine restringentis. Quamquam ipsa Iuliani verba frigidam glossam satis confutant; cum ait istorum de quibus loquitur, *peccata humanam notitiam latere, neque ab ipsis confessa esse;* quorum neutrum de iis dici potest, quæ quis sacerdoti, licet soli, revelavit. Sed fortasse ista Estius, non tam de suprà scriptis Iuliani verbis, quàm de iis, intellexit, quæ paulò post sequuntur, & nunc quoque describenda sunt; *Quapropter* (inquit) *Deum sibi facilius placabunt illi, qui non humano convicti judicio, sed ultro crimen cognoscunt, quia aut propriis illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis, quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, & ab altari, cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam tanquàm mortuam plangunt, certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non solum amissa recipiant, sed etiam cives supernæ civitatis effecti ad gaudia sempiterna perveniant.* Hic ut in superioribus, Iulianus duas pœnitentiæ, ambas efficaces, rationes, sive vias monstrat; alteram, quâ reus suum ipse propria confessione delictum prodit; alteram, quâ *occultus, nescientibus alijs qualis* sit, *ipse in se* animadvertit; & hujus quidem pœnitentiam *efficacem* vocat; illiusque *fructibus Deum* pœnitenti *reconciliari* affirmat, tantamque ejus esse vim prædicat, ut qui ea fungitur, & *amissa recepturus,* & ad salutem æternam perventurus sit. Ergo neque iste *vocalis confessionis* necessitatem scivit; sine qua videlicet & pœnitentiam valere, & gratiam recuperari, & cœlum obtineri posse statuit. Respondet Estius *Prosperi* (Iulianum intelligit) *verba de crimine proprijs confessionibus prodendo ad publicam pœnitentiam pertinere, ad quam urgere*

Ca. xxxvi.

in 4. sent. d. 17. § 7. Ad nonum.

CA. XXXVI. (inquit) *non vult eos, quorum occulta sunt peccata; quoniam & sine illa per privatam & secretam pœnitentiam reconciliari possunt. Vnde & plurali numero dicit*, nescientibus aliis, quales occulti sunt; *videlicet non unius sacerdotis secretam, sed multitudinis publicam notitiam tantùm removere se iis verbis significans.* Hæc Estius. Sed neque his Iuliani verbis magis quàm superioribus convenit istud ejus ἱερὸν φάρμακον. Nam inprimis Iulianus istos, *qui aliis nescientibus, quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt*, iis opponit, qui *propriis confessionibus* crimen suum *produnt*. Stultè, ut quivis videt, si & ipsi quoque delictum suum sacerdoti, licet vni, confessi sunt; cùm & eum *crimen propria confessione prodere* manifestum sit, qui id sacerdoti in confessione privata revelat. Tum ait *occultos* esse; *Occultus* autem non est, qui qualis sit, alius novit. Præterea ait *alios nescire, quales ipsi occulti sint*; quod alij profectò non nesciunt, si scit sacerdos. Quod verò cavillatur Estius hîc usurpatum à Iuliano multitudinis numerum, frustrà est. Meritò, qui de pluribus pœnitentibus in numero multitudinis loquitur, de sacerdotibus itidem quoque loquitur; cùm non cogantur pœnitentes uni, eidemque sacerdoti omnes confiteri. Mitto, quod passim ita loquimur, ut quod nobis solis compertum esse intelligimus, id *alios nescire* dicamus. In his enim clarum est indefinitè *alios* poni pro *omnibus aliis*; adeò ut hoc sensu id *alij nescire* non dicantur, quod aliquis alius, licet unus, novit. Adhæc addit Iulianus istos de quibus intelligit pœnitentes *ipsos in se excommunicationis sententiam ferre*. Ii verò *non ferunt ipsi*, qui apud sacerdotem confessi sunt; sed *ab eo latam* suscipiunt. Denique istorum *excommunicationem voluntariam* esse dicit. Ea verò *voluntaria* non fuit, si non propria istorum, sed aliena sacerdotis voluntate, ac judicio lata, ipsisque imposita erat. Atque hæc quidem Estius caussæ studio turbatus, non viderit. Illud miror à doctissimo, & acutissimo alias viro, non fuisse animadversum, istos quos hic Iulianus memorat, pœnitentes, eos sacerdotes esse; ut liquet, tum ex his ipsis verbis, *ab altari, cui ministrabant, non animo, sed officio separati*; tum ex iis, quæ paulò ante præcesserant, *At hi, qui in gradu aliquo Ecclesiastico constituti aliquod occultè crimen admittunt ipsi se vana persuasione decipiunt, si eu videtur propterea communicare, & officium suum implere debere, quod hominis occultatione sui criminis fallunt.* Iam sacerdotes, & alios sacri ordinis viros numquam olim publicæ pœnitentiæ subjectos ex veterum disciplina fuisse notum est. Itaque omninò inconsiderate dixit Estius *noluisse Prosperum* (vel verius Iulianum) hujusmodi homines *ad publicam pœnitentiam urgere*, quasi verò eos alij ad eam urgerent; à quâ per Ecclesiæ canones immunes erant. Ergo cùm constet Iulianum hic de publica pœnitentia locutum non esse, necessariò conficitur, quicquid reclamet Estius, ut de *privata* locutus sit; à quâ cùm omnem apud alium confessionem excludat, clarum est hinc quod conclusimus sequi; nimirum pu-

taîle

tasse Iulianum etiam sine ulla exteriori apud hominem confessione, peccatorum remissionem interdum à Domino impetrari posse. Neque hoc loco omiserim, quod apud Rabanum legimus, quodque omnes Estianæ distinctionis nervos penitùs succidit, pœnitentiam ab omnibus fieri debere, *honorum duntaxat dignitate servata, ita ut à sacerdotibus & Levitis* (id est Diaconis) *Deo tantùm* (inquit) *teste fiat, à cæteris verò astante coràm Deo solenniter sacerdote, ut hic tegat fructuosa confessio, quod temerarius appetitus, aut ignorantiæ notatur contraxisse neglectus.* Ex quibus liquet ne Rabani quidem temporibus, hoc est sæculo nono, necessariò, sed liberè confessos fuisse sacerdotes; nedum ut Iuliani ævo, id est, sæculo Christianismi quinto hujus necessitatis lex in Ecclesia obtineret. Itaque dubitandum non est, quin & isti priores, de quibus Iulianus, cum sacerdotes fuerint, ex propria voluntate, non autem ex ulla Ecclesiæ lege confessi fuerint; & hi posteriores ex communi tum usu sine ulla apud quemquam confessione occulta sua crimina indicta sibi ipsis pœnitentia procurarint. Ergo & hic conclusum esto non ita necessariam à veteribus vocalem confessionem habitam fuisse, ut sine ea neminem ullius criminis remissionem à Deo impetrare posse crediderint.

Ca. xxxvii.

L. 2. de inst. cleric. c. 19 T. 10. bibl. Patr. p. 599. c.

Caput XXXVII.

Argumentum XXIV. Laurentij Novariensis testimonio constans; qui liquidò docet fidelibus baptizatis peccata sine sacerdotis absolutione contritis & pœnitentibus remitti.

IDem quoque clarissimè docet Laurentius Novariensis Episcopus, qui anno sexti sæculi septimo floruisse putatur; *Ex illa* (inquit) *die, illaque hora, quâ egressus es de lavacro, ipse tibi fons jugis, & diuturna remissio. Non opus habes doctore; non dextrâ sacerdotis. Mox ut ascendisti de sacro fonte, vestitus es veste alba, & unctus es unguento mystico; facta est super te invocatio, & venit super te trina virtus, quæ vas novum hac nova perfudit doctrina. Exinde te ipsum statuit tibi indicem, & arbitrum; deditque tibi notitiam, ut possis ex te discere bonum, & malum, id est inter meritum, & peccatum. Et quià non poteras manens in membris, corporisque compage, liber existere à peccato, immunisque esse à noxa, post baptisma remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, ut non quæras sacerdotem, cùm necessitas flagitaverit; sed ipse jam ac si scitus, perspicuusque magister, errorem tuum intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine abluas. Itaque desinat duritia, cesset desperatio; desinat ignavia; fons numquàm deficit; aqua intùs est; ablutio in arbitrio est; sanctificatio in solertia est; remissio in rore*

Hom. 1. T. 2. bibl. Patr. p. 119 A.

CA. XXXVII *est lacrymarum. Noli te solvere in segnitiem. Fons est in homine conservatus perpetua pœnitudo.* Tum paucis interjectis; *Noli tu jam quærere neque* Ibid. c. *Ioannem, neque Iordanem: ipse tibi esto Baptista. Pollutus es post lavacrum; vitiata sunt viscera tua, contaminata est anima? Tinge te in aqua pœnitentiæ; ablue te abundantia lacrymarum; exuberet fons compunctionis in extu tuis; exundent aquæ vivæ in fibris tuis. Para te venienti Domino, & ipse te baptizabit in Spiritu Sancto, & igni,* habens ventilabrum in manu sua, *quod est inspectio, vel ponderatio pœnitudinis, ac peccati. Ipse perpendit in te utrumque pondus; ipse perspicit in te molem, & molem; unam pœnitentiæ, & unam pestilentiæ. Et pœnitentiæ quidem fructus acsi triticum congerit in tuum profectum; peccata verò tua, quasi pestilentiæ paleas, comburit igni inextinguibili. Hæc est privata remissio, intimo corde provocata, & pœnitudine acquisita.* Hactenus Laurentius, qui hanc, quam istic habet, doctrinam ex Augustino indubie hausit. Is enim lavacro

L. 1. de nupt. & concup. c. 33. T. 7. regenerationis *omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundari, atque sanari* docet, *non solùm* (inquit) *peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur; non, ut baptisma, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solùm antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet? In ipsa quoque Dominica oratione, quæ quotidiana est nostra*

Epist. ad Bonif. ab Hincm. citata. *mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur,* Dimitte nobis debita nostra; *nisi ab eis, qui baptizati sunt, diceretur?* Idem alibi similiter: *Quicquid ab eis, qui post acceptum baptismum hîc vivunt, humana infirmitate contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.* Ex his Augustini, sua ut vides, derivavit Laurentius: meritoque inde conclusit vividam illam, perennemque baptismi semel accepti vim ad fidelium delicta, si qua deinceps admittant, eluenda satis esse; modo eos peccati ex animo pœniteat. Ille verò disertè sententiam & nostram constituit, & adversariorum reiicit, ac refutat. Primò enim sacro baptismo semel tinctis *dextra sacerdotis* ampliùs opus esse negat. Quomodò, si nullum eorum delictorum, in quæ exinde incidunt, sine sacerdotali dextra remitti potest? Tùm *sibi ipsi unumquemque fidelem judicem & arbitrum à Christo constitutum* ait, Falsò & ineptè, si nemo fidelium est, cui necessarium ad salutem non sit sacerdotis judicium. *Noxarum verò post baptismum, remedium in nobis ipsis constitutum* dicit *remissionemque in arbitrio nostro positam esse*; ut non *sit quærendus sacerdos, si talis necessitas inciderit, sed ipsi jam errorem intra nos emendemus, ac peccatum pœnitudine abluamus.* Frustra omnia; si & remedium, & remissio, & erroris emendatio in aliena manu sita sunt; sique sacerdos necessario ad ea impetranda adeundus est. *Remissionem esse in rore lacrymarum nostrarum*; non ergo in alterius cujusquam ore, ac voce. Edicit nihil necesse esse *vel*

Joannem, vel Iordanem quærere; id est (ut liquet) pœnitentiæ ministrum, vel instrumentum, *Quemque fidelem sibi ipsum Baptistam esse*; hoc est ministrum & arbitrum, & si vera pœnitentia, verisque lacrymis nos ipsi abluerimus, Christum venturum, peccataque etiam gravia aboliturum. Nihil de sacerdotis ministerio; Neque alios memorat, quàm Christum absolventem, & fidelem pœnitentem, ideoque postremò hanc *remissionem privatam* vocat, quià sine publici ministri opera quæsitam; non sacerdotis ullius judicio, sed *intima cordis nostri pœnitudine* acquisitam. Quid dici potuit ab hodierno adversariorum dogmate de sacerdotalis judicij, & nostræ apud ministros confessionis necessitate magis alienum? C. XXXVII.

CAPUT XXXVIII.

Argumentum XXV. duobus insignibus Bedæ testimoniis constans.

SED ne septimo quidem desinente & octavo ineunte Christianismi sæculo cognitam fuisse hanc vocalis confessionis necessitatem ex Beda illorum temporum scriptore constat; cujus duo testimonia jam à nobis in superioribus libata hîc quoque describenda sunt. Prius extat in commentario in Iacobi Epistolam, in hæc Apostoli verba; *Confitemini alterutrum peccata vestra, In hac* (inquit) *sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana, leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque credamus oratione salvari. Porrò gravioris lepræ immunditiam juxta legem, sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore jusserit purificari curemus.* Alter Bedæ locus extat in alio eius opere in hæc Domini ad leprosos verba; *Ite, & ostendite vos sacerdoti*; *Nullum* (inquit) *Dominus eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos; quia videlicet sacerdotium Iudæorum figura erat sacerdotij futuri regalis, quod est in Ecclesia, quò consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi & veri Principis sacerdotum. Et quisquis hæretica pravitate, vel superstitione Gentili, vel Iudaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Christi gratiam caruerit, necesse est ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cætera verò vitia, tanquam valetudines, & quasi membrorum, atque sensuum per semet ipsum interius in conscientia & intellectu Dominus sanat, & corrigit.* Hactenus Beda; clarissimè, ut alibi diximus, constituens non alios fideles sacerdoti necessariò confiteri debere, quàm qui lepræ spiritualis immunditie laborant, hoc est (ut ipse in secundo loco interpretatur) vel *heretica pravitate, vel Iudaica perfidia, vel superstitione Gentili, vel etiam schismate fraterno*; Cætera vitia sacerdotis absolutione non egere,

in Iac. 5.

hom. de decem leprosis. T. 7. p. 70. Eadem habentur l. 5. in Luc. c. 69.

C. XXXVIII. neque adeo vocali apud eum confessione; sed & mutuis coæqualium, id est fratrum quorumvis precibus expiari, & *à Christo interius in conscientia, & intellectu sanari & corrigi.*

Goffridus Vindocinensis Abbas, qui ad a. D. 1129. pervenit, testatur Guillelmum quemdam, suum olim, ut ipse fatetur, magistrum hoc posteriori Bedæ loco adductum vel sensisse, vel (ut ejus mentem interpretatur Goffridus) *proposuisse, quod solummodo quatuor peccata confessione indigebant; cætera autem a Domino sine confessione sanabantur.* Goffridus, cum hæc ad ipsum Guillelmus familiariter velut ad discipulum olim suum scripsisset, respondet ex opinione jam illo sæculo passim invalescente, *omnia peccata vel crimina confessione indigere & pœnitentia*; quædam publica, quædam occulta. Locum vero Bedæ sic explicat, ut quatuor illa ab eo commemorata *crimina, non jam* (inquit) *soli sacerdoti, sicut in cæteris agitur, sed universæ Ecclesiæ velit esse confitenda. Cætera vero vitia per semetipsum Dominum* à Beda dici, *sanare & corrigere*, quia arcana apud unum sacerdotem confessione sanantur. *Licet enim* (inquit) *omnia quæcumque sanantur, Dominus sanet & corrigat; quædam tamen per semetipsum sanare atque corrigere perhibetur, ea videlicet quæ sibi privata in confessione revelantur, ut sanentur. Sibi dico; quia illi qui in ejus loco esse agnoscitur.* Sirmondus Goffridi solertiam exosculans ad hunc ejus locum scribit *Bedæ verba ut ab eo exponuntur, planam habere & certam sententiam.* sed à Goffrido non quod ait Sirmondus, *exponi*, sed perverti Bedæ verba sensumque ei affingi à suo plane alienum, patet. Et nos statim contra Estium demonstrabimus; qui eadem quæ Goffridus, cavillans respondet. *Bedam de publica pœnitentia loqui, qua quidem ejus ætate* (inquit) *solis hæreticis, & schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus imponebatur.* Sed ille nos ludit, neque objectionem solvit. Fateor Bedam de *publica pœnitentia* loqui; neque enim ulla alia fuit apud veteres præter publicam, quæ necessariò apud sacerdotem ageretur, ut supra demonstravimus; Quamquam neque verum videtur, quod ait Estius, eam *solis hæreticis, & schismaticis* Bedæ ævô fuisse impositam. Certè ex antiquis Canonibus, quorum usum septimo sæculo penitus in Ecclesia desiisse non est verisimile, patet publicam pœnitentiam multò latius patuisse, imo & ex Conciliis, Patribusque noni sæculi constat etiamtum, id est annis post Bedam centum, publicè pœnitentiam egisse omnes gravium, eorumque manifestorum peccatorum reos. Itaque existimo Bedam vel illa, quæ de *hæresi, superstitione, Iudaismo, & schismate* memorat, exempli tantùm caussa afferre, vel quod verius puto, schismatis fraterni nomine omnem illam à fraternitate, hoc est à Christi corpore separationem intelligere, quæ ex gravibus, iisque manifestis criminibus oritur, in quibus quisquis vivit fratrum communione indignus est ex Paulo & veteris Ecclesiæ praxi, homines hujusmodi, ut ex Canonibus liquet, excommunicantur. Ergo ex Bedâ liquet, qui hujusmodi vitiis laborabant eos, si conversis ad

Deum

[Margin notes: L. 5. Ep. 16. p. 250 251. — Not. ad loc. p. 89. — in 4. sent. d. 17. §. 7. Ad decimum. — 1. Cor. 5. 11.]

Deum animis resipiscerent, *sacerdoti pandere debuisse sua illius lepra immunditiem*, & purificatos *Ecclesiæ* (quod in altero loco ait) *ostendere colorem fidei verum*. Ergo non alia crimina, quàm ista *sacerdotibus* tunc confitenda fuisse docet Beda; quæ si Estium sequimur, duo tantum erant, *heresis, & schisma*; si Goffridum, quatuor; si me audis, plura quidem quàm vel duo vel quatuor ista, incomparabiliter vero pauciora, quàm quæ hodiè adversarij confessione auriculari procurari jubent; sola nimirum atrocia, & in canonibus notata, adhæc manifesta, & cum proximorum scandalo conjuncta, quod suprà pluribus contra eruditissimum Arnaldum demonstravimus. Iam quod fingit & Goffridus & Estius præter hæc, quæ publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, cætera omnia sacerdoti in arcano confitenda, privataque apud eum pœnitentia, ut nunc fit, procuranda necessariò fuisse, eô, inquam, Bedæ apertissimè contradicunt. Ille enim (ut quivis videt) ait Christum *cætera vitia per semetipsum curare ac corrigere*. Non ergo per sacerdotem; quô loco Beda iis quæ Christus per Ecclesiæ ministros facit, ea clarissime opponit quæ idem *per semetipsum* facit. Hæresi, vel schismate laborantes Christus *solos mittit ad Christianos sacerdotes*; ut ex omni morborum, quos sanavit, genere solos leprosos ad Iudaïcos sacerdotes misisse legitur. Cæteros ergo aliis criminibus laborantes non magis ad illos sacerdotes mittit, quàm ad hos aliis præter lepram malis liberatos misit. Itaque Christus ut alios ægros (præter leprosos) solus per se nulla adhibita sacerdotum Iudaïcorum opera planè, penitusque sanavit, ac purificavit; sic etiam cæteris nunc vitiis, (præter hæresim & schisma & alia id genus) laborantes sine sacerdotum Christianorum opera per semetipsum solus sanat, atque corrigit; Nemo est qui non videat hanc esse Bedæ mentem. Cùm igitur eos, qui in confessionario tribunali absolvuntur, Christus non per semet ipsum, sed sacerdotum opera & ministerio sanet ac corrigat; clarum est Bedam putasse cætera illa, de quibus loquitur, vitia sine ulla apud sacerdotem confessione, solâ Christi Domini spirituali gratia curari, sanari, ac corrigi. Sed id ipsum quoque ostendunt hæc ejus verba *in conscientia, & intellectu*; quibus apertissime significat omnem hanc istorum morborum curationem interiorem esse, & in sola pœnitentium anima, atque conscientia à Christo administrari; non adeò in confessionario tribunali, quod extra nos est. Denique prior in Iacobum locus id etiam clarissimè docet, in quo dum solam *lepram sacerdoti pandendam* esse ait, eô ipso *sacerdoti* necessario pandenda negat cætera peccata, quæ huic lepræ opposuit, quæque mutuis fratrum orationibus procurari dixit. Quæ ita clara, atque indubitata sunt, ut ipse Arnaldus, quod me jam suprà non semel dixisse memini, hinc concludat *non ob alia* peccata, quàm ob ea, quæ lepræ hîc à Bedâ comparantur, sacerdotes olim ejus temporibus necessariò fidelibus adeundos fuisse. Ergò cùm hujus generis peccatorum multo, ac pænè incomparabiliter angustior sit, census

C.XXXVIII.

de la freq. comm part. 2. chap 7. p. 284.

 census, quàm eorum quæ nunc *mortalia* dicuntur, ut etiam Estius non ad alia, quàm ad duo, hæresim scilicet & schisma illa exporrigi putaverit; clarum est apud veteres, imò ne ipsius quidem Bedæ temporibus in Ecclesia obtinuisse Innocentianæ confessionis disciplinam.

Caput XXXIX.

Argumentum XXVI. ab Erasmi, & B. Rhenani & Rigaltij testimonio petitum, qui vi veritatis victi nobiscum sentiunt Innocentianam confessionem apud veteres in usu non fuisse.

XVIIII. Neque nos soli sic sentimus. Tanta est hujus veritatis lux, ut etiam Erasmus, & Rhenanus, eruditissimi homines, qui in adversariorum communione & vixerunt, & mortui sunt, idem quoque, ut erant candidi, ac verè germani, confiteri, publiceque in libris editis testari non dubitaverint. Erasmi quidem hæc sunt in quandam Hieronymi epistolam, verba; *Ex hoc* (inquit) *loco potes animadvertere, olim confessionem* (intelligit exomologesim) *fuisse publicam, & de notis commissis publicam item satisfactionem. Et apparet Hieronymi tempore nondum institutam fuisse secretam admissorum confessionem, quàm postea Ecclesia salubriter instituit, si modò recte utantur eâ & sacerdotes, & laici. Verùm in hoc labuntur Theologi quidam parùm attenti, quod quæ veteres illi de hujusmodi publica, & generali confessione, quæ nihil aliud erat, quàm signis quibusdam & piaminibus ab Episcopo indictis, se peccatorem, & bonorum communione indignum agnoscere, trahunt ad hanc occultam, & longe diversi generis.* Hæc Erasmus*, omnia, (si illud unum exceperis, quod ex Ecclesiæ, in quâ vivebat, præjudiciis falsò dicit, *secretam confessionem salubriter fuisse institutam*) doctissimè, ac sapientissimè. Illud certè postremum, quod ait suarum partium Theologos in eô labi, quod quæ veteres de publica exomologesi scripserunt, *ad occultam confessionem trahunt*, illud inquam quam verè dixerit, ex iis quæ contrà adversarios in superiori parte disputavimus clarissimè appatet. Beatus verò Rhenanus multo etiam plura de hoc argumento habet, egregia plæraque, & observatione dignissima; è quibus nos pauca describenda putavimus. Postquàm multis veterum de publica exomologesi allatis testimoniis ostendit eam solam primis Christianismi temporibus cognitam fuisse, *Porrò* (inquit) *non aliam ob caussam complurium hic testimoniis usi sumus, quam ne quis admiretur Tertullianum de clancularia ista admissorum confessione nihil locutum; quæ quantùm conjicimus, nata est ex ista exomologesi per ultroneam hominum pietatem, ut occultorum peccatorum esset & exomologesis occulta. Nec enim usquiam praceptam olim legimus.* Cætera, quæ hunc

in Ep. ad Oceanum, quæ est Epitaphiū Fabiolæ. T. I. fol. 71. c. f.

* Eadem sequitur annotat ad Act. c. 19.

Præfat in libr. Tertull. de pœn. p. 472.

hunc locum & antecedunt, & sequuntur, videat lector, si lubet, apud Rhenanum. Digna enim sunt, quæ legantur. Sed caveat à corruptis Latina manu codicibus. Indices enim Inquisitorum Hispanorum expurgatorij tristem de his locis tulere sententiam; Prior Quirogæ Cardinalis a. D. 1583. Madriti editus, Beati Rhenani in Tertullianum annotationes recensens, *Argumentum (inquit) libri de Pœnitentia totum expungatur: nam commode repurgari non potest.* Non est mitius posterioris Indicis decretum, a. D. 1612. in eadẽ urbe à Cardinali Sandoval publicati; *In librum de Pœnitentia (inquit) deleatur totum argumentum ejusdem libri.* Neque vero Erasmo pepercerunt; cujus quem nuper descripsimus, locum expungi totum utrique pariter jubent. Quiroga censura annotationum in opera Hieronymi ab Erasmo editarum; *Deleatur ab illis verbis*, Alioqui si senserunt, &c. *usque ad illa verba*, ad hanc occultam & longe diversi generis. Sandoval; *Post illud*, Non pro illo, ut roget quis, *dele usque ad illud initio sequentis paginæ*, Sedit super carbones ignis, *exclus.* Hæc illi: quæ qua patet Romanæ Inquisitionis auctoritas, ita diligenter observantur, ut nullus Rhenani, vel Erasmi codex in illis regionibus reperiatur, in quo illa eorum de confessione verba legantur; quæ vis quanta quamque iniqua sit omnes vident. Sed omnem rationem atque æquitatem apud istos vincit insanum erroris sui studium; quo excæcati omnia veri argumenta ex hominum luce atque memoria per fas & nefas abolere conantur. Hæc tamen istorum, etiam in suos, injuria atque amentia efficere non potuit, quin alij eadem, quæ Erasmus & Rhenanus de Confessione & senserint & publicaverint. Amplissimus verbi gratia atque eruditissimus Rigaltius in sua Tertulliani editione, postquam dixit veterem exomologesim fuisse videri manifestorum criminum, quæ aut sceleris infamia nomini Christiano injuriam facerent, aut fidei parum constantis exemplo fratribus nocerent, continenter addit, *occultorum pœnitentiam, sicut & castigationem, divinæ misericordiæ reservatam*, adeoque nullis sacerdotum judiciis procuratam fuisse.

Ca. xxxix

Ind. exp. Quir. p. 117 B.

Ind. Exp Sandoval. p. 55. a.

Ind. Quirogæ. in D. Hier. p. 119. b.

Ind. Sand. in Erasmo p. 280. a extr.

Not. ad Tertull. de pœn. p. 57. col. 1.

Caput XL.

Veteris disciplinæ mutatio circà noni sæculi initia notata; quô tempore privata à sacerdote indicta pœnitentia communis, ac frequentissima esse cœpit; unde illa exorta. Pœnitentis, & pœnitentiæ vocabulorum usus pro triplici Christianismi ætate triplex observatur; indeque demonstratur hodiernam disciplinam non fuisse apud veteres. Argumentum XXVII.

Atque ex his clarè nunc, nisi fallor, apparet veteribus ignotum fuisse Innocentianæ confessionis mysterium; neque quicquam occurrit, quô constet antè octavi sæculi extrema, nonique initia, aliquid in prisca Ecclesiæ universæ disciplina mutatum esse. Fateor iis temporibus alicujus mutationis vestigia cerni; neque id mirandum est. Nam pæne extincto omnium litterarum lumine crassam rerum divinarum, humanarumque ignorantiam, fœdamque barbariem Christiano orbi per ea sæcula incubuisse certum est. Notavit ipse Binius *eô profundi bonas litteras demersas tum fuisse, ut siquis nobilioris ingenij vellet eas addiscere, magistrum non inveniret, qui doceret.* Et Lupum Ferrariensem, hominem illorum temporum, testem inducit, qui, *Nisi* (inquit) *intercessisset inopia præceptorum, & longô situ collapsa priorum studia pænè interiissent, largiente Domino meæ aviditati satisfacere forsan potuissem.* Ac litteras quidem à Carolô Magnô *cœptas revocari ait aliquantulum extulisse caput*; sed queritur mox concidisse, unaque cum eô Principe veluti commortuas esse. Sanè quantam Ecclesiasticæ disciplinæ non labem, sed perniciem illa barbaries attulisset, docent Patres Cabilonenses, ab ipso illo Carolo anno sæculi noni decimotertio eâ de caussa convenire jussi; *Pœnitentiam* (inquiunt) *agere juxtà antiquam canonum constitutionem in plerisque locis ab usu recessit; & neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur*; Tum decernunt, *ut à Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter siquis publice peccat, publica multetur pœnitentia, & secundùm ordinem canonum pro meritô suô excommunicetur, & reconcilietur.* Nimium ita excussum, abjectumque jacebat saluberrimum hoc jugum, ut Principis auctoritate opus esset, quâ detrectantes, longaque & Pastorum ignavia, & omnium licentia corrupti id subire cogerentur. Neque aliter Turonenses eodem quoque annô Caroli jussu congregati queruntur *pœnitentiæ judicia variè ab aliquibus sacerdotibus, & indiscretè proferri*; ideoque sibi necessarium videri ajunt, *cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.* Vides, ne cognitum quidem fuisse canoni-

ad Concil Cabil. 2. T. 6. Conc. part. 1. p 215. f. Ep ad Eginhard.

Ibid.

Conc. Cabil. 2. cap 25.

Conc Turon. 3. c. 22. T. 6. Conc. part. 1. p. 225.

canonicæ pœnitentiæ certum aliquem codicem; nedum ut præscriptæ à veteribus regulæ in communi usu essent. Non est ergo mirandum, quod adeò miserabiliter collapsa, disjectaque veterum disciplina planè penitusque instaurari, integraque sine labe, ac detrimento ullo restitui non potuit. Non omnia, quæ de hoc argumento dici possent exsequemur. Ad institutum nostrum satis est observare duplicem novitiæ istorum disciplinæ à veteri fuisse differentiam. Ac prior quidem illa est, quod cùm à priscis sacerdotibus non alia ferè, quàm publica pœnitentia præscriberetur, isti etiam privatam decernere frequentissimo, ac pœnè solenni in usu habuere. Nam apud veteres ex iis, quæ suprà disputavimus, satis constat, publicam pœnitentiam iis omnibus peccatis constituebant, de quibus ex officio cognoscebant; idque solenne, ac perpetuum erat, nisi singularis aliqua, *extraordinariaque* (ut loquuntur) ratio consuetum usum mutare cogeret; ut si verbi gratiâ reum pœnitentiæ publicatio in capitis discrimen adduceret; tunc enim concedebant, ut pœnitentia privatim fieret; ut ex Basilij canone de mulieris conjugatæ adulterio, & ex Augustini insigni locô sermone decimosexto de verbis Domini discimus. Excipio item sacri ordinis homines, quos, Leone teste, inusitatum fuit publica pœnitentia multare; Si qui ex eô censu lapsi essent, *iis privata*, ut ille ait, *expetebatur secessio, ubi* pœnitentiam agerent. Extra has caussas, sive ut vulgò loquimur, *hos casus* non aliam, quàm publicam pœnitentiam à vetustioribus per prima illa sæcula sacerdotibus imponi solitam accepimus; idque satis testantur eorum canones, qui plurimi etiamnum supersunt quique iis, de quibus modò dixi, exceptis, in cætera omnia *publicam pœnitentiam* decernunt. Indeque factum est, ut *pœnitentes* simpliciter vocarent, qui publicam exomologesin faciebant, *pœnitentiam*que similiter non aliam ferè dicerent, quàm quæ publicè agebatur. Nimirum cùm ea nomina antonomasticè & καт' ἐξοχὴν ei propriè pœnitentiæ tribuerent, quæ ex sacerdotis præscripto fiebat; nulla autem ex ejus præscripto tum ritè, ac solenniter fieret, nisi publica; eo factum est, ut *pœnitentis* vocabulum de *publicè pœnitente* simpliciter dictū intelligeretur; quod est & ab Augustino, Patribusque Toletanis observatum, & à Bellarmino, aliisque adversariis confessum, & à nobis non semel in superioribus inculcatum. Hæc erat vetustiorum ratio, ac praxis. Isti verò, qui sub noni sæculi initia, secutisque deinceps temporibus vixerunt, planè aliter. Nam primò, quod priscis, ut diximus, insuetum, in suis canonibus pœnitentiam *privatam* à *publica* diligenter distinguunt. Synodus Remensis anno 813. disertè jubet *discretionem servari inter pœnitentes, qui publicè, & qui absconsè pœnitere debent*; Et ipsi sanè servant; *Si quis* (inquiunt eodem anno Patres Cabilonenses) *publicè peccat, publica multetur pœnitentiâ.* Sic etiam Arelatensis Synodus ipsa quoque eodem anno habita, & Carolus in Capitulari: *Vt qui publico crimine convicti sunt* (inquit) *rei publicè judicentur, & publicam pœnitentiam*

Cap. XI.

Ep ad Amphil. can. 12.
Aug. Serm. 16. de verb. Dom. c. 8.
Ep. 92. c. 8.

Conc Rem. 3. can. 31.
Conc. Cabil 2 c. 25.
Conc. arel. 6. c. 26.
capit. Car. M. c. 25.

CAP. XL. *tentiam agant secundùm canones.* Ita & Ludovicus Pius in edicto anno

T. 1. Conc. all. p. 461. ed. Quin ext. in collect. Bened. l. 6. c. 96. ejusdem sæculi 26. ut putat Sirmondus, publicato; *si publicè actum* (inquit) *fuerit; publicam inde agat pœnitentiam, juxta Sanctorum Canonum sanctionem. Si verò occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam.* Rabanus, qui & ipse Ludovico imperante floruit, disertissimè; *Quorum*

L. 2 de inst. cler. c. 30. (inquit) *peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia, per tempora, quæ Episcopi arbitrio pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum decernuntur: eorumque reconciliatio in publico esse debet ab Episcopo, sive etiam à presbyteris jussu tamen Episcoporum,*&c. *Quorum ergo peccata occulta sunt, & spontanea confessione soli tantummodò presbytero, sive Episcopo ab eu fuerint revelata, horum occulta debet esse pœnitentia, secundùm judicium presbyteri, sive episcopi cui confessi sunt, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant caussas.*

Ita etiam Synodus sub Rabano Moguntiæ anno Christi 847. celebrata;

cap. 31 T. 6. Conc. p. 438. *Discretio* (inquit) *servanda est inter pœnitentes, qui publice, & qui absconsè pœnitere debeant. Nam qui publice peccat, oportet ut publica multetur pœnitentia, & secundùm ordinem canonum pro merito suo & excommunicetur, & reconcilietur;* quæ Moguntinorum Patrum verba Burchar-

L. 19. c. 28. dus in decretum suum retulit. Denique Hincmarus Remensis Archiepi-

in Capitul. T. 3. Conc. Gall. p. 635. scopus anno ejusdem sæculi (id est noni) quinquagesimo septimo *decrevit, ut infra quindecim dies ad suam præsentiam publicus peccator veniat, & juxta traditionem canonicam publicam pœnitentiam cum manus impositione accipiat.* Itaque crimina, quæ pœnitentiæ publicæ subjiciebat, fere semper *publica* vocat. Inde illa apud eum frequentissima *publicum homicidium, publicum adulterium, criminale peccatum publice perpetratum, publicum peccatum, publicus peccator,* & similia sexcenta, ubique in ejus de re

L. de divort. Lothar. T. 1. p. 595. pœnitentiaria opusculis obvia. Idem alibi docet *sacerdotes de secrete sibi confessis peccatorum infirmitatibus medicinalia, atque salubria posse dare consilia, judicio autem Ecclesiastico, id est separatione à communione Ecclesiæ, vel a gradu, sive a consortio conjugali, neminem rationabiliter posse secernere*

Ibid. *nisi de criminibus aut publice sponte confessum, aut aperte convictum.* Mox diserte affirmat ipsa *gravia crimina solvi etiam secreta confessione ac pœnitentia;* quæ scilicet non sunt manifesta. Rationem addit eandem, quam

Ibid. Rabanus, *ne* (inquit) *infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant caussas.* De peccatis vero manifestis ita habet; *Quod plurimorum* (inquit) *constat perpetratum notitia fiat sanatum scientia, & qui in Ecclesiæ peccavit sinceritatem, illi debitam exhibere studeat satisfactionem, & qui plures, quantum ex se fuit, suo destruxit exemplo; plu-*

Ibid. p. 594. Gregorius l. 11. Ep. 3. *res sanet suæ humilitatis antidoto.* Quo ex Gregorio hæc refert: *Manifesta quoque peccata non sunt occulta correptione purganda, sed palam sunt arguendi qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione sanantur, hi qui eos imi-*

ub. supr. ad interrog. 11. p. 614. *tando deliquerant corrigantur.* Sed & in eodem opere idem quoque negat Hincmarus *libello secreta confessionis porrecto publica pœnitentia quem-*

quam

quam debere submitti; Negat ex veteri disciplina jus esse *quemquā de secreta* CAP. XL.
cōfessione sive per libellū, sive per verbū credita, publicæ pœnitentiæ legibus subdere; idq; inde conficit quod *canones sacri jubeant* (Concilij scilicet Africani c. 99.) *excommunicare Episcopum, quamdiu non communicaverit illi quem sibi dicit crimen secrete fuisse confessum.* Eo etiam pertinet, quod in eodem opere observat, *publice pœnitentem publicā pœnitentiam agere, non quo* ibid ad quæst. 7. p. 698.
Dominus secreta confessione & privata pœnitentia de criminalibus etiam peccatis digne pœnitenti indulgentiam non largiatur (quod aliter habere Davidis exemplo probat) *sed qui plures suo pravo exemplo destruxit, plures humilitatu suæ pœnitentia ad salutem ædificet.* Vnde sequitur cujus crimen latet, ita ut plures suo exemplo non destruxerit, eum Hincmari judicio perperam atque absurde cogi ad publicam pœnitentiam. Itaque Patres Namnetenses eodem sæculo, id est nono, dum homicidam communione multant, diserte addunt, *Si hoc* (*homicidium*) *publice actum constat.* c 17. T. 3. Conc. Gall.
Sed & secundò cùm *pœnitentes* vetustioribus, ut diximus, simpliciter dicerentur, qui publicè *pœnitentiam* faciebant, & *pœnitentia* similiter, quæ eadem *publica* esset; isti recentiores noni & sequentium sæculorum homines nō solent ita loqui; sed quam *publicam pœnitentiā* significare volunt eam *publicam* disertè appellant, & *publicè pœnitentes*, quos istius generis pœnitentes intelligunt. Ita Patres Parisienses *a* anno Christi 829. a Conc. par. 6. c. 54.
qui propter reatum suum publica sunt pœnitentia multati, & in hujus capitis titulo, *Vt hi qui pœnitentia publica sunt multati, neque in baptismate, neque in percipiendo S. Spiritus dono patroni existant pro aliis.* Ita Ludovicus Pius in capitulari *b*, *qui publicam* (inquit) *gerebant pœnitentiam.* Alibi de eô, qui parentes, vel propinquos interfecerit; *ipse verò ordinante* b c. 21. T. 2. Conc. Gall p. 432.
Episcopo publicæ pœnitentiæ subdatur. Et capite sequente de eô, qui uxore derelicta aliam ducit, *Armis depositis* (inquit) *publicam agat pœnitentiam.* Concilium Vernense 2. *d* anno Christi 844. de iis, qui sanctimonialibus miscentur, *Nisi* (inquit) *per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi.* Et Concilium Meldense *e* anno sequente habitum, de rerum Ecclesiasticarum pervasoribus, *ex criminali* (inquit) *& publico peccato publica pœnitentia satisfaciant.* Ita Hincmarus ut paulò ante recitavimus *f* de publico peccatore, *publicam* (inquit) *pœnitentiam accipiat.* Idem quoque in capitulis anni 874. *g reconciliationem publicam* eadem ratione dixit. Sic & Isaac Lingonensis *h*: *Qui publicam pœnitentiam gerunt debent uno anno esse cum cilicio inter audientes.* Item: *i Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit*, &c. Et de muliere, cujus adulterium publicatum est; *Publice* (inquit) *agat pœnitentiam.* Et de eo qui consanguineam duxerit, *Publice* (inquit) *juxta canonicos gradus pœniteat.* Vetustiores omnibus istis locis & *reconciliationem*, & *pœnitentiam*, & pœnitere simpliciter dixissent. Non potest alia hujus inter utraque tempora discriminis ratio, nisi hæc, quæ clarissima est, afferri. Nimirum cum anterioribus sæculis nulla à ministris pœnitentia, nisi

c In al. capitul. cap. 2. & 3. ibid. p. 472.
d Conc. Vern. 2 c. 5.
e cap. 6.
f vb. supr.
g cap. 10.
h T. 3. Conc. Gall p. 643.
i ibid. p. 653.
c 3. p 657. c. 9.
p. 660. c. 18.

CAP. XI. *publica*, in peccatores decerni soleret, nihil tum necesse fuit eam in canonibus à *privata*, quæ vel nunquam, vel rarissimè ac præter ordinem ab iis dabatur, secernere. Satis enim omnes cum *pœnitentiam* à sacerdote imponendam audiebant, *publicam* significari intelligebant, qui non aliam quàm hanc ab istis imponi scirent. Posteà cùm sacerdotes quibusdā ex iis, de quorū peccatis ex officio cognoscebant, etiā *privatā* præscriberent, & quidem frequenter, ac pænè solenniter necesse fuit horū temporibus diserte dicere, de eâ-ne, an de publica intelligerent, quoties aliquod crimen *pœnitentiæ* subiiciebant. Ac ut obiter id dicā, triplex in hoc genere loquendi discrimen in Christianismo observare est. In primis sæculis maximè post constitutā sacris canonibus disciplinā, *pœnitentia* simpliciter dicta de *publica* intelligitur; his postremis post Innocentiū *de privata*; mediis ab octavo ad decimumtertiū de *utraq;* eademq; vocabuli *pœnitentium* ratio est. Nimirum postremi quod nullam ferè in usu habeant aliam pœnitentiam præter *privatam*, illius ipsum *pœnitentiæ*, *pœnitentiumque* nomen proprium fecerunt; quam iis vocabulis significari satis per se intelligunt, qui hanc unam à sacerdotibus præscribi sciunt, ac vident. Contrà vetustissimi, cùm nulla præter *publicam* apud eos solennis esset, eam quoque *pœnitentiæ* vocabulo simpliciter posito simili de caussa significarunt, quod homines istorum temporum, hujusmodi voces per se de hac necessario acciperent, quam unam à ministris decerni in peccatores solere viderent. Quod si quando *publicæ* elogium veteres addant (ut à Leone†, sæculo quinto, & sexto à Patribus Matisconensibus, & septimo à Cabilonensibus semel factū memini; alibi nō observavi) id faciunt non ut à privata, quæ solennis tunc temporis eadem esset fidelium laïcorum pœnitentia distinguant, sed vel ut rem reique ingenium clarius & apertius designent, vel certe ut à clericorum pœnitentia (quam privatam fuisse non publicam constat) secernerent. Mediorum, qui octavo & sequentibus ad decimum tertium sæculis vixerunt, media quoque ratio fuit. Nam cùm illi & publicam ex priscis canonibus retinerent, & privatam præter veterem usum adjecissent, coacti sunt, ut liquido intelligerentur, *pœnitentiæ* vocabulum quod ad utramque, utpotè in communi ac vulgari usu positam referri poterat, ad hanc illamve speciem disertè restringere; neque *pœnitentiam* simpliciter cum vetustissimis, & novissimis, sed vel *publicam*, vel *privatam* nominatim *pœnitentiam* dicere. Quâ observatione, ut mihi quidem videtur, valide probatur nullam apud vetustiores fuisse confessionem Innocentij auricularem; quæ scilicet tota ad privatam pœnitentiam ordinatur, quæ tum nulla à ministris indicebatur, non autem ad publicam (quæ sola tum in usu solenni erat.) Privata autem illa apud sacerdotem, tum pœnitentia, tum eam antecedens confessio partim ex Monachorum imitatione, apud quos tale aliquid maturè factitatum fuisse suprà observavimus, partim ex publicæ pœnitentiæ desuetudine, quam *ab usu recessisse in plerisque locis* nuper à Patribus

† Epist ad Theod. Matisc. Conc. c. 18 a D 581. Conc Cabillon. a D. 650.

Patribus Cabilonensibus audivimus, nata mihi fuisse videtur. Cùm enim quibus erat aliquis peccatorũ admissorũ sensus, *pœnitentiã* à sacerdotibus poscerent, neque publicã suscipere vellent infamiæ quam afferebat, caussa invisam, eò paulatim ventum est, ut privatam ejus loco acciperent. Itaque qui sub Carolo Principe vivebant antistites, cum & suopte motu, & ejus jussu ad restituendam Ecclesiæ disciplinam animum adjecissent, *publicam* quidem *pœnitentiam*, quæ in desuetudinem hominum & temporum vitio abierat, instaurarunt; *privatam* verò, quam in usu communi esse videbant, non sustulerunt; fortasse, quod ex rerum antiquarum ignoratione, eam quoque apud veteres usitatam fuisse putarent, vel certè, quod eam tametsi olim in nullo, aut exiguo usu fuisse non nescirent, utilem tamen & salutarem existimarent, falsa illa, quam habet, pudoris atq; erubescentiæ specie decepti. Inde orta mihi videtur illa istis temporibus familiaris pœnitentiæ apud sacerdotem factæ in *publicam*, & *privatam* vetustioribus ignota divisio. Cap. XLI.

Caput XLI.

Aliud iis temporibus pœnitentiaria disciplina à veteri discrimen observatur; quod qui pœnitentiam tum petebant, omnia sua delicta sacerdoti confitebantur; qui mos à Marco eremita insigni loco notatus, & reprehensus; sed frustrà. Octò capitalia vitia de quibus confiteri jubebantur circà nonum illud sæculum.

Sed & altera ex eodem fonte novitas profluxit. Cùm enim apud veteres non alia, qui pœnitentiam petebant, delicta pastoribus confiteri, ac aperire cogerentur, quàm capitalia in Ecclesiæ canonibus denotata, (quod apud eos scilicet non alterius, quàm publicæ pœnitentiæ, cui illa subjiciebantur, caussa pastores necessario adirent) recentiores sive aliquô devotionis æstu, sive monachos imitandi studiô abrepti, multò longiùs processerunt, & omnia sua delicta, omnes etiam malas cogitationes ministris nudare cœperunt. Marcus eremita, (quem ego nono sæculo vixisse veriùs puto, quàm quarto) hunc suo ævo morem quibusdam fuisse significat; eumq; graviter sanè, ac sapienter reprehendit; ὅταν ὁ νοῦς κρατήσῃ (inquit,) δι' ἀρνήσεως τὴν μονολόγιστον ἐλπίδα, τότε ὁ ἐχθρὸς προφάσει ἐξομολογήσεως τὰ προγεγραμμένα κακὰ ἐξεικονίζει, ἵνα τὰ χάριτι θεοῦ ἐπιλησθέντα πάθη ἀναζωπυρήσῃ, καὶ λεληθότως ἀδικήσῃ τὸν ἄνθρωπον. τότε γὰρ κἂν φαιδρὸς καὶ μισοπαθὴς ὑπάρχῃ, ἐξ ἀνάγκης σκοτισθήσεται, συγχυθεὶς ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις. κἂν ὁμιχλώδης ἔτι, καὶ φιλήδονος εἴη, συγχρονίσει πάντως, καὶ ἐμπαθῶς προσομιλήσει ταῖς προσβολαῖς, ὡς πρόληψιν ἀριθμεῖν τὴν τοιαύτην μνήμην, καὶ οὐκ ἐξομολόγησιν. ἐὰν θέλῃς θεῷ προσφέρειν ἀκατακρίτως ἐξομολόγησιν, de his, qui putant se ex operibus justificari cap. 140. Bibl Patr. T. 1. Gr. Lat.

CAP. XXXVI. λόγχυσιν, μὴ μνημόνευε καθ᾽ εἶδος τὰς παραπτώσεις. λίαν γὰρ μολύνεις τὴν διάνοιαν· ἀλλ᾽ ὑποθέμενος γενναίως τὰς τούτων ἐπαγωγάς. *Cùm mens per vitiorum abnegationem & renuntiationem spem unicè considerandam apprehenderit, tunc inimicus sub confessionis praetextu antè impressa menti vitia effingit, ut affectus gratiâ Dei oblivioni traditos iterum incensos exsuscitet, & hominem latenter injuria afficiat. Tunc enim si clarus & affectibus inimicus existat, necessariò obtenebrabitur, ditentus & confusus propter perpetrata vitia. Et si nebulosus adhuc, & voluptatū amans fuerit, omnino adhuc ad occurrentes illas affectiones adhaerescet, & iis cum affectu se implicabit, & immorabitur, adeò ut hujusmodi recordatio, non confessio, sed mentis anticipatio esse inveniatur. Itaque si velis Deo confessionem offerre irreprehensibilem, ne speciatim errorum recorderis (nam valde inquinares animum) verum horum illecebras generose perferto.* Tum paulò post, ὁ γνωστικὸς (inquit) καὶ εἰδὼς τὴν ἀλήθειαν οὐ διὰ μνήμης τῶν πραχθέντων, ἀλλὰ δι᾽ ὑπομονῆς τῶν ἐπερχομένων ἐξομολογεῖται τῷ Θεῷ. *Scientia praeditus, quique veritatem novit, non memoria sive recordatione rerum anteactarum, sed supervenientium tolerantiâ, confitetur Deo.* Haec quidem ille; tum primulum incipientem delicta omnia sigillatim confitendi usum damnans, acuteque prospiciens, quantam illa consuetudo piorum animis labem afferat. Caeteris verò, quibus non eadem mentis acies erat, inanis utilitatis species imposuit. Itaque illi, quem apud suos praeter veterem morem ex caussis, quas nuper diximus, inductum peccata minutatim confitendi ritum, non modò non sustulerunt, aut coërcuerunt, sed etiam suô consensu, suaque auctoritate confirmarunt. Alcuinus, sive (quod verius reor) alius Alcuini nomen falsô gerens scriptor; *Volens* (inquit) *dimittere omnia his, qui in se peccaverunt, confiteatur omnia peccata sua, quae recordari potest.* Inde illa est nova sanè, vetustissimisque anteriorum saeculorum Synodis, scriptoribusque ignota Cabilonensis secundi Concilij anno 813. querela, *quod quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciant.* Tum *quia constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ideò* docent, *solerti indagatione inquirenda ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio; scilicet ut ea confiteantur, quae per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur.* His jactis fundamentis mox instituunt, *ut peccatorum suorum confessor instruatur, ut de octô principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat, quia aut cogitatione, aut (quod est gravius) opere, eorum instinctu peccavit.* Sic enim Ordo Romanus, quem circa haec tempora, aut paulò post scriptum fuisse apparet, *Praecavendum est* (inquit) *sacerdoti de supra scriptis vitiis: ut ei exhortationis gratia ad memoriam reducat, nequid adversante Diabolo occultum remaneat.* Octô verò illa vitia, in Cabilonensi Synodô memorata, sunt, ut ex Pseudo-Alcuino discimus, *superbia, gloria inanis, invidia, ira, avaritia, tristitia, ventris ingluvies, atque luxuria.* Theodulfus in Capitulari eadem,

Ibid. cap 142.

de Div. offic. c. 13. T. 10. Bibl Patr.

cap. 31.

Ibid.

Capite de cōfessione poenitentis T. 10. Bibl Patr. p. 29. c.

de Divin. offic. in cap. jejun. T. 10. Bibl. Patr. p. 239. c.

sed

ſed aliò ordine numerat, vocatque principalia vitia, *gaſtrimargiam hoc eſt ventris ingluviem, fornicationem, acidiam ſive triſtitiam, avaritiam, vanam gloriam, invidiam, iram, ſuperbiam*, quibus recenſitis, *Quando ergo quis* (inquit) *ad confeſſionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occaſione peccatum perpetraverit, quod peregiſſe ſe confitetur; & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei perſuaderi, ut & de perverſis cogitationibus faciat confeſſionem. Debet ei etiam injungi, ut de 8. principalibus vitiis faciat ſuam confeſſionem, & nominatim ei debet ſacerdos unumquodque vitium dicere, & ſuam de eo confeſſionem accipere.* Baronius hæc Theodulfi capitula in a. D. 835. conjecit. Ego, ut Sirmondo aſſentior, maturius fuiſſe condita, quam ponit Baronius; ita ſerius, quam ipſe collocat, exiſtimo, qui ea ad a. D. 797. refert. Guiberto enim in Aurelianenſi Epiſcopatu ſucceſſiſſe a. D. 804. Theodulfum narrant. Iam hoc Capitulare ab Epiſcopo factum conſtat. Cum autem in ea dignitate ad ann. 818. permanſerit, putaverim hoc opuſculum ab ipſo conditum poſt ann. 813. quo Synodus Cabilonenſis II. habita eſt; quod ex hac ſcilicet & hoc, quod recitavimus, & quædam alia mutuatus eſſe videatur. Hæc ergo fuit illorum temporum diſciplina, à veteri, ut liquet, ſublapſa, & interpolata, & quodammodo miſcella; partim ad priſcos canones, *quatenus publicam pœnitentiam retinet*, partim ad ſæculi ipſius morem attemperata.

Capit. Theod. c. 31. T. 2 conc. Gall. 219.

Ad cap. Theod. T. 2. Conc. Gall. p. 682. extr.

Caput XLII.

Aperiuntur VII. inter hodiernam Innocentianorum, & mediam illam noni ſæculi pœnitentiam ac confeſſionem diſcrimina; ſeptimum inprimis obſervandum, in eo ſitum, quod hi etiam ſine ſacerdotali judicio pœnitentibus peccata remitti à Deo putarunt; unde exſurgit XXVIII. contra Innocentianam confeſſionem argumentum.

Atque hæc ego fuiſſe confiteor novitiæ adverſariorum ab Innocentio poſtea conſtitutæ diſciplinæ prima veluti rudimenta. (Ex his enim initiis paulatim efformatam eſſe iſtorum confeſſionem conſtat) ipſam plane penituſque fuiſſe hodiernam diſciplinam nego. Multa diſcrimina inter utramque animadvertere licet. Primò quam adverſarij ſuſtulerunt *publicam pœnitentiam*, eam iſti noni ſæculi antiſtites ſedulo retinebant; & quæcumque publica erant crimina ea publicè multabant; ut nuper ex iis, quæ allata ſunt, didicimus. Quin & illud publicorum criminum ab occultis diſcrimen, publicæque adeò pœnitentiæ uſus

Cap. XLII. diu mansit, ut ex Ivone, & aliis patet undecimi sæculi scriptoribus; neque intercidisse ante videtur, quàm Innocentius III. privatæ confessionis necessitatem novo decreto sanxisset. Secundò ipsa etiam privata hominum noni sæculi confessio multis modis ab Innocentiana differebat. Primò enim licet eam magno, frequentique in usu tum fuisse ex superioribus constet, ex iisdem tamen non obscure colligitur non omnium, sicuti nunc est, sed plærorumque tantum fuisse. Nam & Alcuinus, & Haymo Halberstatensis apertissimè testantur fuisse tum, qui peccata sua sacerdoti confiteri nollent, dicentes *sibi sufficere ut soli Deo peccata sua confiteantur; si tamen ab ipsis peccatis in reliquo cessent.* Ita quoque Cabilonenses Patres; *Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata; quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent; quod utrumque non sine magno fructu intrà sanctam fit Ecclesiam.* Vides neutram sententiam damnari; utramque hactenus admitti, non ut utraque illa confessio æqualiter constituatur, sed tantùm ut & hujus, & illius fructus sui, & quidem magni esse confirmentur. Quin & inter eos ipsos, qui sacerdoti *confitenda esse peccata percensebant*, notant iidem Patres fuisse quosdam. *qui non plenè id facerent*, id est qui non omnia confiterentur. Id quidem illi Patres *emendatione egere* dicunt; sed nulla tamen graviori censura perstringunt, neque, ut hodie adversarij, sub anathematis pœna vetant, aut eos, qui sic instituebant, salutem æternam consequi posse negant. Tum *privata* illa *confessio* nulla tunc publica, aut universali lege, ut nunc, fiebat; sed singulorum spontanea voluntate sumebatur, assentientibus & approbantibus ministris. Nam Rabanus suprà *occulta peccata spontanea confessione presbyteris, & Episcopis revelata fuisse* dicebat; *spontanea* autem illa *confessio* non fuisset, si ex publicæ & universalis legis jure facta esset. Neque sanè quod sciam, ulla istorum temporum lex Innocentianæ similis invenitur, quâ omnes fideles peccata sua omnia sacerdoti confiteri jubeantur. Nam Cabilonensis canon eos quidem, qui confitentur, plenè confiteri jubet; Omnes *confiteri*, non jubet. Rei modum, si fiat, definit; rem ipsam ab omnibus necessariò fieri deberenon statuit; *Sed & hoc* (inquiunt illi Patres) *emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus non plenè id faciunt. Supponunt* (ut vulgo loquimur) multos peccata sua sacerdotibus confiteri; omnes, non *supponunt*; neque qui confitebantur; quô jure confessi fuerint, explicant, vel definiunt; an ex aliqua lege sive divina, sive Ecclesiastica, an ex spontanea devotione majoris utilitatis gratiâ. Tantùm decernunt qui confitentur, quocumque jure id fecerint, plerè confiteri debere. Eademque est eorum ratio, quæ nuper ex Theodulfi capitulari descripsimus. Tertiò. Multò nunc accuratior, ac morosior est in enumerandis singulis peccatis, quàm quæ tunc erat, confitentium diligentia. Nunc enim etiam minimæ omnium & singulorum peccatorum (ut sic dicam) atomi excutiuntur, ac expenduntur; ut ex

Conc. Cabil. 2. c. 33.

Alc. Ep. 26. Haym. in Evang. dom. 11. post Pentecost. Ibid. c. 32.

L. 2. de instit. cler. c. 30.

Conc. Cabil. 2. c. 32.

ut ex hodiernis confessariorum instructionibus notum est, in quibus per singula legis divinæ, Ecclesiastícæque capita itur. & quid in unamquamque non modo peccetur, sed etiam peccari possit, anxie percensetur. Illi veteres rudiores adhuc crassiori Minerva rem exequuntur; ac de octô tantùm illis suprà memoratis vitiorum capitibus interrogari confitentes volunt; præter quæ, ut omnes vident, multa alia sunt peccata, & quidem omnia, quæ in Deum propriè, ac in priorem Decalogi tabulam committuntur, quorum nullum istis octô vitiis propriè continetur. Sed istam segetem posteri longè diligentius excoluerunt; ut ex Burchardi decretis patet, qui undecimo sæculo scribens, non de octô tantùm illis vitiis, sed de omnibus ferè peccatis confitentes interrogat; tantâ inverecundia, ut etiam ea flagitia, quæ nomine carent, obscœno verborum circuitu apud mulieres, (quò eas scilicet pudicitiam atque honestatem doceat) describere non vereatur. Quamquam & ipsa illa turpitudinis, atque impudentiæ tirocinia nihil pœnè sint præ iis, quæ de eodem hoc argumento otio abundantes monachi post Innocentianum decretum, maximeque nostra & patrum memoria Iesuitæ, omnium retrò confessariorum facilè principes, flagitiosissimè commentati sunt. Quartò illud quoque cernitur inter adversariorum hodiernam, & veterum noni sæculi disciplinam discrimen, quod quæ hodie confessio ad unam sacerdotis absolutionem ordinatur, ea tunc maximè fiebat, ut lapsi à sacerdotibus discerent quâ ratione instituenda esset pro singulis admissorum generibus pœnitentia ad veniam à Domino consequendam; ut non tam *Sacramentum* fuerit, quàm utilis quædam peccatoris cum sacerdote cōmunicatio; quod *confessionis* genus à sua *Sacramentali* & Estius, & Maldonatus, & cæteri adversarij longissimè semovent. Clarissima sunt in hâc rem & Cabilonensium Patrum, & Theodulfi Aurelianensis Episcopi verba; dum confessionem, quæ fit apud sacerdotem, ab eâ, quæ fit apud Deum distinguunt. Sic enim Theodulfus; *Confessio, quam sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, quià accepto ab eis salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ observationibus, sive mutuis orationibus, peccatorum maculas diluimus. Confessio verò, quam soli Deo facimus, in hoc juvàt, quia quantò nos memores sumus peccatorum nostrorum, tantò horum Dominus obliviscitur; & è contrario, quanto nos obliviscimur, tanto Dominus reminiscitur, dicente Propheta*; Et peccatorum tuorum non memorabor. *Tu autem memor esto, quod David Propheta se fecisse testatur, cùm dicit*, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper. Patrum Cabilonensium eadem est sententia. Præfati enim, quod nuper recitavimus, *quosdam dicere Deo solummodò confiteri debere peccata, quosdam sacerdotibus confitenda esse percensere*, ipsi *utrumque* aiunt *non sine magno fructu intra sanctam fieri Ecclesiam. ita duntaxat* (inquiunt) *ut & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus*, Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiã meam

Cap. xlii.

cap. 10. T. 2. Conc. Gall. p. 219.

Conc. Cab. II. c. 33.

Psal. 31.

Cap. XLII. non abscondi. Dixi confitebor adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei; *& secundùm institutionem Apostoli,*
Iac. 5. 16. *confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem, ut salvemur. Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata; ea verò, quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis, & sanitatis auctor, & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione; plerumque medicorum operatione.* Hæc illi; quibus clarissimè definiunt confessione, quæ fit apud Deũ, peccata purgari, remittique; quæ fit apud sacerdotem, *doceri qualiter ipsa purgentur peccata*: quô nihil potuit magis alienum dici ab adversariorum dogmate, qui solâ *confessione*, quæ fit sacerdoti, peccata remitti, purgarique volunt; eamque eô propriè institutam esse contendunt; non autem simpliciter ad hoc, ut à sacerdote discant confitentes, quô modô, quave ratione peccata purgentur. Sed & illius Theodulfi, ac Cabilonensium doctrinæ certissima apparent vestigia in ipsa sacerdotum illius temporis praxi, quæ apud Pseudo Alcuinum, & in Ordine Romanô fusè explicata legitur. Primò enim sacer-
de Div. offic. in cap. jejun. T. 10. Bibl. Patr. p. 239. 240 241. * p 241 b. dos de confitentis peccatis sedulò ex octo illorum vitiorum ordine inquirere jubetur. Tum jejunare * unà *cum confitentibus pro eorum erratibus: Nemo enim* (inquit Alcuinus) *potest jacentem sub onere sublevare, nisi inclinaverit se, & porrigat ei manum*; quod quidem nondum didici ab ho-
Ibid. c. diernis Romæ confessariis observari. Mox jubet sacerdotem *dare peccanti consilium; simul quoque dare illi pœnitentiam statim, quantum debeat, jejunare, & redimere peccata sua, ne fortè* (inquit) *obliviscaris quantum eum oporteat abstinere.* Tum confitentem humillimè procumbere vult, &
Ibid d. *sacerdotem hanc orationem dicere. Domine Deus omnipotens propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, & reliqua. Deinde jubeat* (inquit) *eum sacerdos sedere contra se, & colloqui cum eô de supradictis vitiis* (octô scilicet illis) *sive exhortationibus divinis, ne forte pro verecundia aut ignavia, sive oblivione aliquid putidum in corde remaneat, per quod iterum Diabolus eum ad vomitum peccati reducat. Consideret etiam sexum, ætatem, conditionem, statum, personam, & secundùm hoc, ut sibi visum fuerit, singula quæque dijudicet, id est, aliquos à cibis abstinendo, alios eleemosynas dando nonnullos sæpius flectendo genua, sive in cruce stando, aut aliud aliquid hujusmodi, quod ad animæ salutem pertinet*; denique pro diversitate status, ætatis, sexus, ingenij, animi, valetudinis, vitiorum, diversas (ut vocant) satisfa-
Ibid p. 243 c. ctiones injungendo; quæ fusè persecutus. *Post ista* (inquit) *omnia scrutata, & pœnitentem corroboratum, interrogat eum sacerdos, dicens, Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum*; Respondeat *pœnitens, Credo, &c. Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt, omnia, ut & tibi Deus dimit-*
Ibid. d. *tat peccata tua, &c. Si vult dimittere, suscipiat ejus confessionem, & indices ei pœnitentiam. Si non vult, non suscipias ejus confessionem.* Post hæc peccatorem delicta confessum, *fixis* in terram genibus, suppliciter tensis manibus, blando ac flebili vultu respicere sacerdotem jubet, ac dicere

Multas

Multa quidem & innumerabilia sunt alia peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, in dictu, & cogitationibus, pro quibus omnibus misera mens mea compungitur, & acri interdum pœnitentia cruciatur; ideoque consilium, imò judicium tuum, qui sequester ac medius inter Deum, & peccatorem hominem ordinatus es, supplex deprecor, & ut pro eisdem peccatis meis intercessor existas, humiliter imploro. Quô dicto totum se in *terram prosternit*; *gemitus, atque suspiria vel lacrymas, pro ut Deus dederit, ab intimo cordis producit*. Tum sacerdos eum aliquantisper prostratum jacere passus, erigit; Ille erectus in pedes *cum tremore & humilitate* (inquit) *præstolatur judicium sacerdotis*, & *indicat ei sacerdos abstinentiam, sive observantiam, perpendens subtiliter personæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem, vel imbecillitatem. Percepta autem sententia sacerdotis iterùm prosternat se sacerdotis pedibus, ejus petens pro se orationem fieri, ut suggerat ei divina visitatio virtutem constanter observandi quæ illi injuncta sunt, & ita reverenter sacerdotis judicio obtemperare, ac si ab ipso divinæ majestatis ore opportuna salutis suæ medicamenta suscepisset*. Mox paucis interjectis de pœnitentiæ efficacia; *Post hæc verò* (inquit) *dicat sacerdos super eum has orationes*; *Exaudi Domine preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis*. *Alia. Preveniat hunc famulum tuum, quæsumus, Domine, misericordia tua*, pluresque alias ejusdem generis exempli caussa attexit. *Quibus dictis jubeat sacerdos pœnitentem surgere de terra*; *sed & ipse surgat de sedili suô, & si locô vel tempori congruit, ingressi Ecclesiam, vel super genua, vel cubitos uterque innixus, decantent Psalmos, Domine ne in furore tuô*, & aliquot alios. Hæc Pseudo Alcuinus. In Ordine Romanô pœnè omnia eadem sunt; nisi quod aliqua pleniùs ac fusiùs ibi habentur. Iam aliis missis, illud nunc unum in his observamus sacerdotem nusquam confessum à peccatis absolvere, vel illa, quæ hodiè solennia sunt, usurpare, *Absolvo te à peccatis tuis*; sed hæc tantùm præstare; primò confitentem audire; tum interrogare, & de fide, & de præteritis peccatis, & de præsenti animi dispositione; mox *pœnitentias*, vel *satisfactiones* ei injungere, earumque modum, ac tempus statuere; denique preces pro eôad Deum fundere. Sed neque in ipsa pœnitentium reconciliatione, quæ post impletam ab iis satisfactionem, ut plurimum *in Cœna Domini* (ut loquuntur) fieri solebat, sacerdotem peccata iis prætoria quadam auctoritate remittere videmus, sed humili prece atque supplicatione eam ipsis à Domino poscere, atque exambire; ut constat ex vulgato Alcuini nomine libro *a*, & ex Halitcharij Cameracensis à Menardo edito Pœnitentiarij operis postremo volumine *b*, & ex multo vetustiori Gregorij Sacramentario *c*, quod idem Menardus ex antiquissimo codice publicavit. Isque mos diutissime apud Christianos, etiam in Occidente mansit. Certè ex Thomæ opusculis apparet quemdam Doctorem hac de re cum eo contendisse, asserentem *formam absolutionis deprecatoriam esse, & vix triginta annos esse, quod omnes hac sola forma utebantur*, Absolutionem & remissionem tribuat

Cap. XLII. ibid. e. ibid. p. 144. a. Ibid. c. in 4. feriquadr. in cap jejun. p. 17. a in Cœna Domini p. 148 T. 10. Bibl. Patr. b Not. ad Sacram. Greg. p. 141. c 226. Orat. ad reconc. pœnit. Thom. opusc. 22.

Cap. XIII. buat tibi omnipotens Deus. Thomam autem sæculo decimotertio & natum, & mortuum esse notum est. Et Goar testatur *plures jam liberrime asserere, tenaciter propugnare, clare docere, & fœliciter scribere, indicativam illam suis solennem reconciliandi formam*. Absolvo te à peccatis tuis, *quatuor circiter sæculorum ætatem forsitan non superare, & antiquam in Ecclesia Latina absolutionis formam deprecativis verbis compositam fuisse*, quantum *ex Ecclesiastica historia, Ritualibus antiquis, traditione, aut aliis non excipiendis testimoniis conjicere licet.* Quæ si vera sunt (& sunt sane verissima) apparet spuriam esse & à recentioribus ex novo sui dogmatis ingenio, *Ordinis Romani* scriptori afflictam illam quæ nunc in ejus vulgatis libris legitur, absolvendi formulàm, *Nos etiam secundum auctoritatem nobis à Deo commissam absolvimus vos omni vinculo delictorum vestrorum, ut mereamini habere vitam æternam.* Neque id mirum cuiquam videri debet; cum hujus generis librorum, qui ritus & res in quotidiano usu positas continent, id fere sit fatum, ut à posterorum temporum hominibus ad sui ævi consuetudinem accommodentur, iis vel detractis, vel adjectis, quæ ætas vel abolevit, vel instituit: quod in hoc Ordinis Romani codice factum esse ita perspicuum est, ut Hugo Menardus diserte monuerit in eo libro, *etsi antiquo, quædam fuisse partim immutata, partim addita.* Itaque, ut ad rem institutam redeamus, cum hæc fuerit Theologorum noni sæculi in administranda pœnitentia praxis, inde clarissime elucet eorum de confessione plane hanc ipsam fuisse sententiam, quam Cabilonensium verbis expressam nuper repræsentavimus, nimirum *confessione quæ sacerdoti fit, doceri qualiter purgentur peccata*; id est quâ apud Deum pœnitentia, quibusque precibus eorum remissio obtineatur, eam adeò non à sacerdote, ut nunc, sed à Domino ipso eoque solo exspectatam fuisse; quod & satis diserte habetur in quadam sacerdotis pro confesso oratione; *Domine Deus noster* (inquit) *qui peccatis nostris offenderis, satisfactione placaris, respice quæsumus ad hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. TUUM est enim ablutionem criminum dare & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle, quàm mortem.* Ergo quæ istic de *sacerdotis judicio*, atque *sententia* occurrunt, non de *absolutionis sententia*, quæ nulla neque apud Pseudo-Alcuinum, neque apud Gregorium, aut Halitgarium, extat; sed de *satisfactionis*, sive *pœnitentiæ injunctione* pro caussis, & statu pœnitentis ex arbitrio sacerdotis præscriptæ, evidentissimè accipienda sunt. Eodemque pertinet, quod ajunt *sacerdotem sequestrum, ac medium inter Deum & peccatorem esse ordinatum*; His enim verbis sacerdotum ministerium, non in ferenda prætorio jure de reo sententia, sed in offerendis pro eo precibus, præscribendaque ut ad Deum admittatur, pœnitentia, significari, vel ex hac ipsa sacerdotis oratione quæ initio habetur, manifestum est, *me* (inquit Deum alloquens) *indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis officii, & me exiguum, humilemque, mediatorem constituisti ad ORANDUM & interce-*

Not. in Euchol. p. 576.

de Cœna Domini. p. 60. d.

Not. ad Sacr. Gregor. p. 231.

Ord. Rom. in c. jeiun. p. 31. b.

Ibid. p. 17. e.

tercedendum Dominum Deum nostrum Iesum Christum pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus. Quintò; aliud etiam, quod ex his necessariò consequitur inter utramque, veterum scilicet illorum, & hodiernam adversariorum confessionem, discrimen emergit. Hi enim soli sacerdoti, cujus scilicet unius proprium absolvendi jus esse volunt, hoc concedunt, ut reorum confessiones in tribunali suô audiat; neque apud alium peccata cõfiteri *sacramentaliter* fas esse putant. Veteres verò illos etiã diaconis id juris absente presbytero, permisisse disertè tradit Pseudo-Alcuinus; *Si autem necessitas* (inquit) *evenerit, & presbyter nõ fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentiam, ac det sanctam communionem.* Sed & sextò eô etiam differre utramque disciplinam clarum est, quod veteres illi noni sæculi homines eam, quæ Deo soli fit, confessionem peccatoribus sedulo ac necessariò commendabant, quippè qui *eâ peccata purgari* existimabant; *Omni etenim die* (inquit Theodulfus) *Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quantò amplius possumus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta*, Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non abscondi: Dixi, confitebor adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Hi verò nostri scholæ Romanæ hodierni Doctores hanc apud Deum solum confessionem parvi faciunt; neque aliter apud Deum confiteri jubent, nisi quatenus qui sacerdoti confitetur, eum quoque Deo, cujus sacerdos scilicet vices gerit, eadem operâ confiteri putant. Eam verò confessionem, quæ soli Deo fit, nullius esse putant ad obtinendam remissionem efficaciæ; nisi fortè quatenus *satisfactio* quædam est; & Bellarminus supra negabat *promissionem de remittendis peccatis iis, qui confitentur Deo peccata sua, videri ullam exstare in divinis litteris.* Quod vero idem alibi ait *eam confessionem, quæ soli Deo fit, frequentare omnes laicos tum viros, tum fœminas, à Pastoribus admoneri*, id inquam, ideo fit, quod sic Deo *satisfieri*, ut loquuntur, non quod ita *remissionem peccatorum* percipi posse putant; quam à quoquam sine vocali apud sacerdotem confessione haberi negant. Septimò denique ingens, ac præcipuum inter utriusque temporis confessiones discrimen ex eô deprehenditur, quod veteres illi noni sæculi antistites sine privata illa sua confessione peccatorum remissionem solâ apud Deum confessione à fidelibus impetrari posse sentiebant, quod nunc adversarij fortiter omnes negant. Primò enim omnes illi in ea sententia clarè ac necessariò erant, qui quod ait Haymo, *dicebant sibi sufficere, ut soli Deo peccata sua confiterentur*, vel, quod tradunt Cabilonenses Patres, *solummodo Deo confiteri debere dicebant peccata.* Qui & eorum sensus fuit, qui *dum peccata sua confitebantur sacerdotibus, non planè id faciebant.* Neque enim credibile est istos peccata sacerdoti non fuisse revelaturos, nisi etiam sinè hac revelatione peccata à Domino nihilosecius remitti statuissent. Ergo cùm quosdam illis temporibus fuisse constet qui ita de confessione apud sacerdotem sentirent; clarum est non omnes illius Ecclesiæ homines

Cap. XLII.

Vb. sup. p. 141. d.

cap. 30. T. 2. conc. Gall. p. 219.

Psal. 31. 5.

L. 3. de pœnit. c. 4. §. Accedit.

Ibid. c. 11. §. In hac prima.

mines

Cap. xlii. mines coactos fuisse credere sine illa apud sacerdotem confessione nullam esse apud Deum peccatorum remissionem. Sed & illos ipsos, qui putabant sacerdoti, & quidem de omnibus peccatis confitendum, non aliter tamen, quàm hos, de peccatorum remissione illis temporibus existimasse manifestum est. Nam Pseudo-Alcuinus qui in illis, ut supra ostendimus, fuit, nihilosecius ita scribit; *Quapropter oportet ad pœnitentiam accedere cum omni fiduciâ, & ex fide credere indubitanter, pœnitentia aboleri posse peccata, etiamsi in ultimo vitæ spiritu, commissa pœniteat, & publicâ lamentatione peccata prodantur, quia non vult Deus mortem peccatoris, sed ut salvatus miseratione Dei vivat. Nam secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus; quotidiana verò, leviaque peccata, sinè quibus hominis vita non ducitur, Dominica oratione purgantur, quorum est dicere*, Dimitte nobis sicut & nos dimittimus. Vides istum sensisse & levia oratione dominica, & gravia, mortaliaque satisfactione, licet secreta, solvi.

vb. supr p. 244. b.

Conc. Cab 2. c. 33. Neque aliter Cabilonenses Patres, *Confessio*, inquiunt, *quæ Deo fit, purgat peccata*. Tum, *Deus namque salutis & sanitatis auctor & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque medicorum operatione*. Ajunt *salutem, & sanitatem*, quæ ut notum est, sinè peccatorum remissione nulla est, interdum *medicorum* (id est, ut liquet, sacerdotũ) *operatione*, hoc est precibus, & salubris pœnitentiæ injunctione *præbere* Deum; interdum verò *suæ potentiæ invisibili administratione*, id est per se, arcanâ Spiritus ac providentiæ vi, sinè sacerdotis opera, (quæ sanè *invisibilis* non est) & (ut Bedam suprà locutum memini) Dominum vitia per

hom. de dec. lepr. *semet ipsum, interius in conscientia & intellectu sanare & corrigere*. Idem est eorum sensus, quæ nuper ex Theodulfo recitabamus, *Confessio verò* (in-

cap. 30. ub. supr. quit) *quam soli Deo facimus, in hoc juvat, quia quantò nos memores sumus peccatorum nostrorum, tantò horum Dominus obliviscitur*. Quorum autem obliviscitur, ea remittit; Ergo remitti ab eo censet Theodulfus, quæ apud ipsum solum confitemur. Neque sanè si sapiebant, aliter isti judicare poterant; qui clarè statuunt, ut paulò antè demonstravimus, *confessionem* apud ministrũ eò esse utilem, quod *per eam docemur, qualiter peccata purganda sint*. Vnde necessariò sequitur, nos si id per nos & sciamus, & reapse præstemus, remissionem sive purgationem peccati sinè illa apud ministrum confessione consecuturos; Qualiter sine medicorum opera sanari, & convalescere eos nihil prohibet, qui vera morborum suorum remedia, & noverunt ipsi, & ea per se adhibuerunt. Denique non putasse istos absque sacerdotis absolutione haberi nõ posse peccatorum remissionem, etiam ex eo constare potest, quod ex Pseudo-Alcuino nuper didicimus; pœnitentes scilicet, etiam à diacono, si abesset presbyter, communionem illis temporibus accepisse. Atque hanc quidem fuisse istorum de privata illa confessione sententiam certum est; planè, ut liquet, ab adversariorum dogmate diversam.

Capvt XLIII.

Erroris ex illis initiis progressus sequentibus post nonum ad decimumtertium usque sæculis. Ne tum quidem sic invaluisse, ut non multi essent, qui peccata contritis à Deo, etiam à nullo sacerdote absolutis, dimitti crederent. Id probatur testimoniis Goffridi, Lombardi & Gratiani; quæ ab Estij & Gregorij accusatione vindicantur. Bellarmini crassi quidam errores obiter castigantur. Idem secundo probatur Thomæ, Bonaventuræ, & Antonini testimonio. Maiuri in Antonino error, & impudentia arguitur, & refellitur. Ex quibus omnibus existit XXIX. ex veteribus argumentum contra confessionem Innocentianam.

Cæterum, quod eam homines viderent & ab antistitibus magnopere commendari, & passim fere ab omnibus promiscuè clericis, laïcisque usurpari, ac observari, & quidem eò sæpiùs ac diligentius, quò quisque sanctior vel esset, vel certè videri vellet; facile, ut fit, in eam opinionem multi delapsi sunt, ut quod in plurimo usu esse videbant, id necessarium quoque esse crederent, neque quemquam eò carere posse existimarent, quod pænè ab omnibus desideraretur. Hinc paulatim illa de hujus instituti necessitate opinio, quâ præcipuum illius virus, maximeque capitalis pernicies continetur, proserpere, ac dimanare in Christianorum mentes, Theologorumque scholas cœpit. Neque tamen omnium animos vel statim, vel brevi tempore, pervadere ac occupare potuit; quod scilicet veritatis crasso huic errori oppositæ clarissima, luculentissimaque extarent tum in divinis litteris, tum in Patrum libris documenta; ut ex iis cuivis constare potest, quæ hactenus disputavimus. Tantaque vis veritatis fuit, ut ea totis illis quatuor sæculis, quæ à nono ad decimumtertium fluxerunt, vel ex doctorum hominum animis, scholisque, & libris profligari, vel error oppositus planè, & universaliter constitui nequiverit. Tametsi enim fuisse multos istis temporibus non negem, qui confessionem apud sacerdotem ita necessariam putarint, ut sinè eâ remissionem peccatorum haberi nō posse crediderint; apparet tamen & non paucos iisdem sæculis extitisse, qui contrariam sententiam, id est veram defenderent. Ex Goffrido Vindocinensi supra recitavimus fuisse eo tempore (id est vel undecimo desinente, vel ineunte duodecimo sæculo) Gulielmum quemdam, virum doctum, qui diceret *solummodo quatuor peccata confessione indigere, errorem videlicet gentilem, schisma fraternum, hæreticam pravitatem, & Iudaïcam perfidiam*; quod Goffrid. l. 5. Ep. 16.

CAP. XLIII. iis universalis Ecclesiæ castitas commaculetur; *cætera autem peccata à Domino sine confessione sanari*; quam ille sententiam ex luculentissimo Bedæ loco sic defendebat, ut in eo solvendo frustra fuerit Goffridi cavillatio: quod satis, ni fallor, ad Bedam supra demonstratum est. Idem quoque clarissimè probatur ex Petro Lombardo, quem vulgo *Magistrum Sententiarum* vocant, quemque constat anno sæculi duodecimi circiter quadragesimo quinto scripsisse. Is enim proposita hæc quæstione, *Vtrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri sacerdoti*, hæc statim subjicit, *Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sinè judicio sacerdotali, & confessione Ecclesiæ.* Mox istorum fundamenta ex Scripturis, & Patribus exponit; Tum, *His* (inquit) *auctoritatibus innituntur, qui sufficere contendunt Deo confiteri peccata sinè sacerdote. Dicunt enim quod siquis timens detegere culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alij suo exemplo ad peccandum accingantur, & ideò tacet homini, & revelat Deo, consequitur veniam.* Ipse quidem fateor, diversam opinionem, (id est errorem) sequitur; & conatur objectis rationibus satisfacere, aliasque pro suo dogmate opponit, fluxas & futiles; in quibus nihil nunc necesse est immorari, cùm quæcumq; ille habet in alterutram partem & multo etiam plura supra abunde expenderimus. Nunc id unum mihi satis est, quod ex hac istius disputatione patet ne tum quidem id est penè jam vergente duodecimo sæculo, defuisse, quibus videretur sola apud Deum confessio sine sacerdotis judicio ad obtinendam peccati remissionem satis esse. Istos enim Lombardus Catholicos à se censeri eò satis testatur, quod nullâ eos hæreseos, vel schismatis notâ aspergit; quod indubie non erat omissurus, si illius sententiæ auctores pro non Catholicis habuisset.

L. 4. Sent. d. 17.

Idem etiam, & quidem luculentiùs testatur Gratianus, juris Pontificij celeberrimus collector, Lombardi σύγχρονος, qui etiam hodie in Canonicis adversariorum scholis regnat. Is enim initio longissimi de pœnitentia tractatus statim ita quærit, *Vtrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione absque oris confessione quisquam possit Deo satisfacere*; Tum, *Sunt enim* (inquit) *qui dicunt, quemlibet criminis veniam sinè confessione Ecclesiæ, & sacerdotali judicio posse promereri.* Ergo & hujus ætate fuisse vides qui sic sentirent. Mox istorum sententiam plurimis Scripturæ & veterum Patrum dictis in consequentibus confirmat. Sed & oppositæ opinionis, quæ negat cuiquam remissionem sine vocali apud sacerdotem confessione contingere, firmamenta ex altera parte explicat; perductaque huc usque disputatione, ipse quidem nihil definit; sed rem totam lectoris arbitrio permittit, *Quibus* (inquit) *auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis, & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Vtraque enim fautores habet sapientes, & religiosos viros.* Hæc Gratianus; quem Estius *de hac re non habuisse fixam sententiam*

de pœn. d. 1.

Ibid. c. 89. Quamvis.

In 4. d. 17. § 7. Ad undecim.

tiam; Gregorius Valentianus* *errasse, atque hallucinatum esse, dicunt.* Stultè uterque, & planè præter rem. Non enim nunc quæritur vera-ne sit illa sententia, an secùs; item habuerit-ne multos auctores, an non (quod utrumque satis ex iis, quæ hactenus diximus liquet.) Quæritur tantum an sæculo duodecimo definitum inter Christianos fuerit id, quod isti nunc nobis prò necessario fidei articulo venditant, *sinè vocali confessione haberi non posse peccatorum remissionem?* Gratianus rem utrimque ventilatam in medio relinquit; lectoris judicio reservat, cui harum sententiarum potiùs adhærendum sit; Ait *esse qui dicunt quemlibet criminis veniam sinè confessione Ecclesiæ, & sacerdotali judicio posse promereri*; denique affirmat & hanc, & illam partem *fautores habere sapientes, & religiosos viros.* Obsecro tuam fidem; nonne isti egregij sunt, & mirabiles disputatores, qui respondent vel inconstanter sensisse, vel errasse Gratianum? Atqui si *is de hac re* (quod ait Estius) *fixam non habuit opinionem*; quis non videt nondum ergo ullam eâ de re fuisse *fixam* & constitutā definitionem? quam, si ulla tum fuisset scilicet, Gratianus neque nescivisset, neque profectò repudiasset, vel in medio reliquisset: nisi fortè Estius se nobis persuasurum putet, tam cæcum, tamque imperitum, ac stupidum fuisse juris sui collectorem, Canonistarumque apud scholas Romanas regem, ut ignoraverit quid summi Romæ Pontifices, quorū iste non postremus Gnatho fuit, quid omnes universæ Ecclesiæ antistites suâ memoria hoc dè argumento sentirent, atque sequerentur. Eadem est Gregorij vanitas; qui hominem *hallucinatum* respondet. Si in quæstionis ipsius veritate perspicienda aberrasse intelligit; nihil ad rem dicit. Neque enim nunc id agitur. Sin ait non vidisse quæstionem vel ab Ecclesia universa, vel certè ab Episcopô Romanô fuisse definitam, neque intellexisse omnes sui sæculi doctores eandem ejus partem, confessionis scilicet necessitatem, nemine ex Catholicis repugnante, pariter defendisse; frustrà est, qui tantum in Gratiano stuporem cuiquam credibilem futurum sperat, frustrà, qui putat nos adeò fungos esse; ut de iis quæ Gratiani ævô in Ecclesia docebantur, minùs fidei ipsi narranti, atque asseveranti habituri simus, quàm uni Iesuitæ homini nudiustertius nato. Sed ista est solennis Iesuitarum inverecundia; Omnia illi sciunt, & singula melius absentes intelligunt, quàm ij qui rebus ipsis intersunt, earumque pars magna sunt. Gratianus affirmat *esse* & quidem *sapientes*, & *religiosos* viros, qui etiam, alteri quæstionis parti (scilicet *quod non sit necessaria confessio*) *faveant.* Gregorius, penè quadringentis annis post Gratianum natus negat ullos fuisse. Quæso, utri potius credemus? Sed & hîc obiter notanda est Bellarmini oscitantia. Gratianus hanc, ut dixi, quæstionem in medio relinquens, subjicit, *Unde Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus ait in Pœnitentiali suô, Quidam Deo solummodò confiteri debere peccata dicunt, ut Græci; quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia; quod utrumque non sinè magno fructu intrà*

Cap. XLIII.

* T. 4. in Thom disp 7. q. 9 puncto. 1.

CAP. XLIII. *sanctam fit Ecclesiam*; & cætera planè, (si duas, tresve vel additiones, vel mutationes exceperis) eadem cum illis, quæ jam aliquoties in superioribus in Cabilonensis Concilij secundi capite tricesimo tertio attulimus. Bellarminus in sola illa verba, *ut Græci*, quod ea caussæ suæ incommoda esse videret, Criticen suam exercet. Itaque ea expungi jubet; *irrepsisse enim è margine in textum*; *neque haberi* vel in *ipso capitulari Theodori*, *vel in secundo Concilio Cabilonensi. unde Theodorus capitulum illud accepisse videtur, sed neque Magistrum sententiarum d.* 17. *eandem sententiam adducentem, addidisse illud*, ut Græci. Hæc ille: Tu jam quæso, specta hominis fidem, frontem, sapientiam atque diligentiam. Primò quod ait hæc verba *ut Græci* è Gratiani margine in ejus textum irrepsisse à sciolo aliquô perperam annotata; qui stare potest, cùm & Burchardus, & Ivo multis annis Gratianô antiquiores, & è quibus ille hunc locum descripsit, ut alia innumerabilia, duo itidem illa verba *ut Græci* æquè ac ipse Gratianus, uterque repræsentent? Tum quod hæc verba in ipso capitulari Theodori deesse ait; credo equidem. Nam qui vetus istius capitularis manuscriptum exemplar vidit & descripsit Reverendissimus Vsserius, negat in eô quicquam istorum omnium fuisse, quæ & à Burchardô & ab Ivone primùm, & nunc à Gratianô velut ex eô petita afferuntur. Verum ni fallor, dixerit, qui Bellarmino quidem numquam visum ullum verum ac genuinum Theodori exemplar, Burchardum verò & Ivonem, & eorum posteà exemplo Gratianum dixerit hæc velut ex Theodoro per errorem citasse; quod in eô codice, quô usi sunt, quique Theodori nomen præferebat, alia multa (ut in hujusmodi libris fieri solet) ejusdem argumenti sinè auctorum nominibus assuta essent, ac inter cætera ille etiam Synodi Cabilonensis, interpolatus canon. Hæc enim quæ istic habet Gratianus, ex illâ Synodo descripta, ac nonnihil immutata esse, nemo negaverit. Illud quidem certum; duo hæc vocabula *ut Græci*, quæ Bellarminum tam malè habuerunt, nulla in ea Synodo legi. Sed ille addit *Theodorum capitulum* illud ex *Conciliô illô secundô Cabilonensi accepisse*. Verùm ô bone, neque in Theodori pœnitentiali extat hoc capitulum; neque id Theodorus ex illa Synodô accepisse potest; qui anno Domini 690. mortuus est, annis 123. antequàm Caroli jussu anno Christi 813. cogeretur illa Synodus. Denique quod ait Bellarminus Magistrum eandem sententiam adducere in 4. distinctione 17. id liquidò falsum est. Neque enim hujus vel Theodori, vel Cabilonensium sententiæ meminit. Tantùm, quod suprà recitavimus, ait *quibusdam visum esse sufficere si soli Deo fiat confessio sine judició sacerdotali. & confessione Ecclesiæ*. Sed de his tam multis, tamque crassis in tantulô spatio Bellarmini peccatis satis; quæ jam antè annos quindecim à clarissimo, reverendissimoque Viro Iacobo Vsserio, Armachano in Hibernia Archiepiscopo pro merito castigata sunt in eruditissimo *de confessione* libello.

L. 3. de pœn. c. 5 §. ex quibus locis.

B. decret. 19. c. 145. Ivo decr. part. 15. c. 155.

Vsserius in libr Answere to à Challenge &c of Conf. p 107.

ub. supr p. 107. 108.

Sed, ut ad rem redeam, idem quod nos ex suprà memoratis Lombardi,

bardi, Gratianique locis colligit Thomas, ubi de hoc quæsito loquens, nimirum an *sufficiat peccata Deo confiteri*, *Magister* (inquit) *& Gratianus hoc pro opinione ponunt. Sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentiô III. factam, hæresis reputanda est.* Idem quoque sentit Bonaventura, Thomæ σύγχρονος (uterque enim anno Christi 1274. diem suum obiisse perhibetur.) Nam in hunc Magistri locum disputans, ait ante Innocentianæ determinationis tempus *hæreticum non fuisse* confessionis vocalis necessitatem negare; quod multi doctores Catholici ita sentirent, *ut ex Gratiano*(inquit) *apparet.* De Antonino Florentino Archiepiscopo, duobus post istos sæculis denato, quem & ipsum Romani Episcopi in Sanctorum (ut vocant) album retulerunt, paria vere tradit Alardus Gazæus. Sic enim ille ad Cassiani locum supra memoratum annotat; *Postquam* (inquit) *emanavit illa Decretalis*, Omnis utriusque sexus, (ea autem est Innocentij III. constitutio) *necesse est confiteri, si habet copiam, & potest. Tempore autem Ioannis Cassiani erat in opinione talis materia, videlicet si est necessaria confessio fienda sacerdoti?* Cùm autem solo Innocentij decreto effectum esse dicat, ut confessio necessaria sit, apparet eum putasse non solum Cassiani ævo, sed etiam secutis ad Innocentium usque temporibus, *talem*(ut loquitur) *materiam fuisse in opinione*, id est dubiam & problematicam, ita ut liceret utramvis quæstionis partem tueri, confessionisque necessitatem vel affirmare, quod facit Lombardus, vel negare, quod fecerunt teste Gratiano, *multi sapientes & religiosi viri.* Quod verò Iesuita quidam, nomine Maturus ait *Antonini verba non esse intelligenda de secreta apud sacerdotem confessione*; *numquam enim de eâ apud Catholicos dubium fuisse, quin ea esset ad salutem necessaria, sed hoc ad confessionem publicam, & quasi theatricam esse referendum*; hic ego non tantùm in Maturo istô *maturum*, quod ei adulans tribuit Alardus, *judicium, insignemque eruditionem*, sed etiam sensum ipsum communem, fidemque, ac pudorem desidero. Quis enim adeò stultus est, qui non videat Antoninum de eadem illâ confessione loqui cujus singulis annis necessitatem Innocentius omnibus fidelibus sua illa decretali imposuit? Ergo fatendum est, vel Innocentium publicam confessioné omnibus, & singulis Christianis quotannis minimum semel faciendam decrevisse, quod omnem stultitiam & insaniam superat, vel certè Antoninum intellexisse de secretæ confessionis necessitate antè Innocentij tempora dubitatum in Ecclesia fuisse, libereque de ea in alterutram partem sinè hæreseos, aut heterodoxiæ notâ judicatum. Adhæc vellem ut bonus iste Maturus nobis indicasset, unde-nam habeat quod in sua hac Antonini interpretatione supponit, dubium aliquando fuisse *apud Catholicos an publica & quasi theatrica confessio sit ad salutem necessaria?* Certè enim furere istos Catholicos & bacchari oportuit, si qui unquàm non dico censuerunt, sed vel levissimè suspicati sunt hujusmodi confessionem esse ad salutem necessariam. Tum si qui fuissent umquàm in hanc insaniam delapsi;

CAP. XLIII.

in 4. d. 17.

in 4. d. 17.

in Cass. collat. 20. c. 18. p. 774.

Ant. in Chr. part 2 tit. 11. §. 19. p. 464. B.

Mat. in Chronic. Ant. part. 1. pag. 441. c. col. 1.

ub. supr. col. 2

 quid ad eos faceret Innocentiana Decretalis, quæ non de *publica*, sed de *secreta confessione* decernit? Sed neque sane verum est unquam in rerum natura fuisse talia opinionum portenta; absit; imò ne ipsam quidem publicam singulorum peccatorum confessionem unquam in Ecclesiæ usu extitisse doctiores jam Maturi, Alardique symmystæ agnoscunt, nedum ut olim quenquam putent eam ad salutem necessariam censuisse. Ista, & alia hujusmodi Maturi, & Alardi, & similium, mera figmenta sunt; quorum Romanæ caussæ studium ita omnem & mentem, & sensum, & pudorem extinxit, ut nihil sit adeò stultum, aut delirum, quod non potius amplexentur, quàm ut veris cedant. Vnde liquet, quàm non modò falsum, sed etiam temerarium, atque impudens sit, quod iste Maturus contra disertissimas & Lombardi, & Gratiani, & Thomæ, & Bonauenturæ, & ipsius, cujus ille se interpretem profitetur, Antonini voces negat *unquàm de confessione secreta apud Catholicos dubium fuisse, quin ea esset ad salutem necessaria*; neque aliter hoc suum prodigium tueri potest, nisi fortè defendat ante Innocentianam decretalem non fuisse in orbe Catholicos; quod si fecerit, sequetur novitios sanè ac recentissimos esse suos *Catholicos*, ab annis scilicet non amplius quadringentis exortos.

CAPVT XLIV.

Fuisse etiam post Innocentianam decretalem, id est post annum 1215. *qui senserunt sine sacerdotali absolutione, adeoque & confessione, peccata fidelibus contritis remitti; idque probatur primò ex Viclef, & Ioanne Hus; secundò ex Semeca, Gratiani glossatore; Michaële Bononiensi, & Petro Oxomensi. Vnde existit XXX. contra Innocentianam confessionem argumentum.*

IMO Maturus iste, etiam si hoc, quod longè absurdissimum est, posueris, ne sic quidem evadet. Nam etiam post Innocentianam decretalem, anno, ut notum est, 1215. in Concilio Lateranensi conditam, ac promulgatam, non modò Ioannes Viclef anno 1372. confessionem sacramentalem palam oppugnavit, ut tradit Valdensis, & ex eo Bellarminus*; neque modo Ioannes Hussus anno 1412. in Concilio Constantiensi eam divinam, aut antiquam esse negavit, & ab Innocentio tertio *introductam* dixit; quos viros Maturus è Catholicorum censu haud dubiè expunctos fuisse affirmabit) sed alij quoque fuerunt quibus ne iste quidem *Catholicorum* nomen adimere potest, qui de confessionis necessitate dubitarunt. Nam in primis Ioannes Semeca, qui in omnium

Summ. de Sacr. l. 2. c. 115.
* L. 3. de pœn. c. 1 §. Postmodum.
Conc. Const. sess. 15.

manibus

manibus est, Gratiani interpres, sive *glossator*, istam oralis confessionis *necessitatem* apertissimè, fortissimeque rejecit. Ille enim in hæc Gratiani verba, *Alij è contrario testantur*, sic commentatur; *Ab hoc loco* (inquit) *usque ad sectionem*, His auctoritatibus, *pro alia parte allegat, quod scilicet adulto peccatum non dimittitur sinè oris confessione; quod tamen FALSUM EST.* Certè juris Papalis glossator istis, ni fallor, Catholicus est. Et is tamen confessionis necessitatem, non modò in dubiū vocat, sed etiam expertè præfracteque negat. Neque enim disertius negare potuit, quàm dum simpliciter scripsit, *falsum esse, adulto peccatum non dimitti sinè oris confessione*; quantumvis ad id adstruendum is, quem commentatur, auctor, multa eò ipso loco afferat. Sed neque hanc audaciam impunè tulit bonus ille Glossator. *Manriques* enim à Pio V. juris Canonici glossas recognoscere, ac repurgare jussus, hæc istius verba, *quod tamen falsum est*, delenda atque expungenda censuerat. Gregoriani verò illius operis correctores verba hæc, non quidem è codicibus glossatoris erasernnt, sed tamen hac in margine annotatione, velut tremendo obelo, confixerunt, *Imò verissimum, sine confessione in votò non dimitti peccatum.* Neque sanè Glossatorem mitiùs habere eos decebat, qui ne ipsi quidem auctori Gratiano pepercerunt. Nam ad ea ipsius verba, quæ nos nuper recitavimus, ubi se *lectoris judicio reservare* profitetur *utri sententiæ potius adhærendum* sit, negantiumne, an affirmantium confessionis necessitatem, *quod utraque fautores habeat sapientes, & religiosos viros*; ad hæc inquam verba Romani correctores, indignantes credo, tantum scelus Gratiano suo excidisse, in margine hæc annotant; *Certissimum est, & pro certissimo habendum peccati mortalis necessariam esse confessionem sacramentalem eò modo, ac tempore adhibitam, quo in Concilio Tridentino post alia Concilia est constitutum.* Ita ab istis nullo discrimine vapulat quisquis sacra sui Pontificis maximi placita perstringere audet, *Tros, Rutulusve fuat*, sive ex hæreticorum, sive etiam ex Catholicorum, sive recentium, sive etiam veterum censu fuerit. Sed nos nunc quidem, quid istis placeat non quærimus; quod à nobis supra satis fuit & explicatum, & confutatum. Quærimus quæ hominum fuerit qui antè ultimum hoc sæculum vixerunt, de confessionis auricularis necessitate sententia. Glossatorem certè eam negasse, imò vix tulisse, clarum est; qui ab auctore suo quædam pro eà in medium adducta legere non potuit, quin statim, ut lectori, credo, caveret, affirmaverit, *falsum tamen esse* quod illæ à Gratiano allatæ auctoritates suadere videntur, *scilicet adulto peccatum non dimitti sinè oris confessione.* Sed & à Rever. Usserio didici circa annum Christi 1378. sub Urbanô VI. fuisse *Michaëlem* quemdam Bononiensem, Carmelitarum (ut loquuntur) generalem, qui scripserit *confessionem ad obtinendam peccatorum remissionem non esse necessariam.* Post annos indè centùm Petrus quidam Oxomensis Theologiæ in Salmaticensi Hispaniæ Universitate Professor, legitur libellum de confessione edidisse; quo propo-

Cap. XLIV.

Gloss in decr. de pœn. d. 1.

de pœn. d. 1. c. Quamvis.

correct. ibid.

Usser. ub. supr. p. 111. Mich. Agrid. in Psal. ...

Cap. xlv. propositiones, nonnullas ab hodiernis adversariorum placitis abhorrentes, *tanquam veras, & determinationi Ecclesiæ & communi opinioni doctorum consonas, tuebatur.* Prima hæc erat: *peccata mortalia, quantum ad culpam, & pœnam alterius sæculi, deleantur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves,* Secunda, *Quod confessio de peccatis in specie fuerit ex aliquo statuto universalis Ecclesiæ, non de jure divino.* Tertia. *Quod pravæ cogitationes confiteri non debent, sed solâ displicentiâ delentur, sine ordine ad claves.* Quartò, *Quod confessio debet esse secreta id est de peccatis secretis, non de manifestis.* Quinta, *Quod non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta priùs pœnitentia eis injuncta.* Sexta, *Quod Papa non potest indulgere alicui vivo pœnam purgatorij.* Septima, *Quod Ecclesia urbis Romæ errare potest.* Octaua. *Quod Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ.* Nona. *Quod Sacramentum pœnitentiæ, quantùm ad collationem gratiæ, sacramentum naturæ est, non alicujus institutionis veteris, vel Novi Testamenti,* Hæc ille. Vtinam verò extaret liber ipse ab eô de hoc argumento conscriptus! Nam vir fuit, quantùm quidem ex hoc specimine conjicere possum, doctus, & solers. Sed solennis urbicorum Episcoporum in abolendis iis, quæ sibi adversari intelligunt, diligentia effecit ne ea Petri lucubratio viveret. Sixtus enim quartus, qui tum sedebat, de re certior factus, Alfonso Carillo, Toletano Episcopo, anno 1479. mandavit, ut in eum librum animadverteret, qui Compluti congregatis compluribus Theologis, & Iureconsultis, sua & ipsorum sententia, quæ paulò post à Sixto confirmata fuit, illas quidem nuper descriptas conclusiones damnavit, & librum publicè comburendum judicavit, miserum vero auctorem palinodiam canere coëgit, refert Bartholomæus Caranza, è quô hæc descripsimus. (Summa Concil. sub Sixto 4 fol. 186.)

Caput XLV.

Ne post Tridentinum quidem Concilium omnes adversarios pro hæresi habere negare confessionem divinitus esse institutam.

Itaque cum non videretur omnis de hujus confessionis necessitate dubitandi occasio per Innocentianam decretalem planè exclusa, tum etiam quod nostri homines felicioribus, quàm iste Oxomensis, auspiciis, fortioribusque animis annis ferè octo & triginta post turpem istius palinodiam exorti, inter cætera, de quibus adversus Romæ corruptelas protestati sunt, hoc quoque *auricularis confessionis* mysterium haud perfunctorie impugnassent; his inquam de caussis Tridentinæ Synodi Patres anno demum 1551. magna cum diligentia rem totam constituerunt, caveruntque ne ulla amplius apud suos superesset de confessionis neces- (Sess. 14. c. 5. & can. 6. & seq.)

sitate ambiguitas. Nam quod initiò hujus operis diximus, eam isti à Christo Dominô institutam, divini adeò juris esse, & omnibus ad mortalium remissionem planè penitusque necessariam definiunt; accurateque suis anathematis feriunt, siquis confessionem jure divinô vel institutam, vel ad salutem necessariam esse negaverit; vel quidquam crediderit, quod à suis placitis alienum sit. Cap. XLVI.

Sed nè hæc quidem vis tanta, tamque inusitata effecit, ut homines istarum partium planè conquiescerent. Michaël certe Medina, etiam post Concilium Tridentinum scribere non dubitavit *illam assertionem*, quod scilicet absque oris confessione haberi possit peccatorum remissio, non esse *stricte hæresim*, sed *sapere hæresim*. Ipse quinetiam Maldonatus videtur putasse nondum plane constituisse *Ecclesiam* (id est Romani Episcopi partes, ac, ut isti loquuntur, *obedientiam*) an confessio jure divinô præcepta, ac necessaria sit. Certè dubiè eâ de re sic loquitur: *Sed tamen* (inquit) *hæc opinio* (quod scilicet confessio tantùm sit introducta jure Ecclesiasticô) *aut jam declarata est satis tanquàm hæresis ab Ecclesiâ; aut faceret Ecclesia operæ pretium, si declararet esse hæresim.* Neque mireris istos tantâ contentione, tantoque studiô in hac suâ confessione tuendâ laborare; quæ, ut ex his quæ suprà de eâ diximus, liquet, unum est ex præcipuis Romanæ magnitudinis præsidiis. Illi verò viderint, num ab Innocentiô, & post hunc à Tridentinis satis apud suos constituta fuerit hujus inventi necessitas. Nos, qui solô Dei verbô in religione nitendum putamus, omnem istorum, qui eô cerent, auctoritatem, & inania anathemata, veluti totidem bruta fulmina contemnimus; temeritatem ridemus, qui se putant suis asseverationibus fumo pondus dare posse; ac denique iniquitatem exhorrescimus, qui non tantùm ferreum hoc jugum omnibus viris, mulieribusque imponere audent, sed etiam id leniter, ac cum Dei timore detrectantes ferrô, flammaque persequendos, atque exscindendos putant.

Tract. 1. de Confess. q. 4.

Disp. de Sacr. T. 1. de confess. præc. c. 3.

Capvt XLVI.

Conclusio totius Operis.

HÆc sunt, quæ de Confessione dicenda habuimus; ex quibus liquet claris, invictisque argumentis niti, quod nos probandum susceperamus; nimirum confessionis Romanæ mysterium, non modò in divinis litteris institutum vel præceptum, quod utrumque Tridentini definiunt aut *à sanctissimis, & antiquissimis Patribus*, magno unanimique consensu, quod iidem affirmant, *commendatum* non fuisse; Sess. 14. c. 5.

Cap. XLVI. fuisse; sed & cum Scripturarum auctoritate, & cum purioris antiquitatis sententiâ, ac praxi pugnare; neque ullâ unquàm publicâ, ac universali lege antè decimum tertium Christianismi sæculum, constitutum esse; Vndè evidenter, ac necessariò conficitur id jure, meritóq; ab omnibus Christianorum Protestantium Ecclesiis, velut inane, imò & noxium, pestilensque hominum sibi plus æquô indulgentium commentum abjectum, explosumque fuisse; Apostolicamque pœnitentiæ disciplinam in ejus locum restitutam. Faxit Deus, ut libertate à Christô partâ in omni honestate, atque sanctimoniâ & nos in æternum fruamur, & adversarii, uti, fruique ipsi quoque, excusso hominum durô, sed ad veram pietatem inutili jugô, tandem aliquando in animum inducant. Amen.



ADDENDA.

Ad Lib. I. Cap. XVI. p. 92. post illa verba, Israëlitis in lege præceperit, *adde*; Quamquam, ut hoc obiter dicam, ne illa quidem satis firma, certaque videntur, quæ hic Bellarminus ex Valdensi & Antonino de solenni Hebræorum recentiorum apud hominem Confessione attulit. Certe Leo Mutinensis, Rabbinus apud Iudæos Venetos doctissimus, in Ebraïcorum rituum historia disertissime negat *suæ gentis homines cuiquam mortali peccata in aurem confiteri*; *ait uni Deo in suis orationibus confiteri*; & quidem in hunc usum apud eos confessionem exstare tradit alphabetico ordine contextam, quæ *Vidduï* dicitur; de qua ipse consulendus est. Leo di Moden. Hist. degli Riti Ebr. Part. 3.c.4. p. 106.

Ad Lib. III. C. V. extremo, p. 217. post illa verba, Sed hæc de Perroniana Cyprianici hujus loci interpretatione, satis, *Adde.*

Vnum tantum superioribus addemus; Iacobum Sirmondum, virum sodalitii Iesuïtici doctissimum, illa Cypriani verba plane eodem modo esse interpretatum, quo nos ea accepimus in Historia Pœnitentiæ Publicæ; *Quis hic statim* (inquit) *eos falli non videat, qui non intelligant* minora *à Cypriano* delicta *dici, quæ licet magna sint, eo tamen quod in Deum præcipue non incurrant, cum iis collata, quæ incurrunt, minora judicentur? De his enim cum loqui Epistolæ duodecimæ verba declarant.* Nam cum in minoribus (*inquit*) delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & exomologesis fiat inspecta vita ejus, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi primo illi ab Episcopo, & à Clero manus fuerit imposita; quanto magis in his gravissimis & extremis delictis caute & moderate secundum disciplinam Domini observari oportet? *Quid apertius? Delicta enim hæc, de quibus agebatur pœnitentia, magna & gravia fuisse non negat; sed minora tamen & leviora gravissimis. Ergo quemadmodum apud Augustinum in libro de fide & operibus c.19. cum tria quædam esse mortifera legimus, quæ excommunicatione punienda sint, impudicitiam, idololatriam, homicidium, horum trium etsi aliud alio minus est; de nullo tamen dubitamus, quin sit mortiferum, sic apud Cyprianum statuendum est, quæ minora vocat, eadem magna esse tamen & gravia, atque ita gravia, ut pœnitentia publica plectenda sint.* Atque hæc quidem hactenus eruditissimus Sirmondus de primo Cypriani loco. Sirm. Hist. Pœnit. Publ. c 3.p. 19.

Ad L. III. Cap. VI. extremum. p. 222. post ultima verba, ut quivis videre potest, *Adde*; Ad superioris de Cypriani sensu disputationis confirmationem, libet hic quoque subtexere Sirmondi nobiscum in his quoque consentientis, verba de adversariis, quibuscum ei res est, ita scribentis, *Affirmat* (inquiunt) *Cyprianus in libro de Lapsis vel solam voluntatem (cogitationem opinor, dicere voluerunt) hoc genere pœnitentiæ, id est publica, expiari oportere. Sed quæso vos, expiari oportere dixit, an ultro ac sponte quibusdam expiare libuisse? Ipsum audiamus; Simul autem meminerimus, ecquorum caussa ista commemoret; Illorum nempe, qui gravissimis criminibus obstricti, cum publicam pœnitentiam legibus deberent, agere detrectabant. Quos ut commoveat, & pudore suffundat, istorum profert exemplum, qui quod ab eis leges non poscerent, ultro præstabant.* Quanto & fide majores, *ait*, & timore meliores sunt, & cætera, quæ sunt initio capitis allata, *usque ad illa verba, salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Quibus descriptis sic pergit; *Exquirebant ipsi sua sponte ut dixi; ut nolentes subirent, lex nulla imperabat; quia occultis peccatis privatam deberi pœnitentiam omnium sensus fuit, non publicam.* Atque hæc ex Sirmondo nostræ de Cypriano disputationis coronis quædam suuto.

Sirmond. Hist. Pœnit. Publ. c. 5. p. 20. 21.

Ad Lib. IV. c. 1. p. 290. extr. post illa verba; valde infectos se reperisse narrant, *Adde*; Huc accedit disertum F. Gulielmi de Rubruquis, Monachi ex Minorum, ut vocant, ordine testimonium, qui ante annos 400. in sui ad Tartaros itineris descriptione, a. D. 1255. tradebat *Confessionem nullo esse in usu apud Nestorianos illos Christianos*, quorum magnum ait numerum passim in Oriente reperiri; idemque dicit Latinum quoque extremæ quoque Vnctionis Sacramentum iisdem plane esse ignotum.

Rubruq. in itin. Tartar. c. 41. p. 101. Gall. ed. Id extat apud Hakliiũ T. 1, Relat.

FINIS.



ERRATA.

Pag.	Lin.	Corrige.
4.	4. ante fin.	fervetur. Nota fane
7	22.	fatentur, recte tamen
9.	9.	alia ejusdem generis
	17.	Primam
	18.	evidentem
11.	6.	cognitissimus ; neque apud
14.	33.	in hac
15.	ult.	necessarium
16.	4. ant. fin.	tenetur
18.	9.	sed tantum
20.	20.	Nihil id
22.	3.	in sacris usquam litteris
24.	27.	habere. Nam &
25.	5.	afferri ratione
28.	18.	Quæcumque
31.	15.	cæteris fere omnibus
41.	9. ant. fin.	prohibebantur
46.	4. ant. fin.	tenendum
47.	ult.	ordiar
49.	24.	fatentur ipsi
61.	12.	admittuntur
65.	24.	Pauli & Christi
	5. ant. fin.	quæ quam
66.	12.	ea ipsum
80.	6.	non tantum
82.	16.	traditam
83.	2.	v. Cor. 5. & vero
89.	6.	*figura est confessio*
92.	3.	confiterentur
98.	6. ant. fin.	Neque enim
102.	10.	a *Domino*
103.	30.	aliquot locis
106.	3. ant. fin.	quæ cum a Bellarm.
108	20.	suscipiendo
110.	9.	facere
111.	23.	ingratito
	28. 29.	adversarii
113	9.	Ecclesiæ defuturos
	10.	divinitus
	25.	comprimuntur. Sed
	35.	quam qui apud
115.	9.	& cum eo
	33.	avaritia cæteraque
116.	16.	Quo in genere
	35.	Jesuita Sanchez
	4. ant. fin.	virum habeat scripturarum
118.	10.	Alastor
	12.	consilium
120.	32.	opprimantur ; his
	30.	Remp. virus per
	35.	confugietur
	37.	Felix Vitalis Cathalaunensis Episcopus
127.	4.	Itaque qui suam
	5.	eversamus, hanc libentes
137.	15.	confessionem. Petri
140.	10.	tum etiam cæteros
	7. ant. fin.	& unde ex-
145.	26.	illis verbis
152.	24.	qua Deus quam quæ pœnit.
162.	4.	nam qui se pecc.
	5.	scilicet a Christo
169.	17.	subitus
171.	19.	hæc sunt
172.	8. ant. fin.	ad posticam
174.	14.	trista
	25.	Feceritne
179.	7. ant. fin.	& quod negantur, eo explantur
180.	4. ant fin.	intellectis
184.	6. ant fin.	sed eo tantum
185.	16.	te illum tribunalis
	ult.	statim efficitur
186	2.3.	Hurone.
	8 9.	ob vestem pullam
	23.	Ecclesiæ lege
189.	22.	Atqui ex omni
192.	5. ant. fin.	est verbi gratia
193.	8.	demonstraretur
	12	magna & apud
	14.	hæc altera
	31.	paucis parcunt. atque
195.	8. ant. fin.	sive Eradius fit.
197.	27.28.	universum
	penult.	Origenes
200.	9.	Ipsi ; non
201.	19.	Cusanus
202.	34.	Sparsæ
203.	25.	exomologesim
	26.	partem, quæ
	30.	inani de
	32. pe.	reliquoque
204.	18.	rem hic negat
208.	5.	Idem demonstrant
	14.	& ipsa a
	24.	confitentis
209.	1.	prolixioris in
	2.	invadentem, omnium
	ult.	Alioqui cum vix
211.	26	ejus eadem
212.	7.	omnia extendere ex
	23	communicationem
214.	7. ant. fin.	quæque non in
215.	4. ant. fin.	qui rem paulo
216.	23.	pénitance, & ne
219.	6.	erant ; non ideo
220.	13.	posterius ego libens
221.	20.	Et Christianum
230.	9. ant. fin.	ac detestatio
233.	10. 9. ant. fin.	Delicta in
235.	25.	placet, qui quondam
237	24.	aliorum, & variarum
	32.	ordinem certum est
238.	6.	ἀκροῶντες
	16.	aliorum locum
239.	12.	& alii probari
	32.	τοῖς ἱερεῦσι
241.	12.	apud se occultam servate
244.	6.	ad Leonum ep.
246.	5.	[illegible]
248.	15.	Paschalis hebdom.
251.	ult.	Christianissimi
253.	16.	laqueis
256.	15. ant. fin.	hoc, vel illo
257.	18. 19.	arripit Bell.
263.	30.	Quæ vero contra
272.	17.	Altera quæstio est.
274.	17 18.	imaginatio
	6. ant. fin.	Sed hi sunt
275.	15.	Respondeo non
280.	25.	asserendum
281.	20. ant. fin.	assertiores
284.	5.	disciplinam ex ver.
291.	8.	confiteantur
294.	9	quam in libris
	23.	& ex utroque
296.	11. ant. fin.	præcepisse ; hoc
297.	1.	excipiendis
	2.	Quod Lhostius
298.	22.	Ibidem Socios
301.	ult.	legantur.
302.	18.	de eo silentium
305.	3.	sibi quidem
306.	29. 30.	exercuisse Maximus, vel
308.	6.	supremum
309.	2.	deportandis
310.	20.	Cequod
311.	24.	Semedus.
	ult.	Toni Stichi.
312.	19. ant. fin.	Indiæ
316.	ult.	afferat
319.	10. ant. fin.	pacem, &
	ult.	devotione obire sol.
320.	5.	in confessione om
321.	7.	tradita cujus Confessarium

ERRATA.

Pag.	Lin.	Corrige.
321.	19.	qualicunque
328.	40.	præcepto, vel consilio
329.	17.	fuisse ad
	24.	illo sæculo
	34.	an ea esset
	4. ant. fin.	positas
330.	9. ant. fin.	tametsi raro
332.	9. ant. fin.	est, totam in
334.	9.	ἀφιέντες
	2.	Deus meus
	8. ant. fin.	quidem, ut communicarent
	5. ant. fin.	suscipientem
336.	7. ant. fin.	præcepit, ut
340.	8. ant. fin.	καταλύει
342.	3.	expetita
	8.	Idem antea
	23.	Id à se
	26.	tum etiam
	3. ant. fin.	laudatoriæ
343.	26.	adhuc Monacham
344.	11.	etiam in illo
346.	24.	Quid ergo est
347.	15.	de Carolo
348.	16. 17.	qui informantur
349.	2.	Burgensis
	17.	Larricus Congi
	7. ant. fin.	ne arcis apud
351.	6.	supra suum inde
354.	12.	Constantinianarum
	8. ant. fin.	principio
	pen.	plane ignotum, atque
355.	5.	Malcezilus
356.	16.	magistros
358.	12. ant. fin.	legitur, ea in priscis
359.	18.	omnes ad
	19.	constitutum esse
362.	5.	consummasse
364.	2.	à nostris
365.	11.	apud eum de
366.	17.	Aulogium
	4. ant. fin.	hos ne ipsos
367.	2.	Patri Pafio
	25.	*Confessiones*
	27.	Arbogastem
370.	8. ant. fin.	quæque sera
371.	ult.	Pseudo-Clemens
375.	21.	vita dimissum
	26.	acquirit
	9. ant. fin.	quæ cum in
376.	16.	Cumque eam conf.
	30.	consilio
377.	8. 9.	exorcizandis
383.	25. 26.	validissime
384.	12. ant. fin.	afferentia
385.	2.	qui è
	12. 14. ant. fin.	habeat
389.	2.	legitimam
	6.	cretero
	8. ant. fin.	tabulis
390.	6. ant. fin.	pæne joculares
393.	22.	su sic, ac nunc
394.	24.	opere sic scribit
395.	4.	ἀπειθήσαμεν
	5.	πάντες
396.	26.	diserte dicat
	3.	deferentibus? Ridiculum
397.	10.	Atqui ex
	antepen.	quod possit, cum
400.	9.	concessionibus suis
402.	5.	Ac tametsi
	26.	est & sexcentas
403.	15.	cedant, qui
404.	8.	animadverterit, vel
406.	9.	hac Sacramentorum
411.	9.	Scriptura, ad
	31.	in alias
412.	ult.	quem tamen
414.	28.	hic iterum obtrudit
415.	29.	a Christo resuscitatus
	36.	Christo victuras
416.	15.	intelligerem
419.	3. ant. fin.	Iesuiticarum
424.	22.	hac postrema, non ut secreta
	28.	afferatur, in quo
425.	16.	Nova Deus
428.	18.	fuisse peccatores
	6. ant. fin.	fere arripit,
429.	12.	certissima
430.	1.	conciliarius
	24.	ita clare
432.	5.	idololatriam
435.	11. ant. fin.	quandiu desunt
436.	8. ant. fin.	præcipere
438.	4.	secus, & eam, qui non facit
439.	6. ant. fin.	idoneum
440.	17.	arripit quod
	26.	publicæ) pœnam
442.	5.	excommunicatis)
	17.	habeant, & ex
	10. ant. fin.	fateor, non spernendam
448.	6.	novum Arnaldi,
454.	26.	voces, qui hic
455.	4. ant. fin.	velit, palam,
458.	27.	[illegible]
	11.	[illegible]
460.	14.	Nyssenus locus
462.	11. ant. fin.	θρεψάμενος
	5. ant. fin.	[illegible]
462.	4.	ἀβλασφήμητον
	5.	Christophorsonus
	5. ant. fin.	Fuerint
463.	6.	cum adhuc in
	22.	Petavium
	26.	Iesuita,
	31.	confutatam refero,
464.	15.	augetur
	27.	scilicet
468.	9.	Eudæmonis
	10.	συγχωρεῖται
	13.	[illegible]
469.	6.	sacræ mensæ
472.	12.	exercebatur
472.	5.	Operæ pretium est
473.	17.	concedendum est
474.	4. ant. fin.	omne certè
475.	16.	[illegible]
	5. ant.	τέλεον ἰατρικῶς
	4. fin.	ἁμαρτιῶν, [illegible] μέτρον
476.	18.	[illegible]
	26.	peccata sua
477.	4.	[illegible]
478.	6.	ὁ εἰδὼς;
479.	16.	λογισμοῖς
	23.	χαλινοῦσιν
	5. ant. fin.	sine teste, ac qui peccavi
480.	6.	ἐν ἴχνει
	12.	Ἁγιοῦν τὰς
485.	18.	Confessionem à satisfactionis
494.	31.	absolutionem
495.	39.	spectare; sacerdotis
499.	1.	consequatur (neque
503.	28.	mittas tot
505.	14.	& cum scandalo
512.	28.	ψυχῆς
	35.	transmissi
520.	5.	qualisque sive illa
522.	25.	polliceatur? Certè,
524.	7. ant. fin.	si revelare
525.	30.	[illegible]
	ibid.	commissorum
526.	10. ant. fin.	confessionum
534.	22.	Sed
	25.	respondet Bedam
539.	10.	veteres, ut ea
540.	22.	cubito
552.	16.	sanctæ
556.	8.	superioribus ex lib.
560.	14. ant. fin.	coegit, ut refert.

In Marginibus.

3.	2.	Si (Lat. 50.
6.	1.	Thom.

ERRATA *in Marginibus*.

Pag.	Lin.	Corrige.
8.	1.	Thom.
22.	2.	Biel
106.	8.	Angel.
115.	12.	Eph.5. 9
117.	5.	Tom. 1.
120.	2.	Eelix Cathal.
186.	7.	Ann. Can. 4. 1642. p. 32.
204.	13.	Observ. Oof. 16.
206.	8.	Tertull.
226.	2.	Repl. L. 2. c.5.
311.	18.	Somad.
330.	4.	Id in Ios.
363.	5.	p. 690. A.
375.	4.	Videtur leg.
463.	32.	† ann.D. 56.§ 34. In Epiphanium p. 242.
466.	10.	ad Epiph.p. 243. mar. fin. inf.
475.	11.	quæ est 5. de incompreh. Dei natura.
479.	13.	concionandum.



